ZACHARIAE PASQVALIGI VERONENSIS

CLER. REGVLAR. THEATINI.

SACRAE THEOLOGIAE PROFESSORIS.

QVAESTIONVM MORALIVM CANONICARVM CENTVRIA IV.

IN QVIBVS EX PRINCIPIIS THEOLOGICIS

Et ſacris, atque ciuilibus legibus

Plura dubia,quæ ad Praxim vtriuſq; fori pertinent tàm quò ad Regulares, quàm quò ad Sæculares breuitèr, & dilucidè explicantur.

ROMAE,

Typis Hæredum Franciſci Corbelletti. M. DC. LII.

SVPERIORVM PERMISSV.

INDEX QVAESTIONVM QVARTAE CENTVRIAE.

AN Titius, cum tradiderit centum aureos Caio pro fundando cenſu in fauorem coadiutoris cuiuſdam Pænitentiarij, poſſit pænitere, & reuocare donationem. Quæſt. 301.

An, qui vexatur à Demone, vulgò, Folletto, *poſſit ad ordines admitti: Quæſt. 302.*

An ſi reſignans conueniat cum reſignatario de extinguenda pẽſione aliquot anticipatis ſolutionibus, & de deponenda pecunia apud idoneum virũ ſub ea conditione, quod reſignàns ſtatim illam recipiat, ac acceſſerit conſenſus Apoſtolicus de extinguenda penſione, committatur ſimonia Quæſ. 303.

An, & à quo puniendus ſit regularis, ſi poſtquam factus eſt clericus, nõ ſeruet terminos ſuæ relegationis. Quæſ. 304.

An ceſſet pæna exilij, aut relegationis, ſi exul, aut relegatus tranſeat ad ſtatum eccleſiaſticum Quæſt. 305.

An Vicarius Epiſcopi poſſit recipere ad habitum monachalem puèllam iam capitulariter à Monialibus acceptatam, ſi Epiſcopus abſens prohibeat Abbatiſſæ, ne illam recipiat. Quæſt. 306.

An in ijs, quæ nullo præmiſſo proceſſu per ſecreta ſuffragiã determinantur, habeat locum appellatio Quæſ. 307.

An conſuetudine induci poſſit, quod fiat diſpenſatio in lege ſuperioris abſque præuia cognitione cauſæ in ſpecie Quæſt. 308.

An, qui habet facultatem declarandi leges, aut ſtatuta, poſſit ita declarare, vt declaratio cõtineat aliquid, quod non ſit conceptum ex verbis legis. Quæſt. 309.

An bona relaxata alicui à Principe, cum ea cõditione, quod maneant imposterum hypothecata, nec poſſint alienari, poſsint donari Eccleſiæ. Qu. 310.

An quando Superiores locales Regularium habent ius interueniendi Capitulo Generali, poſsint interuenire non adepta poſseſsione ſua Prælatura. Quæſt 311.

An Princeps ſupremus poſsit condonare pænas debitas delictis. Quæſt. 312.

Quænam ſint cauſæ, ob quas Princeps poteſt condonare pænas. Quæſt. 313.

An Præfectus annonæ poſsit cogere ad emendum frumentum corruptum, aut proximum corruptioni priuatæ perſona, vt ipſi gratificetur. Quæſt. 314.

An, ſi quis petenti mille aureos pro impetranda gratia apud Romanam Sedem dicat, ſe paratum dare non ſolum mille, ſed etiam duo, & tria millia, & quicquid petierit, incurrat pœnas Gregorianæ De datis, & promiſſis. Quæſt. 315.

An Miniſter charus poſsit aliquid accipere pro interponenda interceſsione

apud Principem. Quæſt. 316.

An Familiaris Principis poſſit recipere pecuniam pro obtinendo alicui aliquod officium, cui non ſit annexa adminiſtratio, aut iuriſdictio. Qu. 317

An ſi in collatione ordinis aliquid omittatur, poſſit ſuppleri in quolibet tempore. Quæſt. 318.

An is, cui collatum eſt hoſpitale in adminiſtrationem perpetuam, poſſit ad libitum diſponere de prouentibus ipſius, ſi non adſit illud genus perſonarum, pro quibus fuit inſtitutum. Quæſt. 319.

Quid operetur Priuilegium conceſſum aliquibus Religionibus, quod conſtitutiones faciendæ cenſeantur eo ipſo, quod fiunt, auctoritate Apoſtolica cõfirmatæ. Quæſt. 320.

An prohibitio, quod nemo abſque licentia Ordinarij celebret in Eccleſijs Monialium, afficiat Epiſcopos alterius Diœceſis. Quæſt. 321.

An occidens bannitum, & occultans, vt interim alium occidat, & poſtea per præſentationem capitis banniti veniam obtineat, fruatur beneficio indulti Quæſt 322.

An, qui moritur incœpta cauſa, ſed nondum ſequuta ſententia, poſſit damnari, quia cum dolo exegerit à Monte Pietatis notabilem ſummam pecuniæ ſupra depoſitam. Quæſt. 323.

An Abbatiſſa poſſit præcipere Monialibus in virtute obedientiæ, & ſub peccato mortali. Quæſt 324.

An Monialis, & quilibet alius religioſus habens propoſitum ſeruandi regulam quò ad ea ſolum, ad quæ ſub mortali tenetur, & non quò ad alia abſolutè, ſit in ſtatu peccati mortalis Quæſt. 325.

An prælati, & cæteri ſuperiores procedere poſſint contra ſubditos, qui non ſeruant, quæ communiter à Populo ex libera voluntate ipſius introducta ſunt. Quæſt. 326.

An, qui rationabiliter timet, ſe occidendum à bãnito, poſſit, abſque eo, quod contrahat irregularitatem, augere præmium, vt magis inducat ad ipſum occidendum. Quæſt. 327.

An audiens iniuriam contra aliquem coram paucis prolatam, inferat iniuriam, ſi eam propalet ijs, qui non fuerunt præſentes. Quæſt. 328.

An legato toto auro, & argento cenſeatur legatum monile ex Margaritis; & quid ſi aliqua ornamenta ex auro interpoſita ſint. Quæſt. 329.

An regulares poſſint acceptare Epiſcopatum abſque licentia ſuorum Prælatorum. Quæſt. 330.

An regulares poſſint indepẽdenter à ſuis ſuperioribus vti priuilegijs ſingularibus perſonis conceſſis a Summo Pontifice. Quæſt. 331.

An priuilegium conceſſum aliquibus, quod ſubditi non poſſint, vti priuilegijs Pontificijs abſque licentia ſuorum ſuperiorum, ſe extendat ad omnia priuilegia. Quæſt. 332.

An in generali communicatione priuilegiorum veniat priuilegium conceſſum alicui religioni, quod ſubditi nequeant vti priuilegijs Apoſtolicis ſine conſenſu ſuorum ſuperiorum. Quæſt. 333.

An, qui putat, ſe iuraſſe, cum tamen non iurauerit, periurus fiat non obſeruando, quod promiſit. Quæſt. 334.

An poſſit Epiſcopus concedere facultatem erigendi in ciuitate Congregationem presbiterorum ſæcularium con-

contra priuilegia Regularium abſque ipſorum conſenſu, ſi ipſi aliàs conſtet, quod non ſit futura detrimento eiſdem Regularibus. Quæſt.335.

An, qui promiſit cum iuramento fideiubere pro alio, teneatur, ſi is deueniat ad talem ſtatum, vt impotens fiat ad præſtandum id, pro quo exigit, fideiuberi. Quæſt.336.

An, qui ex vi alicuius ſtatuti non poſſunt acceptare onera perpetua miſſarum, poſsint eſſe perpetui procuratores ad exigendam certam ſummam pecuniæ, vt celebrent, aut faciat celebrare miſſam perpetuam. Quæſt. 337.

An, ſi Prælatus remoueat à Romano monaſterio ſubditum, qui contra ipſum habuit recurſum ad S. Congregationem, ſtatim completa cauſa, præſumendum ſit, remouere in odium prædicti recurſus. Quæſt.338.

An omnes Regulares gaudeant priuilegio, quod non poſsint de nouo erigi, vel de nouo recipi ab alijs regularibus, vel quibuſcunque alijs eccleſiaſticis perſonis Eccleſiæ, & loca, niſi in diſtantia centum quadraginta cannarum à proprijs Domibus, & Eccleſijs. Quæſt 339.

R. P. D.

ROIAS

Ianuen. Priuilegiorum

Veneris 24. Iunij 1647.

De priuilegio Regulariũ, quod infra 140 cannas non erigantur Eccleſiæ prope ſuas, deque ipſius obſeruantia. Deciſ.1.

R. P. D.

ROIAS

Ianuen. Priuilegiorum.

Veneris 24. Ianuarij 1648.

De eadem materia, deq. vigore eiuſdem priuilegij. Deciſ. 2.

Eminentiſs.

CORRADI

Ianuen. Priuilegiorum.

Lunæ 28. Iunij 1649.

De eadem materia, & compatibilitate eiuſdem priuilegij cum Pontificijs conſtitutionibus, eiuſdem communicatione, ac vſu, & non vſu priuilegiorum. Deciſ.3.

An, quando currit feſtum duplex in die aſsignato pro altari priuilegiato poſſint dici Miſſæ de Requiem. Quæſt. 340.

Vnde cognoſcatur, quod aliqua virtus ſit in gradu heroico. Quæſt. 341.

An qui ſuſcepit onus miſſarum perpetuarum, teneatur ſatisfacere, ſi contingat ceſſare fructus aſsignatos pro tali onere. Quæſt.342.

An quando quis rationabiliter dubitat, quod aliqua actio contineat ſuperſtitionem, liceat illa vti cum proteſtatione. Quæſt.343.

An valeat locatio rei eccleſiaſticæ facta ad triennium cum conditione tamen, quod ſi vltimis ſex menſibus eiuſdem triennij partes quieſcant, & nihil innouent cenſeatur facta ad aliud triennium, & ſic deinceps. Quæſt.344.

An, qui ligatus iuramento de non fideiubendo ſub certa pœna pecuniaria alteri ſoluenda ſibi impoſita, teneatur ſoluere, ſi fideiubeat. Quæſt. 345.

An valeat matrimonium initum aſſiſtente ſacerdote de licentia Parochi, ſed cum aliquo dolo obtenta. Quæſt. 346.

An

An licentia parochi conceſſa contra prohibitionē Epiſcopi, aut ſtatuti Synodalis pro aſſiſtendo matrimonio, teneat. Et quid, ſi in ea petenda taceatur qualitas ratione cuius prohibetur concedi. Quæſt. 347.

An ſubſiſtat ſponſio, quod ciuitas obſeſſa capietur ab hoſte, ſi tempore, quo inita eſt, erat ſoluta obſidio. Qu. 348.

An oratorium habens duplicem ingreſſum, alium in via publica omnibus communem, & alium correſpondentem priuatæ domui, cenſendum ſit publicum, ita vt poſſit in ipſo celebrari. Quæſt. 349.

An hæres Epiſcopi habens apud ſe fructus Epiſcopatus poſſit ſibi compenſare, quod de patrimonio expendit Epiſcopus mortuus pro expeditione Bullarum. Quæſt. 350.

An, ſi teſtator leget alicui centum aureos, & poſtea in codicillo adhuc exprimat dandos eidem centum aureos nulla facta mentione de teſtamento, cenſendum ſit duplicatum legatum. Quæſt. 351.

An liceat alicui occidere eum, qui paratus eſt apud Principem occultè detrahere, & ipſi grauem infamiam impingere. Quæſt. 352.

A quibus diſpenſandi ſint Regulares in interſtitijs, quò ad ordines ſuſcipiendos. Quæſt. 353.

An ſi quis non completis interſtitijs ordinetur abſque diſpenſatione, incurrat aliquam pœnam. Quæſt. 354.

An, qui ordines ſuſcepit ſabbato ante Dominicam paſſionis, aut Sabbato Sancto, poſſit ordinari anno ſequenti in temporibus quadrageſimæ abſque diſpenſatione interſtitiorum. Quæſt. 355.

An regulares habentes communicationem priuilegiorum, vti poſſint priuilegio conceſſo Ieſuitis à Gregor. XIII: quod poſſint ordinari extra tempora non ſeruatis interſtitijs. Quæſt. 356.

An prælatus Regularis poſſit litteras dimiſſorias pro ſuſcipiendis ordinibus ſubdito regulari denegare, quando is capitulariter admiſſus eſt ad recipiendum ordinem. Quæſt. 357.

An, qui abſque præſumptione, & dolo ordinatur ante legitimam ætatem, aut ſine dimiſſorijs, cum ignorantia tamen culpabili, incurrat ſuſpenſionem poſitam à Pio II. Quæſt. 358.

An beneplacitum expiret morte concedentis. Quæſt. 359.

An damnatus ad carcerem ad beneplacitum cenſendus ſit dānatus ad carcerem perpetuum. Quæſt. 360.

An debitor ſit in mora, ſi die præfixo nō ſoluat, ſi in contractu adſit pactum, quod creditor poſſit ſibi expenſis debitoris ſatisfacere, ſi ipſe non ſoluat. Quæſt. 361.

An creditor acceptans ſolutionem debiti cenſeatur liberare debitorem à mora. Quæſt. 362.

Ad quid teneatur debitor, qui diu diſtulit ſolutionē frumenti, quod certo tempore fuerat ſoluendum. Quæſt. 363.

An, ſi moroſus debitor differat ſoluere triticum vltra triennium, teneatur non ſolum ad intereſſe quanti plurimi, ſed etiam ad aliquid aliud pro tempore moræ vltra triennium. Quæſt. 364.

An habeat locum nouatio, ſi adſit pactum in contractu, quod ſi debitor non ſoluat in termino præfixo, poſſit creditor ſibi ſatiſfacere expenſis debitoris. Quæſt. 365.

An

An Capitulum poſſit ſtatuere, ne Capitulares conueniant ad aliquas functiones eccleſiaſticas in alienis Eccleſijs, niſi ipſis ſoluatur certum ſtipendium. Quæſt. 366.

An ſuperiores regulares maiores poſſint cogere minores, vt conſtituant vnum, aut alterum confeſſarium, qui abſoluat à reſeruatis in religione. Quæſt. 367.

An legatus à latere non ſacerdos poſſit reconciliare Eccleſiam conſecratam. Quæſt. 368.

An ſufficiat ſi ſemel ab aliquo Ordinario Confeſſarius ſit approbatus pro Monialibus, vt ab ipſis poſſit eligi, quando habent facultatem eligendi. Quæſt. 369.

An Confeſſarius electus à Moniali tempore Iubilei, ſed in virtute Litterarum Pœnitentiariæ, poſſit vti cum dicta Moniali tota facultate, quam [illegible] Iubileum. Queſ. 370.

An Epiſcopus concedere poſſit licentiam celebrandi in Eccleſia polluta. Quæſt. 371.

An ſemel examinatus pro vno beneficio poſſit iterum examinari, ſi ad aliud ſit promouendus. Quæſt. 372.

An nouus Epiſcopus poſſit examinare Parochos ſuæ Diœceſis. Quæſt. 373.

An Epiſcopus poſſit pluries Parochos examinare. Quæſt. 374.

An Epiſcopi teneantur ſingulis annis, aut ſingulis biennijs examinare Parochos. Quæſt. 375.

An interueniat Simonia, ſi patronus præſentet Titium in gratiam Principis notificando ipſi oblationes ſibi factas, vt alios præſentet, & Princeps ſignificet, fore compenſandum. Quæſt. 376.

Titius rogauit amicum Caij Patroni, vt ipſum diſponeret ad conſtituendum certum procuratorem pro præſentando ad beneficiũ, à quo ſciebat, ſe fore præſentandum, & ipſi promiſit, ſe fore gratum &c. Quæritur, an commiſerit ſimoniam. Quæſt. 377.

Quomodo Simoniacum ſit per pecuniã parare ſibi viam ad ſpiritualia. Quæſt. 378.

An ſymonia debeat eſſe euidens, & indubitata, vt quis in foro conſcientiæ de ipſa damnetur. Quæſt. 379.

An ſit ſimonia, ſi quis det alicui pecuniam, vt ſua ipſius merita apud collatorem beneficij exponat. Quæſt. 380.

An ſit ſimonia accipere pecuniam pro applicatione animi ad conferendum aliquid ſpirituale. Quæſt. 381.

An ſubſiſtat Indulgentia conceſſa pro Confraternitate nondum erecta, ſi in conceſſione pro erecta habeatur, & in ſupplicatione expreſſum ſit, quod erigebatur. Quæſt. 382.

An quando ex inſtitutione teſtatoris ad Capellaniam eſt præſentandus Sacerdos, debeat eſſe actu ſacerdos. Quæſt. 383.

An ſit licita ſponſio, in qua quis cum pluribus certò lucraturus eſt, & cum vno tantum perditurus. Qu. 384.

An penſio ſit aliquid ſpirituale. Quæſt. 385.

An liceat ſe inebriare medicinæ cauſa. Quæſt. 386.

An diſpenſatus ob infirmitatem oculorum à recitatione diuini officij, teneatur ipſum recitare, ſi conualeſcat. Quæſt. 387.

An prohibitio largitionis munerum inter ipſos regulares per Clementem VIII.

VIII. obliget ſecluſa ambitione. Qu. 388.

An canonicus, qui lucratus eſt groſſam canonicatus, antequam officiū omittat, teneatur portionem ipſius reſtituere. Quaſt. 389.

An valeat donatio rei immobilis facta religioni incapaci immobilium ſub eo modo, ne ipſam alienet. Quaſt. 390.

Promiſit quis concubinæ, ſe eam hæredem inſtituturum, quod poſtea non fecit; quæritur, an poſſit concubina ſibi retinere pro compenſatione res aliquas illius, quas apud ſe habet. Quaſ. 391.

An fingens paupertatem pro eleemoſina obtinenda, teneatur ad reſtitutionem. Quaſt. 392.

An teneat collatio facta ab Ordinario beneficij vacati per obitum in vltima nocte menſis reſeruati ſpirantis, ſi aliqua horologia pulſauerint ſigna mediæ noctis, & alia non. Quaſ. 393

Reuerendiſs. D.

GHISILERII

PRODECANI.

Abulen. Portionis.

Lunæ 17. Decembris 1646.

De concurſu prouiſi Apoſtolici cum prouiſo ab Ordinario ſtante dubia reſeruatione: vbi de horologijs. Deciſ. 1.

R. P. D.

CELSI.

Abulen. Portionis.

Ven. 14. Iunij 1647.

De eadem materia, vbi de diuiſione menſium reſeruatorum à non reſeruatis, de teſtibus, & horologijs. Dec. 2.

Reuerendiſs. D.

DVNOZZET

DECANI

Abulen. Portionis.

Lunæ 22. Iunij 1648.

De eadem materia, vbi de inceptione reſeruationis; de teſtibus, & ieiunio. Deciſ. 3.

An Clericus poſſit recipere in cuſtodiam arcem Principis laici. *Quaſt* 394.

An miles deſtinatus pro cuſtodia arcis pugnans contra aggreſſores incurrat irregularitatem. Quaſt. 395.

An, ſi clericus præſidens arci diſponat defenſores, & ordinet, quæ neceſſaria ſunt pro defenſione, & hortetur milites, vt ſtrenuè ſe gerant, incurrat irregularitatem. Quaſt. 396.

An clericus ſacris initiatus, vel habens beneficium poſſit exercere officia ſecularia in domo Principis, aut Magnatis laici. Quaſt. 397.

An teneatur reſtituere famam, qui alterius crimen notorium publicauit in loco, vbi habebat bonam opinionem. Quaſt. 398.

An, cum ex præſcriptione fundatoris beneficium eſt conferendum nato in tali loco, poſſit pro vna vice Epiſcopus non ſeruare diſpoſitionem, & conferre nepoti fundatoris. Quaſt. 399.

De quo beneficio intelligatur, quando cappellania eſt conferenda ratione fundationis non habenti aliud beneficium. Quaſt. 400.

ZAC-

ZACHARIAE

PASQVALIGI

CLER. REGVLAR.

QVAESTIONVM MORALIVM CANONICARVM CENTVRIA IV.

An Titius, cum tradiderit centum aureos Caio pro fundando cenſu in fauorem coadiutoris cuiuſdam Pœnitentiarij poſſit pœnitere, & reuocare donationem. *Quaſt.* 301.

S V M M A

1 *Donatio pro fundando cenſu in fauorem alicuius an illo non fundato poſsit reuocari.*
1 *Quando perficiatur donatio.*
1 *Donatio ſcientia donatarij præſumitur acceptari.*
2 *Traditio complet donationem.*
3 *Donatio perfecta eſt irreuocabilis, niſi adſit cauſa, ob quam poſſit reuocari.*
4 *Traditio doni transfert dominium.*
5 *Quid ſit conditio.*
5 *Quid ſit modus, & in quo differat à cōditione.*
6 *Modus eſt conditio reſolutiua.*
6 *Quando modo non impleto reſoluatur actus*

1 Difficultas procedit, quia cenſus nondum eſt fundatus ſciente tamen, & acceptante donationem dicto coadiutore. Et reſpondendum eſt. *non adeſſe locum pœnitentiæ, nec poße reuocari donationem, niſi interueniat aliqua cauſa, per quam de iure donatio fiat reuocabilis.* Huiuſmodi nanque, donatio eſt perfecta donatio, ſi quidē acceſſit animus donatarij acceptantis, quo donatio ipſa perficitur. *l. In omnibus. ff.* De *obligat. & act.* Præſertim quia etiam ſola ſcientia donatarij præſumitur acceptari, vt ſcribunt Socin. iun. *Conſil.* 76. *nu.* 11. & 12. *lib.* 3 Rolan. *Conſil.* 19. *nu.* 34. *lib.* 1. plura afferens. Craueta. *Conſil.* 11. *nu.* 4. Menoch. *Conſil.* 489. *n.* 19.

Guido Papa *Conſil. 23. n. 12. & 13.* Dec. *Conſil. 58. num. 2.* Ruin. *Conſil. 174. ver. Sed ex alio lib. 1.* Cephal. *Conſil. 311. nu. 75.* & *Conſil. 315. num. 35.*

2 Quod præſertim verum eſt, quia ſequuta eſt traditio centum dictorum aureorum pro fundando præfato cenſu; traditio autem omnino complet, & perficit donationem. *l. Qui ſextum*, & *l. fin. §. Lucius. ff.* De donat. & *l. Quoties. ff.* C. De *rei vendicat.* & *l. Tradita.* C. De *his, qui d non domin.*

3 Cum ergo donatio perfecta ſit, facta eſt irreuocabilis, niſi interueniat aliqua iuſta cauſa, cuius vigore de iure reuocari poſſit *l. Donatio.* C. De *donationibus.* & *l. 1. in it. ff.* De *donat.* & *l. Vbi ita. ff.* De *mort. cau. donat.* & *l. Si donatione.* C. De *reuocan. donat.* ita vt nec etiam reſcripto Principis reuocari poſſit, vt tradunt Dec. *Conſil. 468. num. 18. & 28.* Menoch. *Conſil. 496. num. 104.* Quia nimirum donatio perfecta eſt ſine ſpe reuocationis. *l. Senatus. §. 2.* & *l. Seia. §. fin. ff.* De *mort. cau. donat.*

4 Imo cum non poſſit quis ſine iniuſtitia priuare aliquem dominio, & iure acquiſito, non poteſt donans ſine iniuſtitia reuocare donationem. Cum enim ſequuta ſit traditio centum aureorum, acquiſitum eſt dominiũ donatario, quia traditio transfert dominium *§. Per traditionem.* Inſtit. *De rer. diuiſione.* vnde reuocando donationem priuaret dominio donatarium.

5 Neque dici poteſt, quod donatio ſit facta ſub conditione, quod centum aurei inſeruiant pro cenſu fundando, & ideo cum nondum cenſus fuerit fundatus, donatio remaneat imperfecta, vt pote nondum impleta conditione; atq; adeo reuocabilis. Quia, quod dicta pecunia debeat inſeruire pro cenſu fundando, eſt finis, in quem ordinatur donatio, non autem eſt conditio, quia conditio eſt illa, quæ ſuſpendit actum, ita vt nullum ſortiatur effectum, donec ipſa eueniat *l. Conditionales.* & *l. Cedere diem ff.* De *verbor ſignificat.* Quod autem fundetur cenſus ex tali pecunia, non ſuſpendit donationem, imo requirit ipſam completam, & eſt aliquid ſequens poſt ipſam; & proinde eſt modus, qui poſt actum perfectũ impleri debet *l. Meuia. ff.* De *manumiſ.* & *l. Demonſtratio. §. fin.* & *l. Quibus. §. Termilius. ff.* De *cond. t. & demonſt.* vbi Bart. *num. 1.* & Socin. *num. 7.* teſtantes de communi. Vnde cum non ſuſpendatur donatio, ſed potius requiratur, vt ſit perfecta, vt modus iſte poſſit impleri, non remanet reuocabilis.

6 Et quamuis, quando modus non impletur, licet actus perfectus ſit, reſoluatur, vt proinde talis modus dicatur à Doctoribus conditio reſolutiua Gloſ. *in l. 2. ff.* De *in diem adiect.* Bart. *in l. 1. ver. Tertia differentia.* & *in l. Quibus diebus. §. Titio. oppoſit. vlt. ff.* De *cond. t. & demonſtr.* Anchar. *Conſil. 69. Col. fin.* Socin. *in l. Pecuniam. not. vlt. ff.* Si *cert. pet.* & *Conſil. 62. num. 3. lib. 4.* Paris. *Conſil. 5. n. 12. lib. 4.* Hoc tamen ſolum habet locum, quando per eum ſtetit, in cuius fauorem facta eſt diſpoſitio, ne adimpleatur; ſecus autem, ſi per ipſum non ſtet, quia tunc modus habetur pro impleto. *l. Quæ ſub conditione. §. Quoties. ver. Idem eſt. & ſi. ff.* De *condit. inſtit.* & *l. Pater. §. Tuſculanus. ff.* De *legat. 3.* In præſenti autem caſu non ſtetit per donatarium, quin impleretur modus appoſitus in donatione, cum hoc proceſſerit ex negligẽtia illius, cui mandatum eſt, cenſum fundare. Imo cum nullus ſit præfixus terminus pro fundatione dicti cenſus, non reſoluitur actus, ſed ſolum donans poteſt inſtare de adimpletione.

An, qui vexatur à Demone, vulgò Folleto, poſſit ad ordines admitti. Quæſt. 302.

SVMMA.

1 *Vexatus extrinſecè à Demone an poſſit promoueri ad ordines. & num. 6.*
1 *Dictio, Quolibet modo, cõprehendit quemcunque modum.*
2 *Comprehendit modos, qui aliàs non comprehenderentur.*

com-

1 *Comprehendit omnem modum excogitabilem.*
2 *Sufficit, vt de illo modo fuerit in genere excogitatum, vt illum comprehendat.*
3 *Lex odioſa, & pœnalis extenditur ad omnia, quæ ſub aliqua ſignificatione comprehenduntur.*
4 *Identitas rationis facit, caſum comprehendi à lege, ad quem dicitur extendi.*
5 *Lex Cap. Communiter. Diſt. 33. eſt fauorabilis.*
5 *Quando lex ſit fauorabilis.*
6 *Semel vexatus à Demone, etiam ſolum extrinſecè, an poſſit ordinari.*
7 *Qualis, & quanta debeat eſſe vexatio demonis, vt quis arceatur ab ordinibus.*

---

1 DIfficultas procedit, ſi huiuſmodi vexatio ſit tantum ab extrinſeco, ita vt vexatus non obſideatur, nec poſſideatur à Demone, ſed tantum extrinſecus apparens ſub forma corporea illum vexet. *Et negatiuè reſpondendum eſt, ita vt, ſi non ſit promotus, nõ debeat abſolutè promoueri* per tex Cap. *Cõmuniter Diſt.* 33. vbi prohibentur promoueri, *Qui aut in terram arrepti à demonibus eliduntur, aut quolibet modo vexationis incurſibus efferuntur*. Dictio namq. *Quolibet modo*, ita vniuerſalis eſt, vt comprehendat quẽcunque modũ vexationis, ſiue ab intrinſeco, ſiuè ab extrinſeco per ea, quæ tradunt Paris. *Conſil.* 58. *num.* 10. *vol.* 1. Gozadin. *Conſil.* 14. *num.* 22. Roland. *Conſil.* 2. *num.* 23. *vol.* 4. Glori. *Reſponſ.* 1 *num.* 194. *par.* 1. Narbona *De appellat. a Vicario ad Epiſcopum. par.* 2. *fun.* 1. *n.* 35.

2 Imo comprehendit etiam illos modos, qui aliàs non comprehenderentur, vt notant Alexand. *Conſil.* 155. *num.* 3. *vol.* 2. Ruin. *Conſil.* 68. *num.* 10. *vol.* 4. Grat. *Conſil.* 163. *num.* 19. *vol.* 2. Et omnem prorſus modum excogitabilem iuxta Cap. *Indemnitatibus.* ver. *Si qua vero.* De *elect. in* 6. & *Clem.* 2. ver. *Ne igitur.* De *ſenten. excommunicat.* vbi Gloſ. *verbo. Quomodolibet.* & notant Menoch. *De recuperand. poſſeſ. Remed.* 6. *num.* 15. Flam. *De reſignat. lib.* 9. *quæſt.* 25. *nu.* 4. Mandoſ. *ad Regul.* 18. *Cancel. quæſt.* 14. *num.* 14. Cenedo *Sing.* 95. *num.* 1. & 4. Rota *Deciſ.* 538. *num.* 3. *par.* 2. *apud Farinac. in Poſth.* Atque tanta eſt ipſius efficacia, vt ſufficiat, ſi de illo modo fuerit in genere à diſpoſitore cogitatum, vt dixit Seraph. *Deciſ.* 350. *num.* 2. Vnde non eſt dubitandum, quod præſens caſus non comprehendatur ſub diſpoſitione citati capitis *Communiter*, præſertim, quia non eſt diſtinguendum, quando lex non diſtinguit.

3 Nec dici poteſt. Quod ſimus in odioſis. quæ reſtringenda ſunt, non autẽ amplianda; quia lex licet odioſa, & pœnalis extenditur ad ea omnia, quæ ſub aliqua ſignificatione verborum comprehenduntur, etiam larga, præſertim, ſi ſit propria *l. Senatus. De ritu nuptiarum.* iuxta *l. penul. C. De interd. matrim. & l. Iuſta. ff. De verbor. ſignificat.* & notant Doctores *in l. Si verò. §. De viro. ff.* Soluto *matrimonio*, & Alexand. *in l.* 3. *§. Si procurator. in fine. ff.* Quod *quiſq. iuris.*

4 Imo in hoc non fit aliqua extenſio legis, ſed caſus comprehẽditur ſub ipſius immediata diſpoſitione, vt cõſtat ex dictis. Et quia militat eadem omnino ratio finalis in eo, qui ab intrinſeco vexatur à Demone, & in eo, qui vexatur ab extrinſeco, cum vtroque modo habeatur eadem omnino indecentia, & irreuerentia erga miniſterium ſacrum. Identitas autem rationis facit, vt lex non extendatur, ſed comprehendat caſum, ad quem dicitur extendi. *l. Illud. C. De ſacroſanc. Eccleſ. & l. His. ſolis.* ver. *Satis etiam. C. De reuoc. donat.* & notant Gloſ. *in Cap.* 1. verbo. *Italiæ. De temporib. ordinat. in* 6. Cinus *in l. Iura.* Bald. *in l. De quibus ff. De legib.* & *in Authen. Poſt fratres. C. De legit.* Dec. *Conſil.* 372. *num.* 7. Crotus *Conſil.* 26. *num.* 12. Surd. *Deciſ.* 226. *num.* 8. Gonzalez *ad Regul.* 8. *Cancellar. in Proemio. §.* 7. *num.* 105. Gutierez *lib.* 3. *Pract. quæſt.* 17. *num.* 84. Tiraquel. *l. Si vnquam. verbo.* Libertis. *num.* 45. & 46. *C. De reuocan. donat.*

5 Addo etiam, prædictam conſtitutionem non eſſe odioſam, ſed fauorabilem. Tunc enim lex cenſetur fauorabilis, quando primariò reſpicit fauorem alicuius, etiam ſi cõtineat odium alterius,

vt docent Gloſ. *in Cap. Si propter.*verbo. *Primi anni.* De *reſcript. in 6.* & *in Cap. Sciant cuncti.* verbo *Alios.* De *elect. in 6.* Io. Andr. & Geminian. *ibid.* Felin. *in Cap. 1. num. 14.* ver. *Aliud eſt.* De *Sponſalib.* Bar. *in l. Qui exceptionem.n.2.ff.*De *condit. indeb.* Iaſ. Alber. Salicet.*ibid.* Caſtrenſ. *in l. Si quis nec cauſam. num. 4. ff.* Si *cert. pet.* Couaruu.*lib.1.Variar. cap. 11. num. 5.* alios citans Menoch. *De recuper. poſſeſ. Remed. 1. nu.28.* Cephal. *Conſil.25. vol.1.* Honded. *Conſil.95. num. 17.*Sanch. *lib. 1. de matrim. diſp. 1. num. 4.* Pariſ. *De reſignat. lib. 12. quaſt. 2. num. 23.* Prędicta autem conſtitutio reſpicit primariò fauorem ordinis eccleſiaſtici, cum proſpiciat decentiæ, & reuerentiæ ipſi debitæ; & ideo fauorabilis cenſenda eſt.

6 Addo etiam, nunquam prædictum vexatum à Demone vulgò *Folletto* poſſe promoueri per tex. Cap. *Maritum. Diſt. 33.* & notant Gloſ. *in cap. Communiter.* verbo. *De ijs. eadem diſt.* Maiol. *lib. 2. de irregularit. cap. 17.* Pelag. *De Planctu Eccleſ. lib. 1. cap. 48.* ver. *Demoniaca vexatio.* Nauar. *Cap. 27. Manual. num 203.* Tolet. *lib. 1. Sum cap. 43. num 2.* ver. *Secundò. Huiuſmodi.* Viuald. *in Candelabr.* Tit. *De irregularit. num. 184.* Suarez *diſp. 51. de cenſur. ſect. 1. num. 7.* Paris. *lib. 5. de Reſignat. quaſt. 6. num. 94.* Geminian. *in Cap. Clerici. Diſt. 33.* Præpoſit. & Turrecrem *ibid.* Achunna *in 1. par. Decreti. Cap. Communiter. num. 2. Diſt 33.* Molina *tract. 3. de Iuſt. & iure. Diſp. 70. num. 12.* Campanil. *in Diuerſ. iur. Rubr. 11. cap. 17. num. 188.* Henriquez *lib. 14. Sum. cap. 8. §. 8.* Bellet. *in Diſquiſ. Clericali.* Tit. *de diſcipl. Cleric. §. 7. num. 39.* Filliuccius *tract. 19. num. 181.* Leo *in Theſauro Fori Eccleſ. par. 2. cap. 8. num. 33.* Sayr. *lib. 6. de cenſur. cap. 9. num. 14.* Bonacina *diſp. 7. de cenſur. par. 2. num. 24.* Raguc. *De miſſa quaſt. 17. num. 1.* Vecchius *in Praxi nouitior. diſp. 9. dub. 21. num. 4.* Barboſa *de Poteſt. Epiſcopi par. 2. allegat. 42. num. 51.* Ratio autem eſt, quia ad inducendam irregularitatem ſufficit, quod ſemel fuerit ſub poteſtate demonis quo ad corpus, quamuis poſtea ceſſauerit vexatio, nam adhuc habet locum indecentia eadem, quod nimirum, ille, qui demoni vexationi ſubiectus fuit, admittatur ad ordinem eccleſiaſticum.

7 Et proinde conſurgere huiuſmodi impedimentum, ſi vnica tantum vice fuerit à Demone vexatus, docent Viualdus *num. 181.* Suarez *num 7.* Sayr. *num. 14.* locis citatis *num. præced.* Valenzuola *Conſil. 25. num 2. & ſequent.* Quod tamẽ mihi difficile videtur, quia in Cap. *Maritum Diſt. 33.* dicitur, *Qui aliquando afflictione Diaboli vexatus eſt.* hoc eſt aliquo tempore, ita enim ſignificat dictio; *Aliquando*, non poteſt autem dici, quod quis vexetur aliquo tempore, niſi interueniat aliqua continuatio vexationis, atque adeo per plures vices. vnde etiam *Cap. Communiter. eadem diſt.* promoueri prohibentur, qui vexantur. Non dicitur autem quis vexari, niſi continuetur vexatio. Quod præſertim verum eſt, quia vt quis arceatur a ſuſcipiẽdis ordinibus, vexatio debet eſſe certa, quia cum promouendus habeat ius certum ad illos ſuſcipiendos, niſi aliunde impediatur, non debet illo priuari ex impedimento incerto; neque ferri ſententia de inhabilitate fundata in incerto; vnicus autem actus vexationis, non poteſt reddere certum; quod quis ſubiaceat vexationi demonis

An ſi reſignans conueniat cum reſignatario de extinguenda penſione aliquot anticipatis ſolutionibus, & de deponenda pecunia apud idoneum virum ſub ea conditione, quod reſignans ſtatim illam recipiat, ac acceſſerit conſenſus Apoſtolicus de extinguenda penſione, committatur ſimonia. Quaſt. 303.

S V M M A.

1 *Reſignatio beneficiorum debet eſſe libera.*
2 *Penſio non poteſt redimi aut extingui abſq. beneplacito Apoſtolico.*
3 *Licet conuenire cum reſignatario de extinguenda penſione ſi Papa conſenſerit.*
3 *Quid ſit pactum.*

Quan-

3 *Quando tractatus induat rationem pacti, & pariat obligationem.*
3 *Conditio caſualis impedit ortũ obligationis.*
4 *Conditio ſuſpendit actum, & ea pendente actus non eſt perfectus.*
4 *Actus pendente conditione non eſt actus.*
4 *Gratia conditionalis non eſt perfecta.*
4 *Contractus conditionalis non eſt cõtractus.*
5 *Ea interpretatio facienda, quæ excludit delictum.*
6 *Tractatus de extinguenda penſione an ſit prohibitus.*
6 *Tractatus non eſt actus, ſed præparatio ad ipſum.*
7 *Tractatus de extinguenda penſione, cum clauſula, ſi Pontifex conſenſerit, euitat ſimoniam.*
7 *Conditio appoſita retrotrahitur.*
7 *Actus cenſetur factus ſub forma conditionis appoſitæ.*
8 *Depoſitum pecuniæ pro extinguenda penſione induceit pactum firmum.*
8 *Obligatio conditionata non poteſt reuocari pendente conditione.*

---

1 Reſignationem beneficiorum debere eſſe liberam, & puram ab omni pacto, & conditione, certum omnino eſt Cap. *Cum pridem.* & Cap. *fin.* De *pactis.* & Cap. *Ex parte.* De *offic. deleg.* & Cap. *Tua nos.* De *Simonia.* & notant communiter Doctores in dictum *Cap. Cum pridem.* Felin. *in Cap. Ad audientiam.* 2. *num.* 3 De *reſcriptis.* Rebuf. *in Praxi* Tit. *de pura reſignat.* Staphil. *De Litteris. gratiæ.* Tit. *Reſignationis modus. num.* 5. Coras. *De beneſ par.* 1. *cap.* 8. *num.* 12. Flamin. *De reſignat. lib.* 14. *in Præfat. nu.* 14. Gammar. *in Cap. Licet. num.* 134. & 151. De *rer. permut. in* 6. Geminian. *in Cap. Ordinarij.* §. *Conferendis. num* 3. De *offic. Ordinar. in* 6. Bonifac. de Vitalin. *in Clement vnic. num.* 1. De *rer. permut.* Zabarel. *in Cap. Cum dilecti num.* 2. De *præben.* Craueta *Conſil.* 122. *num.* 1. Oldrad. *Conſil.* 324. *nu.* 5. Cardinal. Paris. *in Cap. Venerabilis. num.* 45. De *exceptionib.* Redoan. *De ſimonia. par.* 2. *cap.* 10. *num.* 16. Iacob. de Riminal. *Conſil.* 91. *nu.* 1. Zech. *De beneſ. & penſionib. cap.* 13. *num.* 7. ver. *Secundo loco.* Tuſch. *Littera S. concluſ.* 253. Quia nimirum cum huiuſmodi reſignatio ſit de re ſpirituali, nempe de iure ad beneficium, res ſpiritualis ſubijcitur cõtractui. Vnde non eſt dubium, quod prædictum pactum ſit ſimoniacum, ſi habeat veram rationem pacti firmi, & ſtabiliti.

2 Quod præſertim verum eſt, quia penſio abſque auctoritate Pontificis nõ poteſt redimi, aut extingui, aliàs extinctio eſt nulla, & ſimoniaca, vt docent Vgolin. *De ſimonia in genere. tab.* 1. *cap.* 23. §. 3. *num.* 6. & 7. Nauar. *Conſil.* 52. *De præben.* & *Conſil.* 47. 60. 62 & 66. De *ſimon.* Adrian. *quodlib* 4. *ad* 5. Philiar. *par.* 2. *de offic. ſacerd. lib.* 6. *cap.* 34. *concluſ.* 3. Zechius *De beneſic. & penſion. c.* 11. *num.* 8. ver. *Quintodecimo.* Fuſch. *lib.* 12. *De viſitat. cap.* 26. *num* 40. Corduba *lib.* 1. *q.* 21. *pun.* 1. Salzedo *ad Prac. Diaz. cap.* 91. *littera* D. Zerola *in Praxi. par.* 2. *verbo.* Penſio. §. 8. & *verbo.* Pẽſionatius. §. 1. Flamin. *De reſignat. lib.* 6. *quæſt.* 2. *n.* 128. Quia cum ius ad penſionem ſit annexum ſpirituali, trahitur ab ipſo, & fit ſpirituale. arg. Cap. *Quãto.* De *iudicijs.* & ideo non poteſt venire in contractũ; nec cadere ſub pacto, vt latè Nauar. *Conſil* 58. *De præben.*

3 Quatenus tamen in dicto tractatu nihil ſtabilitur, quod firmum, & ratũ ſit: ſed ordinatur ad expectandum beneplacitum, quò ſolum ſuperueniente ſortitur ſuum effectum, non induit rationem veri pacti, ſed remanet in pura ratione tractatus. Cum enim pactum ſit duorum, vel plurium in idem placitum, & conſenſus *l.* 1. cum Gloſ. *ff. De pactis.* & dicatur quidam contractus, vt notat Gloſ. *in l.* 1. *ff.* De *act. & obligat.* Bald. *in Rubr. C. de pact.* Alexand. *in l.* 5. *init. ff.* De *verbor. obligat.* tractatus non induit veram rationem pacti, quouſque accedat vtrinque firmus, & abſolutus conſenſus, à quo non liceat recedere. In præſenti autem caſu tractatus caret tali firmo, & abſoluto conſenſu, quia expectat futuram conditionem conſenſus Apoſtolicici, in cuius tantum euentũ conſenſus fit abſolutus, & tractatus ſortitur ſuũ effectum pariendi vtrinque obligationem, *l. Neceſſario* §. *Quod ſi pendente. ff.* De *peric. & com. rei vend.* & *l.* Si

l. Si pecuniam. ff. Si cert. pet. vbi etiam Doctores. Conditio namque caſualis, qualis eſt aſſenſus principis, impedit ortum obligationis, donec purificetur. *l. Cedere diem. ff.* De *verbor. ſignificat.* vbi *Gloſ. verbo. Pendente.* & *l. Non omnis ff. Si cert. pet.* Gloſ. *magna in l. Item quia. §. fin. ff.* De *pactis*, Bald. *in 2. lect. num 3.* Angel. *num. 5.* verb, *in Gloſ.* Mantica *De tacit. & amb. lib. 14. tit. 32. nu. 7.* Rota *Deciſ. 567. n. 3. par. 3. Recent. apud Farinac.*

4 Conditio namq. ſuſpendit actum vſque ad euentum conditionis, & proinde ea pendente actus nō eſt perfectus *l. Ced re diem. ff. De verbor. ſignificat.* vt notant Surdus *Conſil. 186. num. 12.* Menoch. *Conſil. 63. num. 28. & 29.* Caſtillo *par 2. Controuer. lib. 5. cap. 119. nu. 7.* Vnde conditione pendente actus non dicitur actus. *l. Pecuniam, quam. ff. Si cert. pet.* vbi *Alexand, num. 4.* Nec gratia conditionalis eſt perfecta, & nondū habet rationem gratię Cap. *Si pro te. De reſcriptis. in 6.* vbi Gloſ. & Doctores. Vnde contractus quoque cōditionatus non eſt propriè cōtractus, vt dixit Aret *Conſil. 11. nu. 2.* quem ſequitur Menoch. *Conſil. 63. num. 30.* Et proinde prædictus tractatus remanet in ſuſpenſo vſque ad beneplacitum Apoſtolicum ſuperuenientem, nec perficitur, aut tranſit in pactū firmum, & ratum, atq. adeo non eſt illud pactum, quod dictum eſt prohiberi.

5 Quod preſertim eſt dicendū, quia illa interpretatio eſt ſumenda, qua delictum euitatur, vt docent Bart. *in l. Non ſolum. §. Sed vt probari. num. 2. ff.* De *oper. noui nunc.* Abbas *in Cap. Cum tu. De teſtib.* Socin. Sen. *Conſil. 2. lib. 4. & Conſil. 67. lib. 3.* Natta *Conſil. 549. num. 11.* Craſſetta *Conſil. 9. num. 20. & Conſil. 18. in fine.* Ruin *Conſil. 29. num. 10. lib. 1.* Iaſ. *Conſil. 170. lib. 2. & Conſil. 67. lib. 3.* Alcias. *De præſump. reg. 3. præſump. 1.* Farin. *in Praxi crimin. par. 3. q. 85. num. 1. & ſeq.* Menoch. *lib. 5. Præſumpt. 161. num. 26.* Maſcard. *De probat. Concluſ. 496.* Et ideo cum dictus tractatus poſsit accipi per modum puri tractatus, non debet accipi per modū pacti, vt excludatur delictum ſimonię, quod non venit in conſequentiam ad tractatum, cūm fit in ordine ad beneplacitum Apoſtolicum. Tractatus namque ex genere ſuo non eſt actus, pro quo fit, ſed pręparatio ad ipſum, vt notant Alexand. *Conſil. 25. nu. 5. vol. 2.* Alciat. *De præſumpt. reg. 2. Præſumpt. 24.* Abbas *Conſil. 54. par. 1. & Conſil. 116. circa finem. par. 2.* Roman. *Conſil. 91. n. 8. & ſequent.*

6 Hunc autem tractatum non eſſe prohibitum, ſed ſolum firmam, & ſtabilem pactionem, habetur ex Cap. *Cū pridem.* De *pactis.* vbi Doctores, & notat Caccialup. *De penſionib. quęſt. 19. n. 16.* Et in ipſo nullum vitium ſimoniæ includi tradunt Felin. *in Cap. Ad audientiam. 2. num. 3.* alios citans. *De reſcriptis.* & in Cap. *Non ſatis. in fine* De Simon. Gambar. *De legat. lib. de penſion. num. 116.* D. Antonin. *2. par. tit. 1. cap. 5.* ver *De renunciat.* Caccialup. *citata quæſt. 19. de penſionib. num. 1. & ſequent.* Gigas *item de penſionib. q. 4. num. 2.* Nauar. *in Manuali. c. 23. num. 107.* & Pontifex ſcit huiuſmodi tractatus præceſiſſe reſignationes, & cōcedit penſiones juxta conuentionem partium, quod ſufficit, vt reddat tutas conſcientias, vt notant Redoan. *De ſimon, par 3. cap. 13. num. 4.*

7 Et quod clauſula determinans tractatum, vt expectetur beneplacitum Apoſtolicum, & omnia Pontificis arbitrio remittantur, ſit congruum remediū ad euitandam ſimoniam, tradunt Felin. *in Cap. ad Audientiam. 2.* ver. *Si autem* De *reſcript.* Butrius *in Cap. Cum pridem.* De *pactis.* Ananias *in Cap, Audimus.* De *colluſ. deteg* Pręposit. *in Cap. 2. n. 5. cauſa 1. quæſt. 3.* Gigas. *De penſionib. q. 4. n. 2.* Caccialup. *De penſionib. quæſt. 19. nu. 6.* Pariſ. *De reſignat. lib. 6. quæſt. 2. nu. 7.* argum. ex Cap. 1. *De rer. permut. in 6.* Sotus *de Iuſt. & iure lib. 9. quæſt. 5. ar. 2. poſt 2. concluſ.* verb. *Attamen ſi fiat.* Nauar. *conſil. 48. in antiquis. & 33. in nouis n. 3. lib. 5. De ſimon.* Duran. *De condition. & modis impoſſib. par. 2. cap. 1. num. 110. & 111.* Rota *Deciſ. 538. num. 7. par. 4. tom. 2. Recent. & in Lucana iuriſpatronat. 25. Iun. 1638. coram Carillo.* Nam tunc nihil ſtatuitur, nec vlla fit conuentio, quæ nō ſubſiſtat

ex

ex beneplacito,& conceſsione Apoſtolica, quia conditio appoſita retrotrahitur, *l.Si filiusfamilias.init. ff.*De *verbor. oblig.*& *l.Lucius.ff.* Qui *pot.in pign.hab.*& notant Corneus. *in dict.leg.Si filiusſam.* Crot.*in l.Si is,qui pro emptor.num.*135.*ff.* De *vſucap.* Alciat. *Reſp.*131. *nu.*5. quos ſequitur Menoch.*Conſil.*240.*num.*49.& facit, quod actus cenſeatur celebratus eo modo, quo ſe habet purificata conditione, quia cùm ſit celebratus ſub illius expectatione, eſt etiam celebratus ſub illius forma, & ſpecificatione.

8 Quia tamen præter tractatum interuenit depoſitum pecuniæ, ratione cuius reſignatarius manet obligatus ad extinguendam penſionem, ſi Pontifex conſenſerit, & etiam ad expectandum euentum conditionis, & depoſitum pecuniæ eſt firmum,& ratum, ideo interuenit pactum firmũ, & inducitur, quod tanquam ſimoniacum prohibetur per tex. allatos *num* 1. Præſertim quia reſignans non reſignaret beneficium, niſi fieret depoſitum,& aſſumeretur obligatio expectandi cõſenſum Apoſtolicum. Quæ quidem obligatio pendente conditione non poteſt reuocari, vt loquentes de donatione conditionata. tradũt Tabiena *verbo*. Nouitius. *num.*12. Angelus *verbo*. Donatio 1. *quæſt.*15.Cephal.*Conſil.*312. *nu.*28. *&* 29. *vol.*3. Couarru. *lib.*1. *Variar. cap.*14. *num.* 16. Molina *tom.*2. *de iuſt.& iure diſp.*285. *concluſ.*4. Sanchez *lib.*7.*Sum.cap.*5. *num.*58. Dum autem naſcitur obligatio, non ſiſtitur in puro tractatu.

An, & à quo puniendus ſit relegatus, ſi poſtquam factus eſt clericus, non ſeruet terminos ſuæ relegationis. Quæſt. 304.

S V M M A.

1 *Relegatio pœna perſonalis.*
1 *Perſonalia ſequuntur perſonam.*
2 *Relegatus,ſi fiat clericus,& frangat relegationem, à quo iudice puniendus.*
2 *Perſona eccleſiaſtica non poteſt trahi ad iudicem laicum.*
3 *Laicus delinquens,ſi fiat poſtea clericus, nõ pertinet amplius ad forum laicale.*
3 *Etiamſi in fraudem aſſumat clericatum.*
4 *Clericus violans relegationem ſibi impoſitã, dum erat laicus,non ſubeſt pœna ordinariæ.*
5 *Clericus frangens exilium punitur à iudice eccleſiaſtico,etiam ſi poſtea fiat laicus.*
5 *Pertinet ad iudicem tueri ſuam ſententiam.*
6 *Clericus delinquens,ſi poſtea fiat laicus, poteſt puniri à iudice eccleſiaſtico.*
7 *Cauſa incœpta apud iudicem laicum continuatur apud ipſum reo facto clerico, & quomodo.*
8 *Iudex laicus non poteſt incipere nouam cauſam contra laicum,ſi ſit factus clericus, etiã ſi oriatur ex priori cauſa iã incœpta.*

1 QVod relegatio ſit pœna perſonalis,cum corpore ipſo ſubſtineatur,nulli dubium eſſe debet,argum. ex *l.*1.*§.*1.& *l.fin.ff.* De *munerib. & honorib.* Et proinde tãquã perſonalis pœna luenda ex iuſtitia videtur conſequi perſonam,etiam ſi ad ſtatum eccleſiaſticum tranſeat, quia perſonalia ſequũtur perſonã. *l. In omnibus ff.* De *reg.iur.* & Cap. *Priuilegium.* De *reg.iur.in* 6. Vnde ſi per hoc, quod relegatus aſſumat clericatum, non liberetur à relegatione, dubitatur, à quonam iudice ſit puniendus,an à laico,an verò ab Eccleſiaſtico,

2 Et reſpondendum eſt, *Non poſſe puniri à iudice laico, ſed ſolum eſſe puniendum à iudice Eccleſiaſtico;* quia licet pœna relegationis ſit impoſita à iudice laico,&proinde ipſe habeat ius illam exigendi,dum tamen perſona, à qua eſt exigenda,efficitur ordinis eccleſiaſtici, ſubtrahitur iuriſdictioni laicæ.& proinde violatio relegationis non ſubeſt eidẽ laicæ iuriſdictioni, ſicut non ſubeſt perſona, quæ nõ poteſt trahi ad iudicẽ laicum Cap.2.*De foro competenti,*& ſtatuitur in Can.15. *Bullæ Cœnæ*, Quod deſumitur ex Doctrina Bart. *in l.Aut damnũ. §. Quiſquis.ff.* De *pœnis.*vbi & alij Doctores. Duard. *in Bullam cœnæ.lib.*2. *can.*15.*quæſt.* 11.*num.*8. Marthæ *de iuriſd. par.*4.*caſu.*121.*nu.* 10. & *caſu* 176. Et in ſpecie tradunt Vincent. de Franch. *Deciſ.*395. Baiard.*ad Clar.quæſt.*36.*num.*4.

Gra-

Gratian. *Diſcep. Forenſ. cap.* 226. *num.* 35. Aluar. Valaſc. *Conſul.* 48. *lib.* 1. Capiblan. *De Baron. prag.* 6. *nu.* 193. quos ſequitur Eliſeus Danza *tom.* 1. *De pugna. Doctor.* Tit. *De Cler. cap.* 4. *n.* 25.

3 Quod amplius ex eo confirmatur, & à fortiori. Si enim quis exiſtens in ſtatu laicali cõmittat delictum, & poſteà efficiatur Clericus, non pertinet amplius ad forum ſæculare, ſed iudicari debet ab Eccleſiaſtico Cap. *Propoſuiſti. De foro competenti.* & *l. Si quis poſteaquam. ff.* De iudic. & tradunt Clar. *in Pract.* §. *fin. quæſt.* 36. *nu.* 38. A ponte de poteſt. proreg *tit.* 7. §. 7. *num.* 11. Cancer. *lib.* 2. *Variar. cap.* 2. *n.* 133. Scaccia *de re iud. par.* 1 *c.* 12. *n.* 1. Marta *De iuriſdic. par.* 4. *Cent.* 2. *Caſu* 121. *n.* 10. & 11. Valaſc. *Conſult.* 48. & 65. Plaza *in Epitome delict. lib.* 1. *c.* 35. Couarrũ. *Cap.* 32 *pract. q.* Bonac. *diſp.* 10. *de legib q.* 2. *punc.* 1. §. 1. *n.* 18. vbi alios citat; quòd non ſolum locum habet, ſi bona fide aſſumpſerit clericatum, ſed etiam ſi in fraudem, vt contra citatos tradunt Io. Andreas *in Cap.* 1. *De obligat. ad ratiocin.* vbi cœteri Doctores, Decian. *par.* 1. *tract. Crimin, lib.* 4. *cap.* 9. *num.* 60. teſtans de communi. Aufer. *De poteſt. ſæcul. ſuper eccleſiaſticas perſon. Reg.* 1. *num.* 19. Genuenſ. *in praxi. Cap* 9. *num.* 5. Vincent. de Franch. Deciſ. 209. Surd. *Deciſ.* 110. *num.* 3. Giurba *Conſil.* 15. *n.* 5. Ceuallos *par.* 3. *qu.* 1. *n.* 1020. & *ſequent.* Thorus *in Compend. Deciſ. verbo.* Relegatus. *pag.* 461. Anton. Crabr. *De metu lib.* 2. *c.* 10. *num.* 91. Farinac. *in Praxi crim. qu.* 8. *de Inquiſit. n.* 107. Nauar. *com.* 2. *de Regular. nu.* 60. Suarez *lib.* 4. *contra Reg. Angl c.* 15. *num.* 16. Tapia *lib.* 1. *de iure Regni. Tit.* 2. *num* 33. Carol. *De Graſ. de Cler. effect.* 1. *n.* 1074. Riccius *par.* 4. *deciſ.* 357. Horat. Perſius *Conſil.* 5. *criminal. n.* 1. Squillan. *De priuileg. Clericor. cap.* 7 *num.* 53. Quia cum priuilegium ſit conceſſum ſtatui clericali, habet locum in quacumque perſona, quę quocunq. modo acquirat talem ſtatũ; quia reſpicitur ſtatus ipſe, non autem modus, & intentio, quibus aſſumitur. Quod præſertim verum eſt, quia ſi intentio aſſumentis talem ſtatũ ſit ſe ſubtrahere iuriſdictioni laicæ, quia tamen in hoc vtitur iure ſuo, & proinde nemini facit iniuriam; cum ſit in poteſtate ipſius ſe ſubtrahere ad libitum; ideo non debet priuari priuilegio, quod ſecũ affert ſtatus aſſumptus. Vnde à fortiori, qui frangit relegationem, aut exilium, poſtquam effectus eſt clericus, non erit puniendus à iudice laico, quia agitur de nouo delicto commiſſo poſt aſſumptum clericatum.

4 Hinc in clerico violante relegationem ipſi impoſitã, dũ erat laicus, nõ habet locum pœna, de qua *in l. Relegati*, & *in l. Capitalium.* §. *In exulibus. ff.* De pœnis. vt ſcilicet debeat deportari. Nec, ſi frangat exilium, habet locũ pęna, *l. Aut damnum.* §. *Quiſquis. ff.* De pœnis. vt nimitum tempus exilij, quod ſupereſt, ei duplicetur, vt notat Duard. *in Bullã Cœna. lib.* 2. *can.* 15. *quæſt.* 11. *num.* 8. ver. *Nec ſi fuerit relegatus.*

5 Neque obſtat, quod Clericus mulctatus exilio, aut relegatione à iudice eccleſiaſtico, poſſit ab eodẽ iudice puniri, ſi poſtquam depoſuit clericatũ violet exilium, aut relegationem, vt contra Vincent. de Franchis *Deciſ.* 395. notant Genuenſ. teſtans de praxi in Curia archiepiſcop. Neapol. *in ſua praxi c.* 9. *n.* 3. Madius *De ſacris ordin. Cap.* 13. *num.* 44. Squillañ. *De priuileg. Cler. cap.* 7. *nu.* 108. Additionator *ad Duar. in Bullam cœnæ. lib.* 2. *can.* 15. *ad qu.* 11. *littera D.* Quia eſt diuerſa ratio, nam Clericus, dum efficitur laicus, nõ ſubtrahitur abſolutè iuriſdictioni eccleſiaſticæ, ſiquidem poteſt Tribunal eccleſiaſticum in ipſum exercere iuriſdictionem, quando cauſa aliàs ad ipſum pertinet. Vnde cum pertineat ad iudicem tueri ſuam ſententiam, & facere, ne ſit fruſtatoria *l.* 1. *ff.* Ne *vis fiat ei* &c. & tradunt Doctores cum Gloſ. *in Cap. Querenti.* De offic. *delegati*, poterit iudex eccleſiaſticus procedere contra laicum non ſeruantẽ exilium, aut relegationem, qua ab ipſo fuit mulctatus, dũ erat clericus. At hoc non poteſt iudex laicus circa clericum ab ipſo punitum, dum erat laicus, quia per mutationem ſtatus eſt omnino ſubtractus ab ipſius iuriſdictione, ita vt continuatio pœnę

nequeat

nequeat ipſius iuriſdictionem prorogare, vt docent communiter, præſertim citati *num.3.*

6 Et ob eandem cauſam clericus delinquens, etiam ſi poſtea fiat laicus, poteſt adhuc puniri à iudice Eccleſiaſtico, vt tradunt Gram. *Deciſ.* 10. Clarus *in pract. §. fin. queſt.* 36. *num.* 9. Vincent. de Franchis. *Deciſ.* 417. Camill. de Curte *in Diuer. iuris Feud. par 2. cap. 2. n.* 14. Farinac. *tract. crim. queſt.* 8. *n.* 66. teſtans de communi Genuenſ. *in praxi Cur. Archiep. Neap.* Cap. 9. *n.* 2. quia, cum nullum ſit obſtaculum, quominus laicus à iudice eccleſiaſtico puniri poſſit, attenditur ſtatus, in quo erat reus tempore delicti. quod non habet locum in iudice laico reſpectu clerici, qui nullam in ipſum exercere poteſt iuriſdictionem.

7 Nec item obſtat. Quod cauſa incœpta apud iudicem laicum, ſi reus efficiatur clericus, debeat ab eodem iudice laico terminari, vt docent communiter Io. Andr. *in Cap. 1. De obligat. ad ratiocin.* vbi, & cœteri Doctores. Auſer. *De poteſt. ſecular. ſuper eccleſias. perſon. reg.* 1. *num.* 19. Vincent. de Franchis *Deciſ.* 384. *num.* 9. Bart. *in l.* 1. *ff.* De *pœnis.* Bald. *in l.* 1. *&* 2. *s.* C. An *ſer. ex fac.* Su. Iaſ. *in l. Cum quadam. ff.* De *iuriſd. om. iud.* Couaruu. Cap. 32. *Pract. queſt. nu.* 4. ver. *Tertia concluſio.* Borgnin. Caualcan. *Deciſ.* 10. *num.* 2. teſtans de communi. Duar. *in Bullam Cœnæ. lib. 2. can.* 15. *queſt.* 11. *num.* 6. ver. *Quò verò.* Marta De *iuriſdict. par. 4. caſu* 121. *nu.* 20. Nauar. *Com. 2. De Regular. nu.* 60. Clar. *in pract. §. vlt. q.* 56. *num.* 43. Farinac. *in praxi crim. queſt.* 8. *de inquiſit. num.* 107. Suarez *lib. 4. contra Reg. Ang. cap.* 15. Rodriquez *tom. 2. queſt. Regular. queſt. 2. ar.* 3. Laiman *lib. 4. theol. moral. tract. 9. Cap. 4. num.* 12. ver. *Dico ſecundò.* Et Sixtus V. apud Rodriquez *citat.* tribuit iudicibus ſæcularibus facultatem procedendi contra eos, qui fiunt religioſi poſt acceptatam accuſationem, aut inſtitutam inquiſitionem. Vnde cum iudex laicus incœperit Iudicium, poterit etiam illud perducere vſque ad perfectam exequutionem ſententiæ, atque adeo tueri ſuam ſententiam, quouſque pœna impoſita completa ſit.

8 Huic enim obiectioni reſpon. quod incœpta cauſa poteſt iudex procedere contra eum, qui aſſumit clericatum condemnando in bonis, non autem contra perſonam, vt etiam diſtinguunt Doctores modo citati, & perducendo cauſam ad finem. Vnde non extenditur iuriſdictio ipſius ad continuandum bannũ, aut relegationem, & proinde nec ad puniendũ, ſi frangatur, quia hoc eſſet exercere iuriſdictionem in ipſam perſonam, quia bannus, & relegatio eſt immediatè circa perſonam. Deinde cauſa cœpta contra laicum, qui fiat clericus, poteſt à iudice ſæculari continuari vſq; ad complementum, non autem incipere contra ipſum nouam cauſam, quamuis conſurgat ex priori terminata, quia cum fiat mutatio ſtatus, fit etiam mutatio tribunalis, ad quod pertinent cauſæ omnes emergentes poſt mutationem ſtatus per ea, quæ tradunt Doctores *in Cap.* 1. *De obligat. ad ratiocin.* Io. Andr. Butr. & alij à Bart. *in l.* 1. *in fine ff.* De *pœnis.* Bald. *in l.* 1. *num.* 4. C. An *ſer. ex ſuo fac.* A ponte De *poteſt. proreg. tit. 7. §. 7. num.* 14. *& ſequen.* quia, vt dicebatur *n.* 5. ponitur obſtaculũ per mutationem ſtatus, ne iudex laicus tueri poſſit ſuam ſententiam, ſi violetur.

An ceſſet pœna exilij, aut relegationis, ſi exul, aut relegatus tranſeat ad ſtatum eccleſiaſticum. Quæſt. 305.

SVMMA

1 *Promotio ad clericatum an auferat pœnam impoſitam à iudice laico. & num. 3.*
2 *Pœna delicti non tollitur per ſacramentum baptiſmi.*
3 *Bannitus, & relegatus admiſſus ad clericatum præſumitur diſpenſatus ſuper inhabilitate.*
4 *Relegatus an ſit infamis.*
5 *Per admiſſionem ad clericatum tollitur infamia.*
5 *Clericatus eſt dignitas.*
5 *Clericatus conſecrat Deo, & eſt quadam participatio ſacerdotij.*
5 *Infamia excluditur à dignitatibus.*

Plus

5 *Plus eſt facto diſpenſari, quàm verbis.*
6 *Bannitus habetur pro mortuo, & hoſte ciuitatis.*
6 *Clericus non eſt perſona priuata.*
6 *In quorum ordine ſit.*
7 *Tranſitus ad ſtatum eccleſiaſticum ſoluit ſubiectionem laicam, & ipſius effectus.*
7 *Sublata cauſa tollitur effectus.*
8 *Secus, ſi effectus ſit cõſumatus, dummodo non dependeat in conſeruari à cauſa.*
8 *Pœna dependet in conſeruari a iuriſdictione.*
9 *Laicus factus clericus poteſt relinquere tutelam.*
9 *Dignitas ſuperueniens ſoluit præcedentem obligationem.*
10 *Extincta iuriſdictione extinguitur omne ius fundatum in ipſa.*
10 *Ius exigendi pœnam ceſſat ceſſante iuriſdictione in perſonam.*
10 *De correlatiuis idem iudicium.*

---

1 QVod dictum eſt *in præcedenti quæſt.* procedit ex ſuppoſitione, quod duret pœna luenda non obſtante aſſumptione clericatus, quod tamen difficultate nõ caret; & ideo hoc modò eſt examinandum. Quod autem promotio ad clericatum, & ſtatum eccleſiaſticum non auferat pœnã à iudice laico per ſententiam inflictam, tradit Duard. *in Bullã cœnæ lib 2. can. 15. quæſt. 11. num. 9. & 10.* Quia Pontifex non cenſetur auferre mulctam, ſi nõ reſpectu ſæcularis iuriſdictionis, ſaltem reſpectu priuatę perſonæ, quia iã iudex laicus, licet non habeat amplius iuriſdictionem ad illam exigendam iuriſdictionali modo, habet tamen ius acquiſitum, & ideo tanquam priuata perſona poteſt ipſam repetere.

2 Citat pro ſua ſententia Gloſ. *in Cap. Gaudemus.* De *diuortijs* Butrium *ibid.* Dec. *Conſil.* 130. quatenus docent, quod pœna criminalis delicti non tollitur per ſacramentum baptiſmi; vnde nec etiam tolletur per ſacramentum Ordinis. Verum eſt diuerſa ratio de ſacramento baptiſmi, ac de ſacramento Ordinis, nam baptiſmus, quamuis incorporet Eccleſię, non eximit tamen à iuriſdictione, & poteſtate ciuili, ſeu politica, ſed relinquit ſubiectionem ad ipſam, & ideo nil mirũ ſi non tollat effectus iuriſdictionis ciuilis, cum neque tollat ipſam cauſam. At ſacramentum ordinis eximit omnino à poteſtate laica, ſeu ciuili.

3 Contrarium *mihi videtur probabilius*, quia quando Bannitus, aut Relegatus aſſumit clericatum, & tranſit ad ſtatum eccleſiaſticum cum licentia Summi Pontificis, quam ſuppono interuenire, cenſetur cum ipſo diſpenſari ſuper inhabilitate, quam habet ratione pœnæ, quam ſubſtinet intuitu præteriti delicti, vt notant Abbas *in Cap. Innotuit. num. 7.* De *elect.* & Roman. *Conſil. 216. n. 6. & 8.* vnde etiam cenſetur diſpenſari cum ipſo ſuper pœna exilij, aut relegationis, ſi quidem quandiu ipſa manet, cenſetur etiam remanere inhabilitas, cum in ea repræſentetur delictum, ob quod fuit inflicta, atque adeo etiam ipſa turpitudo, & inhabilitas.

4 Quod etiam ex eo confir. nam Relegatus eſt infamis, vt ait Bald. *in l. Is, cui. §. Si quis ob carnem. ff.* De *teſt.* quod licet forte verum non ſit de quocunque relegato ſecundũ ius ciuile, ſi relegatio ſit ad tempus, ſecundum tamen ius canonicũ valet de omni relegato, & etiam de bannito, nam ſecundum ipſum omnia crimina publica ſunt, vt oſtenſum eſt *Centur. 2. quæſt. 131. num. 6.* per ibi allogata. Vnde vt *ibid. nu. 3.* ſimiliter oſtenſum eſt, damnatus de aliquo crimine per ſententiam iudicis remanet infamis. Et ideo cum per admiſſionem ad ſtatum eccleſiaſticum tollatur infamia, tollitur etiam pœna, quæ in ſe continet infamiam tãquam irrogata per iudicis ſententiam.

5 Quod autem per admiſſionem ad clericatum tollatur infamia, ex eo colligitur, quod nudus clericatus ſit dignitas, vt tradunt Gloſ. *in Cap. Deniq; verbo.* Dignitas. *Diſt. 4.* & *in Cap. 1. verbo.* Dignitati. *De vita, & honeſt. Clericor.* Caſtrenſ. *in l. Officiales.* ver. *Nota etiam.* C. De *Epiſcop. & Cler* Geminian. *in Cap. Denique. 4. Diſt. 4* Barbat. *Conſil. 51. num. 9. lib. 3.* Bar. *Conſil.* 180. Bimius *Conſil.* 109. *num.* 38. *lib. 2.* Franciſ. Monal. *Conſil.* 150. *num.* 77. *lib. 1.* & *Conſil.* 162. *num.* 14. *lib. 2.* Lappus *Allegat.* 101. *num.* 17. Balzer. *in Cap. 1. §.*

Si *clericus num.* 1. De *pace tenen.* Corrad. *in Templ. om. iud. lib.* 2. *cap.* 1. *num.* 7. *quaſt.* 1. Pacian. *tract. Cui incumb. on. prob. negat. lib.* 2. *Cap.* 34. *num.* 1. Brunor. à Sole *in compen. reſol. propoſ. iur.* verbo. *Clericus.* 1. Carol. de Graſ. *de effect. Cler. in Prælud. num.* 382. Squillan. *De priuileg. Cler. c.* 14. *num.* 10. Clericatus namque transfert ad ſtatum nobiliorem, & conſtituit in ſortẽ Domini conſecrans Deo; & eſt quædam participatio ſacerdotij, & gradus ad ipſum, & proinde participat etiã de dignitate ſacerdotij, quę eſt omnium maxima Cap. *Quis dubitet. Diſt.* 69. & Cap. *Solitæ.* De *maiorit. & obed.* & Cap. *Si Imperator. Diſt.* 96. Vnde cum infamia excludat à dignitatibus *l. Infamia.* C. De Decurion. & Cap. *Inter dilectos.* De *exceſſib. prælat.* & notant Bald. *in l. Fratres.* C. De *inoffic. teſt.* Bart. *in l.* Si *cui.* §. *Si quis alias. ff.* De *teſt.* Caſtrenſ. *Conſil.* 199. Eo ipſo, quod quis ſcienter admittitur ad clericatum, facto ipſo diſpenſatur ſuper infamia, & ſtatus eccleſiaſticus ipſam abolet, quia plus eſt facto diſpenſari, quàm verbis, ſiquidem factum præualet verbis. *l. Si tamen* §. *Si ei, qui ff.* De *ad. l. edict.* & *l.* Non *dubium.* C. *De legib.* & Cap. *Legabatur.* De *maiorit. & obed.* & Cap. *Dilecti filij.* 1. De *appellat.* vbi Dec. & tradunt Bald. *Conſil.* 400. ver. *Nec refert, vtrum. lib.* 4. Roman. *Conſil.* 291. *nu.* 4. ver. *Quinimo.* Alexan. *Conſil.* 127. *lib.* 5. Socin. *Conſil.* 64. *lib.* 2. Abbas *Conſil.* 116. *num.* 3. *lib.* 2. Iaſ. *Conſil.* 153. ver. *Confirmantur prædicta. lib.* 2.

6 Rurſus bannitus habetur pro mortuo, & reputatur tanquam ſi non eſſet in rerum natura. *l. Actione.* §. *Publicatione. ff.* Pro *ſocio.* Imo habetur tanquam hoſtis ciuitatis, & inimicus patriæ *l.* 3. §. *Transfugas. ff.* Ad *leg. Cornel. de ſicar. & l. Amiſſione.* §. *Qui deficiunt. ff.* De *capite minut.* E contra verò clericatus eſt dignitas eleuans ad ſortem Dei, vt dicebatur. *num. praced.* & proinde Clerici non ſunt perſonæ priuatæ, vt notat Gloſ. *in Cap. Deniq; verbo.* Dignitas. *Diſt.* 4. per text. *Qui contra.* 24. *Quaſt.* 1. Et ſunt in ordine eorum, qui diuina adminiſtrant Cap. *Denique. Diſt.* 96. & qui tanquam mediatores inter Deum, & homines interpellant pro populo, & peccata populi comedũt, quia ſuis precibus, & oblationibus ea delent, atque conſumant. Cap. *Ipſi.* 1. *Qu.* 1. & per quos benedictio Dei ſuper populũ deſcendit. Cap. *Dictum eſt. eadem quaſt. & Cauſa.* & qui Angeli, & Dij appellãtur, atque adeo à Principibus ipſis honorandi ſunt. Cap. *Sacerdotibus* 11. *Qu.* 1. & Cap. *Futuram.* 12. *Quaſt.* 1. Cum hoc autem ſtare non poteſt, quod habeantur pro mortuis, & reputentur tanquam ſi non eſſent, & quod tanquam hoſtes ciuitatis, & inimici patriæ habeãtur, & proinde per aſſumptionem ad ſtatũ eccleſiaſticũ debet ceſſare exiliũ, & relegatio.

7 Accedit etiam. Quod promotio ad ſtatum eccleſiaſticum eximit omnino à iuriſdictione, & poteſtate laica, atq; adeo ſoluit ſubiectionem reſpectu ipſius, vt inter alia decernit Leo X. Sacro approbante Concilio Lateranenſi *ſeſſ.* 9. *in Bulla*, quæ incipit. *Supernæ diſpoſitionis arbitrio.* De *reformatione Curiæ &c.* ibi. *Et cum à iure tàm diuino, quàm humano laicis nulla poteſtas in eccleſiaſticas perſonas attributa ſit;* ergo tollit etiam effectus ſubiectionis, quia ſublata cauſa tolluntur etiam effectus, qui ab ipſa proueniunt *l. Adigere.* §. *Quamuis. ff.* De *iurepatron.* & *l. Si pater. ff.* De *hered. inſtit.* & Cap. *Magnæ. in fine.* De *voto* & Cap *Cum ceſſante.* De *appellat.* ergo ceſſat etiam pœna, quia luere pœnas inflictas ab alio eſt effectus quidẽ iuriſdictionis ſupra punitum.

8 Et quamuis quando cauſa producit effectum perfectum, & conſumatum, non ceſſet effectus illa ceſſante *l. fin. init. ff.* Vnde *liberi. & l. Sancimus.* C. De *adminiſtr. tut.* & explicant Tiraquel. *tract. Ceſſante cauſa. limit.* 12. *num.* 2. Molin. *De ritu Nupt. lib.* 3. *quaſt.* 25. *num.* 34. Surd. *Conſil.* 250. *num.* 24. Giurba *Ad conſuet. Meſſan. cap.* 7. *gloſ.* 2. *num.* 6. *par.* 1. Hoc tamen ſolum procedit, quando effectus non dependet in conſeruari à cauſa, nã tunc, etiam ſi ſit perfectus, corruit deficiente cauſa. Pœna autem inflicta iuriſdictionali modo, quandiù continuatur, eſt exercitium continuum ſubiectionis reſpectu infligentis nam eſt continuata quædam ſolutio debiti contracti per delictum in or-

ordine ad legalem iuſtitiam, quæ cum reſpiciat debitorem tanquam inferiorē, & ſubditum, facit, vt continuò exerceatur ſubiectio. Rurſus cum punitio ſit ordinatio quædam, qua delinquens reducitur in ordinem, quem in communitate præſcribit iuſtitia legalis, vt ordinatè omnia ſe habeant, ex qua praua voluntas, quæ per delictum extra ordinem facta eſt, reducitur ad debitum ordinem iuxta doctrinam D. Auguſt. *in Enchirid. cap.* 11. & *lib.* 11. *de Ciuit. Dei. c.* 13. & *lib.* 14. *c.* 26. *in fine.* ſequitur, quod etiam ſit pars illius ordinis, quem inſtituit politia ciuilis coercitiuo modo, quando ab ipſa prouenit. Vnde cum tollatur ſubiectio reſpectu ciuilis poteſtatis, tollitur etiam continuatio punitionis per luitionem pœnæ tanquam ea, in qua exercetur ſubiectio, & ordo coërcitiuæ poteſtatis.

9 Hinc quando laicus promouetur ad ſtatum eccleſiaſticū, poteſt relinquere tutelam, quam ſuſceperat per *Cap.* 1. *iuncta Gloſ. De obligat. ad ratiocin.* & tradunt Specul. *Tit. De tutore.* §. *Generaliter. num.* 11. Paul. Montan. *de tutel. cap.* 35. *num.* 19. quos ſequitur Squillan. *De priuileg. Cler. cap.* 14 *num.* 9. Quod ſatis indicat, ſolui per promotionem ad ſtatū eccleſiaſticum obligationem contractā reſpectu poteſtatis, & iuriſdictionis ciuilis quia fit tranſitus ad ſtatum digniorē, & nobiliorem, qui omnino à tali poteſtate eximitur. Vnde habet locum, quod dignitas ſuperueniens ſoluat præcedentem obligationē, etiam voluntariè cōtractam iuxta tex. *l. Interdum. ff.* De *operib. liber.* ibi. *Si liberta, quæ operas promiſit, ad eam dignitatem perueniat, vt inconueniens ſit præſtare patrono operas, ipſo iure hæ intercident.* Eſt autē inconueniens, quod eccleſiaſticus luat pœnas laicæ poteſtati à qua omnino exemptus eſt; & ideo ratio legis militat etiam in præſenti noſtro caſu.

10 Quod autem pro oppoſita opinione allatum eſt, facilè ſoluitur. Si enim iudex laicus non habet amplius iuriſdictionem ad exigendam pœnam, nec etiā habet amplius ius aliquod ad ipſam, ſiue vt perſona publica, ſiue vt priuata. Nam obligatio ad pœnam non eſt obligatio iuſtitiæ commutatiuę, ſed ſolum iuſtitiæ legalis, ex qua ſolum oritur & ius ad pœnam exigendam, & obligatio ad ſoluendam. Vnde cum iuſtitia legalis non ſit iuſtitia priuata, ſed publica fundata in iuriſdictione; ſi quidem reſpicit regimē communitatis, extincta iuriſdictione extinguitur etiam iuſtitia legalis, atque adeo etiam ius in ipſa fundatū, quia nō poteſt exerceri ius cū eo, cū quo non poteſt exerceri iuſtitia. Ex quo fit quod extinguatur omne ius, quod laicus iudex habet ad repetendam pœnam ab eo, qui promouetur ad ſtatum eccleſiaſticum. Si autem extinguitur ius, extinguitur etiam debitum, qua punitus tenebatur luere pęnam, quia ius, & debitum ſunt correlatiua, & de correlatiuis eſt idem iudicium *l. fin. ff.* De *acceptilatione.* & *l.* Si *quis ſeruo.* C. De *furtis.* & vno deſtructo deſtruitur & aliud *l. Filio.* §. *Matri. ff.* De *adimen. legat.*

An Vicarius Epiſcopi poſſit recipere ad habitum monachalem puellam iam capitulariter à Monialibus acceptatam, ſi Epiſcopus abſens prohibeat Abbatiſſæ, ne illam recipiat. Quæſt. 306.

S V M M A.

1 *Acceptare aliquem ad habitum apud Regulares pertinet ad Monaſterium.*

1 *Sine contrahentium conſenſu non ſubſiſtit contractus.*

2 *Epiſcopus non poteſt cogere Moniales, vt aliquam puellam recipiant.*

3 *Epiſcopus, & Vicarius poſſunt recipere ad habitum, & profeſſionem cum conſenſu monaſterij ſubiecti.*

4 *Si Epiſcopus prohibeat Monialibus, ne aliquam recipiant ad habitum, non poteſt Vicarius recipere.*

4 *Cauſa impedita impeditur effectus.*

5 *Vna via prohibitum non cenſetur alia permiſſum.*

6 *Inferior non poteſt ſe ingerere in ijs, in quibus ſuperior manum appoſuit.*

Iuriſ-

7 *Iuriſdictio Vicarij dependet ab Epiſcopo, & eſt ab ipſo reuocabilis.*
7 *Poteſt reſtringi.*
7 *Epiſcopus trahens ad ſe aliquod negocium, cenſetur, quò ad illud reſtringere iuriſdictionem Vicarij.*
8 *Prohibitio perſonalis non ſe extendit ad alias perſonas.*
9 *Prohibitio directa in rem eſt realis, licet inſtimata perſona.*
10 *In prohibitione attenditur ratio, & iuxta ipſam cenſetur realis, vel perſonalis.*

---

1 CErtum debet eſſe, quod niſi acceptetur capitulariter à Monaſterio, non poteſt indui habitu religionis. Quia acceptatio ad habitum religionis pertinet ad monaſterium, niſi aliter per ſpeciales regulas, aut conſtitutiones, aut priuilegia ſtatuatur. vt deſumitur ex Cap. *Ad Apoſtolicam*, & ex Cap. *Porrectum*. De regularib. & Cap. *Vidua* 20. *Qu.* 1. & tradunt communiter Gloſ. *in Cap. fin.* De *Regular. in* 6. Io. Andr. Archidiac. Ancharan, Franc. *ibid.* Nauar. *lib.* 1. *Conſil.* 9. *num.* 12. De *conſtit. in* 2. *edit.* & *lib.* 3 *Conſil.* 17. *num.* 2. De *voto. in* 2 *edit.* Abb. *in Cap. Ad Apoſtol. num.* 31. De *Regularib.* Hoſtienſ. *in Cap. Conſuluit. num.* 1. *Qui clerici, vel vouentes*. Dominic. *in Cap. Cōſtitutionem.* §. *In alijs. num.* 6. De *regular. in* 6. Henr. *in dict. Cap. Porrectum. nu.* 4. De *regular.* Roſella *verbo.* Nouitius. *n.* 6. Sanchez *lib.* 4. *Sum. cap.* 16. *num.* 52. Miranda *tom.* 1. *Manual. quæſt.* 15. *ar.* 1. & 2. Rodriquez *tom.* 3 *quæſt. Regular. qu.* 17. *ar.* 11. Hieronim. Rodriquez *in Compend. quæſt. Reg. Reſolut.* 101. *num.* 1. Et loquentes in ſpeciali de Monialibus Felin. *in Cap. Quoniam. num.* 1. De *ſimonia*, Lappus *allegat.* 31. *num.* 1. Vechius *in Praxi Nouitior. diſp.* 7. *dub.* 2. *nu.* 2. Tāburin. *De iure Abbatiſſar. diſp.* 4. *quæſt.* 1. *num.* 1. Bonac. *quæſt.* 2. *de Clauſura*, *pun.* 10. *difficul.* 2. §. 6. *num.* 2. Bordon. *De profeſſ. Reg. cap.* 3. *quæſt.* 7. Cum enim admiſſio ad habitū ſit quædam inchoatio incorporationis ad religionem, & quidam contractus, quo receptus ſe tradit probandum religioni, & religio ſe obligat probare, & viciſſim ſe exhibet probandum, requiritur conſenſus conuentus, cum ſine contrahentium conſenſu non poſſit ſubſiſtere contractus. *l.* 1. *ff De pactis.* & Reg. *Contractus*. De *reg. iur. in* 6.

2 Quod adeo verum eſt, vt ſi Epiſcopus compelleret Moniales ſibi ſubditas, aliquam puellam ad Nouiriatum recipere, poſſent renuere, & interponere appellationem ad ſuperiorem, vt notant Bellam. *in cap. fin. num.* 1. *cauſa.* 16. *Q.* 7. Archidiacon. *ibid. nu.* 2. Turrecrem. *ibid. nu.* 1. quia cum ius acceptandi pertineat ad monaſterium, non poteſt ipſo priuari, & proinde non poteſt cogi ad acceptandam puellam, quam non vult acceptare,

3 E contra verò poteſt Epiſcopus vel eius Vicarius recipere ad habitum, vel profeſſionem in Monaſterijs Monialium ſibi ſubiectis, vt docet Roſella *verbo.* Nouitius. *num.* 21. Armilla *ibid. num.* 11. Tabiena *quæſt.* 8. *num.* 9. Cuchus *lib.* 3. *Inſtit. maior. Tit.* 1. *num.* 62. Rodriquez *tom.* 3. *Quæſt. Regula. quæſt.* 17. *ar.* 11. Nauar. *lib.* 3. *Conſil.* 40. *n.* 2. & *ſeq.* De *regularib. in* 2. *edit.* & *Conſil.* 6. *in* 1. *edit.* Sanchez *lib.* 5. *Sum cap.* 4. *nu* 74. *in fine.* Rubeus *in Apboriſ. epiſcop. verbo.* Profeſſio. *num.* 4. Bordon. *Cap.* 3. *de Profeſ. regul. num.* 5. *in fine.* Quod tamen debet intelligi, vt explicant Armilla, Roſel. Sylueſter, Tabiena, Cuchus, Nauar. Rodriquez, Rubeus, Sanch. Bordonus, ſi interueniat conſenſus Monaſterij, quia, cum ſit ſuperior Monialium, poteſt repræſentare conuentum in tali receptione; quia tamen agitur de re, quę tangit totum Monaſterium, non poteſt hoc facere ſine conſenſu ipſius, aliàs priuaret Monaſterium ſuo iure.

4 His autem pręmiſſis reſoluitur propoſita difficultas pro parte negatiua. nimirum, *Vicarium in abſentia Epiſcopi non poſſe admittere ad habitum puellam à conuentu capitulariter acceptatam, ſi ſuperueniat prohibitio Epiſcopi facta Abbatiſſæ, quod non admittat dictam puellam*. Hoc autem ex eo deſumitur quod prohibitio facta abbatiſſæ, ne recipiat puellam iam capitulariter acceptatam, reſpicit exequutionem capitularis de-

determinationis, cui ponit obſtaculũ, ne poſſit exequutioni mandari, & dirigitur ad Abbatiſſam tanquam ad illam, ad quam pertinet capitulares determinationes exequutioni mandare. Vnde cum dicta prohibitio ſiſtat curſum capitularis determinationis, non poteſt habere exequutionem, quia cauſa impedita, impeditur etiam effectus ipſius, quia ceſſat eius cauſatio, & proinde etiam effectus l. *Adigere. §. Quamuis. ff. De iurepat* & Cap. *Cum ceſſante* De *appellat*. Et proinde non poteſt Vicarius recipere talem puellam ad habitum, cũ hoc tantum poſſit facere in virtute capitularis determinationis, vt conſtat ex dictis *n. praeced.*

5 Præſertim quia, quod vna via eſt prohibitum, non cenſetur alia permiſsũ. *l. Quod dictum. ff.* De *pactis*. & *l. Seius, & Augerius. ff.* Ad *leg. Falcid.* & *l. Scire oportet. §. Si mater. ff.* De *tut. & curat.* & *l. Queritur. ff.* De *bon. libert.* ibi *Ne qui ſuo nomine à bonorum poſſeſſione ſubmoueantur, per alios eam conſequantur.* & Cap. *Quod vna.* De *reg. iur. in* 6. Vnde cum ſit prohibita receptio dictæ puellæ per Abbatiſſam, nõ eſt cenſenda permiſſa per Vicarium, aliàs fruſtratoria eſſet prohibitio.

6 Imo cum Epiſcopus manum appoſuerit negotio receptionis puellæ ad habitum religioſum, non poteſt Vicarius ipſius tanquam inferior in ipſo ſe ingerere Cap. *Vt noſtrum*. De *appellat.* & per ea, quæ tradunt Gonzalez *De menſibus gloſ.* 52. *num.* 27. Couaruu. *cap.* 9. *Pract. nu.* 4. Valeſc. *Conſult.* 105. *num.* 63. Innocent. *in cap. Cum M. Ferrar.* De *conſtit.* Bald. *in Cap.* 1. §. *Adhęc.* De *pace iuram. firm.* & *in l. Sicut proponis.* 1. C. Quomodo, & *quando iudex.* Salicet. *ibid.* Imola *in l. Si expreſſum. ff.* De *appellat.* Iaſ. *Conſil.* 9. *num.* 1. *lib.* 3. Alban. *conſil.* 73. *num.* 1. Menoch. *Conſil.* 301. *nu.* 4. Quando enim princeps manum apponit alicui negocio, cenſetur ſibi aſſumere, & reſeruare illius cognitionem; inferior autem non poteſt ſe immiſcere in reſeruatis ipſi Superiori.

7 Et eo magis hoc locum habet in præſenti caſu, in quo agitur de Vicario reſpectu Epiſcopi. Iuriſdictio namque Vicarij eſt iuriſdictio dependens ab Epiſcopo, & eſt reuocabilis, vt docent communiter Gloſ. *in Clement. fin.* De *procur.* & *in Clement. Etſi principalis. verbo.* Per electionem. *De reſcriptis.* Ancharan. *ibid.* Cardin. *ibid. n.* 10. Panorm. *nu.* 9. Bertachin. *lib.* 4. *De Epiſcop. par.* 6. Tit. *De vicario Epiſcopi. nu.* 9. Sbrozzius *De offic. Vicarij lib* 3. *quaeſt.* 32. *num.* 3. alios citans Galet. *Verbo.* Vicarius. *nu.* 192. Paain. *De offic. & poteſt.* Capit. *Sede Vacante par.* 2. *q.* 10. *num.* 7. Rebuf. *in Pract. Benef. Tit. De forma Vicarij. nu.* 192. Barboſa *De poteſt. Epiſcopi. par.* 3. *allegat.* 54. *num.* 170. Et à fortiori poteſt reſtringi, vt in aliquo negocio non poſſit procedere, vt quando Epiſcopus auocat ad ſe aliquam cauſam, quemadmodum docent Geminian. *in Cap. Licet. num.* 11. De *offic. Vicarij in* 6. Franc. *ibid.* ver. *Secundo limita.* Panorm. *in Cap. Si quis contra. nu.* 30. De *foro competenti* Calderin. *Conſil.* 2. *De offic. Vicar.* Riccius *Deciſ.* 158. *iur. Archiep. Neapol. par.* 1. Cum ergo iuriſdictio Vicarij ſit ad libitũ reſtringibilis ab Epiſcopo, eo ipſo, quod prohibet, aliquid fieri, quod aliàs poteſt à Vicario exequutioni mandari, cenſetur reſtricta eiuſdẽ iuriſdictio, quia ad ſe trahit illud negocium per ea, quæ tradunt Innocent *in cap. Cum M. Ferrarienſis.* De *conſtit.* Dec. *ibid. num.* 36. Ripa *num.* 197. teſtans de communi. Calder. *Conſil.* 7. *de præben.* Capel. Tholoſ. *Deciſ.* 480. vbi Aufer. *in adnotat.*

8 Nec dici poteſt, quod pręd¡cta prohibitio ſit perſonalis facta ipſi Abbatiſſę, & proinde non extendatur ad alias perſonas, præter Abbatiſſam iuxta id, quod tradunt Bar. *in l. Pater filium. §. Fundum. ff.* De *legat.* 3. Ripa *in l. Filiuſfamilias. §. Diui. num.* 108. *ff.* De *legat.* 1. Iaſ. *ibid. nu.* 152. Roman. *in l. Siquis filium. §. fin. nu.* 6. *ff. De acquir. hæred.* Caputaquen. *Deciſ.* 23. *num.* 2. *par.* 2. Seraphin. *Deciſ.* 482. *n.* 2. Penna de fideicom. *quaeſt.* 2. *nu.* 37. Fuſar. *de Subſtit. quęſt.* 673. *n.* 17. Rota *Deciſ.* 397. *n.* 17. *p.* 5. *Recent.* Quia nimirum perſonalia non egrediuntur ipſam perſonam.

9 Nam reſp. huiuſmodi prohibitionẽ non eſſe perſonalem, quaſi ſit facta intuitu Abbatiſſæ, quaſi velit Epiſcopus, puel-

puellam non recipi ad habitum ab ipſa Abbatiſſa; non curet autem, quod alio modo recipiatur; ſed eſſe realem, & dirigi in ipſam receptionem puellæ, & ſolũ intimari Abbatiſſæ, vt ipſi curæ ſit exequutio illius. Prohibitio autem, quæ dirigitur in rem ipſam, eſt realis iuxta ea, quæ tradunt Craſſus *De ſucceſ. §. Fideicõmiſſum. quæſt. 5. in fine*, teſtans de communi Fulgoſ. *Conſil. 116. init.* Capic. *Deciſ. 108. init.* Tuſch. *littera P. Concl.* 896. *num.* 6.

10 Quod etiam ex eo colligitur; quia non adeſt ſpeciale motiuum, quod dicta puella non recipiatur ab Abbatiſſa, quod ſe teneat ex parte Abbatiſſæ, & proinde coarctet prohibitionem ad ipſam; ſed cauſa, & motiuum ſe tenet ex parte puellæ, quia non iudicat expedire, quod recipiatur. In prohibitione autem attenditur ratio, & extenditur iuxta ipſam, etiamſi aliàs perſonalis eſſet, vt tradunt Paris. *Conſil. 32. num. 37. vol. 1.* Mandoſ. ad Roman. *Conſil* 4 ε 7. ver. *Ad hæredes.* Villalob. *in Commun. opin. ver.* Alienationis. *num.* 92. Bart. *in l. Filiusfamil. §. Diui. ff.* De legat. 1. Burſat *Conſil.* 13. *n.* 5. & *Conſil* 17. *num.* 13. Craſ. *De ſucceſ. §. Fideicom. quæſt. 5. n.* 11. Viuius *lib. 2. commun. Opin. Reg.* 108. verbo. *Extenſio.* Couaruu. *lib. 3. Variar. Reſol. cap. 5. n.* 4. Tuſch. *Littera P. concluſ.* 896 *num.* 11. Vnde cũ ratio prohibitionis ſe teneat ex parte puellæ, ipſius receptio erit prohibita reſpectu cuiuſcunque.

An in ijs, quæ nullo præmiſſo proceſſu per ſecreta ſuffragia determinantur, habeat locum appellatio. Quæſt. 307.

S V M M A

1 *In omni caſu eſt licita appellatio.*
1 *Recurſus ad ſuperiorem ſemper debet patere.*
2 *Appellatio non habet locum in ijs, quæ per ſecreta vota iuxta conſcientiam decernuntur.*
2 *Quæ ſecundum conſcientiam iudicantur, nõ admittunt appellationem.*
3 *Appellatio non habet locum, quando iudex ſecundum ſuum arbitrium iudicat.*
4 *Non poteſt oſtendi, quod malè ſit lata ſententia, quando ſine actis iudicatur ſecundũ conſcientiam.*
4 *De actibus internis non poteſt reddi ratio.*
5 *Conſcientia à ſolo Deo iudicatur.*
6 *Decernens ſecundum conſcientiam abſq. præuijs actis poteſt ad libitum decernere ſalua conſcientia.*
6 *Quando adeſt plenum arbitrium, non habet locum appellatio.*
7 *Quando iudicatur ſecundum conſcientiam, habet locum recurſus, ſi adſit enormis error.*
8 *Cur ſecluſa appellatione habeat locum recurſus.*
8 *Prohibita appellatione conceditur recurſus.*
8 *Conceſſio omnis cenſetur facta ſecundum æquitatem.*

---

1 Affirmatiuè videtur reſoluendũ. Quia in omni caſu eſt licita appellatio *l. Et in maioribus.* & *l. Et in multis.* C. *De appellat.* Si quidem appellatio eſt præſidium innocentiæ, remedium contra iniuſtitiam, & pars defenſionis, quæ tanquam de iure naturali prohiberi non poteſt. Vnde ſemper debet patere recurſus ad Superiorem, nec vnquam impediri poteſt Authent. *Quę ſupplicatio.* C. Si *contra ius, vel vtil. pub.* Et ita docet Peregrin. *In addit. ad Commen. Conſtit. Cler. Regul. dub.* 8. *circa.* 1. *Decret.* Loquens de declaratione Capituli quò ad cauſam abſentię vocalis, &c. quæ fit per ſecreta ſuffragia.

2 Verum, quia, quando proceditur abſq. preuijs actis, & res decernitur per ſecreta ſuffragia, determinatio fit ſecundum conſcientiam, tenendum eſt, *quod appellatio non habeat locum*. Quod deſumitur ex eorum doctrina, qui tradunt, quod in ijs, quę ſecundum conſcientiam iudicari debent, nõ habet locum appellatio, nec vlterius quæſtio mouenda eſt. Ita Gloſ. *in Cap. Statutum. §. Aſſeſſorum. verbo*, Relinquatur. De *reſcriptis in* 6. & *in Clement.* 1. *verbo.* Oneramus. *De iurepatron.* vbi tamen ponit limitationem, de qua dicetur infra. Abbas *in Cap. Super*

his. De *accuſat.* Roman. *in Repet. Rubr.* De *arbitr.* Bald. *in l.* 1. C. De *reb. cred. &* *iureiur.* & *in l.* 1. *Hac lege.* C. De *de ſent. ex peric.* Caſtrenſ. *in l. De pupillo.* §. *Qui opus,* *ff. De oper. no. nunc.* Iaſ. *in l.* Quod *quis.* ver. *Quarto facit.* C. De *procurat.* Franciſ. Aret. *in l. Rem non nouam.* C. De *iud.* Rota *Deciſ.* 61. *aliàs* 610. *num.* 3. De *reſcript. in antiquis*.

3 Hoc quoque deſumitur ex eorum doctrina, qui tradunt, quod appellatio non habet locum, quando iudex ſecundum ſuum arbitriū cauſam iudicat. Hi autem ſunt Innocent. *in Cap. Præſenti.* De *teſtib.* Bald. *in l.* 2. C. Quomodo, & *quanda iudex.* Bart. *in l.* 1. *in fine. ff.* De *legat.* 2. & in *Diſp.* 1. *vol.* 2 Salicet. *in l. Si ſocietatē.* §. *Arbitrorum. num.* 26. *ff.* Pro *ſocio.* & *in l. Cum antea.* C. De *arbitr.* Iaſ. *in l Si ſic legatum. num.* 5. *ff.* De *legat.* 1. & *in l. De pupillo* §. *Qui opus. n* 4. *ff.* De *noui oper. nunc.* Curt. *iun. in l.* 1. *num.* 30. *ff.* De *iuriſ. om. iud.* alios referens. In Baptiſ. à S. Seuerino. *in l. Admonendi. num.* 265. *ff.* De *iureiur* Calcan. *Conſil* 38. *n.* 8. Craueta *Conſil.* 78. *num.* 8. Caſtrenſ. *Conſil.* 296. *lib.* 2. Couaruu. *lib.* 2. *Variar. cap.* 12. *n.* 3. Tiraquel. *De retract. Conſanguinit.* §. 4 *Gloſ.* 1. *n.* 11. Menoch. De *arbitr. lib.* 1. *quæſt.* 70. *num.* 7. vbi *num.* 2. & *ſequent.* ſoluit argumenta in contrarium. Et pro hoc ducitur argumentum ex *l. Nunquid. ff.* De *iudic.* & Cap. *Conſuluit* De. *offic. delegati*.

4 Ratio autem eſt, quia quando proceditur per ſuffragia ſecreta abſque præuio proceſſu, & abſq; actis, ſola conſcientia eſt illa, quæ dirigit determinationem, & vnuſquiſque fert ſuffragium ſecūdum dictamen propriæ conſcientiæ. ergo nō habet locum appellatio, quia appellatio ordinatur ad reuocationem ſententiæ tanquam malè prolatæ; & ideo opus eſt, vt poſſit oſtēdi, quod fuerit malè prolata; quod non poteſt fieri. niſi præcedāt acta, ita vt debeat ferri ſecundum allegata, & prolata; quando autem fertur ſecundum conſcientiam, cum hæc ſit occulta, non poteſt oſtendi, quod ſententia ſit malè prolata, quia cū non poſſit produci conſcientia, ſecundum quàm eſt prolata, nec etiam poteſt in foro externo conſtare, quod ſententia ſit lata aliter, ac debuit proferri ex conſcientia. Vnde non poſſe de actibus internis reddi rationem, tradunt Bald. *in l. Solam. num.* 1. *C. De teſtib.* Rota *Deciſ.* 239. *num.* 21. *part.* 6. *Diuer.*

5 Hinc eſt, quod conſcientia relinquitur ſoli Deo iudicanda tanquam cordium ſcrutatori. Cap. *Si quid inueniſti.* 14. *Quæſt.* 5. & Cap. *Erubeſcant. Diſt.* 32. Et cū conſcientia non poſſit produci ad forum externum, ſub cuius iudicio, & iuriſdictione nō eſt, vt notant Gloſ. *in l.* 2. *ff.* De *interrogat. act.* Marſil. *Conſil.* 96. *n.* 7. *lib.* 2. Calcan. *Conſil.* 38. *num.* 7. Nec etiam poteſt forum externum iudicare, an benè, vel malè ſecundum ipſam ſit iudicatum, & determinatum, quia hoc eſſet iudicare conſcientiam alienam. Vnde cum non poſſit iudicari, an benè, vel malè fuerit iudicatum, nec etiam locum habet appellatio, cum ordinetur ad examinandam ſententiam, & determinationem.

6 Accedit etiam, quod quando res decernitur per ſecreta ſuffragia abſque præuio proceſſu, res tota ita reducitur ad conſcientiam, vt adſit plenum, & abſolutum arbitriū, nec ſuffragaturus ad aliud teneatur attendere, quàm ad propriam conſcientiam, & rationis dictamen, vt iuſtè agat: & proinde habeat liberam poteſtatem decernendi, quicquid libuerit, ſalua conſcientia. Quando autem adeſt plenum, & abſolutum arbitrium, non habet locum appellatio, vt tradunt Innocent. *in Cap. fin.* De *ſer.* Hoſtienſ. *ibid.* Io. Baptiſ. à S. Seuerino *in l. Admonendi num.* 265. ver. *Primò. ff.* De *iureiur.* Felin. *in Cap. Exceptionem. num.* 2. *in fine* De *except.* & *in Cap. Super his. num* 8. De *accuſat.* alios citans. Iaſ. *in l.* 1. *num.* 6. *ff. Si quis ius dicen. non obtem.* Ruin. *Conſ.* 149. *num.* 9. *lib.* 4. Butr. *in Cap Irreſragabili.* De *offi. Ordinar.* Imola *ibid.* Couaruu. *lib.* 2. *Variar. cap.* 12. *num.* 5.

7 Verum quamuis non habeat locū appellatio, habet tamen locum recurſus ad ſuperiorem, ſi enormis error fuerit commiſſus. Ita docent Bald. *in l.* 1. ver. *Sed pone, quod per Statutum.* C. De *reb. credit.*

dit. & *iureiur.* & *in l. Hac leg.* C. De *ſent. ex peric. re.* & *in l. vnic.* C. De *ijs, qui pœn. nom.* Marſil. *in l. Quaſt. nu.* 64. *ff.* De *qu.* Curt. Sen. *in l. Admonendi. num.* 379. *ff.* De *iureiur.* Io. De Anan. *Conſil* 34. *num.* 7. ver. *Facit etiam.* vbi Bolognet. *in Addit. nu.* 14. ver. *Nec obſtat vnum.* Alexan. *Conſil.* 166. *num.* 14. *lib.* 3. Dominic. *in Cap.* 1. De *re iud. in* 6. Felin. *in Cap. Exceptionem. nu.* 2. *in fine.* De *except.* Boer. *quaſt.* 284. *nu.* 28. Tiraquel. *De retract. cōſanguin.* §. 4. *gloſ.* 1. *num.* 11. Menoch. *De arbitrar. lib.* 1. *qu.* 70. *num.* 16. vt nimirum ipſe corrigat, quod vel ex praua, vel ex erronea conſcientia factum eſt, & reducat ad terminos æquitatis.

8 Ratio autem eſt, quia licet non habeat locum appellatio, debet tamen adeſſe remedium pro tollenda oppreſsione vel ex malitia, vel ex errore proueniente, quia ius naturalis defēſionis dat facultatem propellendi omne malum iniuſtè illatum, & proinde nemo debet fraudari tali remedio. Hoc autem remedium eſt recurſus àd ſuperiorem, qui proinde ſemper in omni caſu conceditur, etiamſi prohibeatur appellatio, vt docent Dec. *in l. vlt. num.* 50. C. De *edict. D. Adr. toll.* & *Conſil.* 533. *num.* 2. Ruin. *Conſil.* 157. *num.* 6. *lib.* 5. Iaſ. *Conſil.* 16. *in fine. lib.* 3. Pariſ. *Conſil.* 118. *lib.* 2. & *Conſil.* 54. *nu.* 19. *lib.* 3. Rolan. à Valle. *Conſil.* 94 *num.* 34. *lib.* 1. Ripa *in Cap.* 1. *num.* 3. De *reſcrip.* Afflict. *Deciſ.* 341. & *Deciſ.* 356. Grammat. *Deciſ.* 35. *num.* 4. Aret. *Conſil.* 106. *num.* 10. Quia nimirum læſo ſuccurrendum eſt, & nunquam ab æquitate diſcedendum, quia omnia, quæ conceſſa ſunt, ſecundum æquitatem eſſe conceſſa cenſentur. *l. Si libertus ita iurauerit. ff.* De *oper. libert.* ibi. *Si libertus ita iurauerit, dare ſe quot, operas patronus arbitratus ſit, non aliter ratum fore arbitrium patroni, quàm ſi æquum arbitratus ſit. Et ferè ea mens eſt perſonam arbitrio ſubſtituentium, vt quia ſperent, eum rectè arbitraturum, id faciant.*

An conſuetudine induci poſſit, quod fiat diſpenſatio in lege ſuperioris abſque praula cognitione cauſa in ſpecie. Quaſt. 308.

S V M M A

1 *Inferior non poteſt ſine cauſa diſpenſare in lege ſuperioris.*
2 *Non poteſt conſuetudine induci, quod diſpenſetur in lege ſuperioris ſine cognitione cauſa.*
2 *Conſuetudo debet eſſe rationabilis, et legitimè praſcripta.*
3 *Diſpenſare ſine cognitione cauſa eſt diſſipare, quod eſt ſalubriter inſtitutum.*
3 *Continet peccatum mortale, ſi ſit in re graui.*
4 *Diſpenſatio ſine cognitione cauſa in foro exteriori non ſubſiſtit, etiam ſi aliàs adeſſet cauſa.*
5 *Quod eſt nullum, non poteſt inducere aliquem effectum.*
5 *Nullum eſſe, & eſſe ſine effectu. paria ſunt.*
5 *Nulliter factum habetur pro non facto.*
6 *Diſpenſatio generalis pro omnibus in ſtatuto non valet, præſertim ſi praſcribat cauſas ob quas poſſit diſpenſari.*
7 *Actus corruit omiſſa forma à lege praſcripta.*
8 *Diſpoſitio cum conditione, cum qua actus fieri debit, importat formam.*
9 *Quando. lex prater ius commune aliquid introducit, quicquid in ipſa exprimitur, cenſetur de forma.*

1 NOn poſſe inferiorem diſpenſare in lege ſuperioris abſque cauſa; ſed diſpenſationem eſſe nullam, certum omnino eſt, vt tradunt Innocent. *in Cap. Cum ad monaſterium. nu* 4. De *ſtatu Monachor.* Hoſtienſ. *num.* 32. 10. Andr. *in fine.* Panorm *num.* 17. Cardin. §. *vlt. n.* 5. Felin. *in Cap.* 2. *num.* 8. ver. *Secunda limitatio.* De *Simonia*, & *in Cap. At ſi Clerici* §. De *adulter. num.* 10. De *iudic.* Hyppolit. *num.* 32. Turrecrem. *Cap.* 1. *ar.* 4. *num.* 14. *Diſt.* 89. Nauar. *Cap. fin. nu.* 4. *De Simon.* Couaruu. *par.* 4. *Decret. cap.* 6. §. 7. *num.* 11. Specul. *Tit. De diſpenſat.* §. *Dicendum reſtat. num.* 19. Bald. *in l. Barbarius. num.* 7. *ff.*

De offic. prætor. Aret. in l. 2. num. 1. ff. De verbor. obligat. Angel. verbo. Diſpenſatio. num. 3. Syluester. num. 5. Armilla. num. 14. Sanchez lib. 8. de matrim. diſp. 17. num. 4. Vaſquez 1. 2. diſp. 178. cap. 3. nu. 17. Valent. tom. 2. diſp. 7. quæſt. 5. punc. 9. Sà verbo. Diſpenſatio. num. 3. Sotus lib. 7. de iuſt. & iure. quæſt. 4. ar. 3. ver. Supremum ergo. Stunica quæſt. 5. de voto. nu. 35. Gutierez. lib. 1. quæſt. canon. cap. 19. nu. 5. Azor. p. 1. lib 5. Cap. 15. in fine. Salas diſp. 20. de legib. ſect. 4. num. 31. Suarez lib. 6. de legib. c. 19. num. 1. Gordon. lib. 2. Theol. moral. quæſt. 13. cap. 5. ver. Dicendum ſecundo. Pontius lib. 8. de matrimon. cap. 14. num. 8. Barboſa par. 2. de poteſt. Epiſcopi allegat. 33. nu. 3. Io. Sanchez in Select. de ſacram. diſp. 54. num. 38. Palaus par. 1. Oper. mor. tract. 3. diſp. 6. pun. 8. §. 2. num. 3. Laiman. lib. 1. theol. moral. tract. 4. cap. 22. nu. 11. Villalob. par. 1. ſum. tract. 2. difficul. 41. num. 2. Reginal. lib. 13. Praxis fori pœnit. num. 195. Bonac. diſp. 1. de legib. q. 2. punc. 3. num. 12. Baldel. tom. 1. Theol. moral. lib. 5. diſp. 52. num. 1. Vuigers. 1. 2. quæſt. 97. art. 2. ver. Quæres Martinez. dub. 1. concluſ. 1. Mærat. tom. 1. ſum. diſp. 7. de legib. ſect. 9. ver. Ex qua doctrina. Caſpenſ. par. 1. Cur. Theol. diſp. 6. de legib. ſect. 4. nu. 24. Lorca 1. 2. diſp. 27. de legib. in fine. Auerſa Quæſt. 97. ſect. 3. ver. Inſuper. ſi diſpenſet, & communiter Theologi cum D. Th. 1. 2. quæſt. 98. ar. 12. ad 2. & Canoniſtæ cum Gloſ. in Cap. Non eſt. verbo. Adimplere. De voto. Ratio autem eſt, quia inferior non habet facultatem dominatiuam ſupra legem ſuperioris, ſed eſt ſolum adminiſtrator; & ideo tenetur ſe fideliter gerere in regimine, & illud adminiſtrare, non ad libitum, ſed ſecundum leges, & exigentiam rationis. Ratio autem exigit, quod leges ab ipſo manuteneantur, & quod inſtituat regimen ſecundum ipſas; & proinde eas non relaxet per diſpenſationem, niſi ex iuſta, & rationabili cauſa. Vnde cum regimen non ſit illi commiſſum, niſi intra terminos rationis, non habet facultatem relaxandi leges per diſpenſationem, niſi ex iuxta cauſa; & ſi abſque ipſa diſpenſat, actus erit nullus defectu poteſtatis.

2 Ex his ergo reſp. *Non poſſe conſuetudine induci, quod fiat diſpenſatio in lege ſuperioris abſque præuia cognitione cauſæ.* Ratio autem eſt, quia conſuetudo, vt induci poſſit, debet eſſe rationabilis Cap. fin. De conſuetud. ibi. *Licet etiam longeuæ conſuetudinis non ſit vilis auctoritas, non tamen eſt vſque adeo valitura, vt vel iuri poſitiuo debeat præiudicium generare, niſi fuerit rationabilis, & legitimè ſit præſcripta.* & l. De quibus. ff. De legibus. Et ſi inducatur, non præualet contra legem, ſed eſt merus abuſus, & debet extirpari. Authent. Vt nul. iud. §. 1. & Cap. 1. in fine. De alienat. feud & Cap. 1. De cognit. feud. & Cap. Quæ contra mores. & Cap. Male. & Cap. Conſuetudo. Diſt. 8. & Cap. Quamquam. De cenſib. in 6. & notant communiter Doctores Bald. in l. Dudum. C. De contrahen. empt. & in Rubr. in fine. C. Quæ ſit longa conſuetudo. Archidiacon. in Cap. Poſtulaſti. num. 2. De foro compet. & in Cap. Extirpandæ. num. 8. De præbend. Natta in Cap. Dilecto. num. 27. De offic. Archidiaconi. Boich. in Cap. Abbate. num. 16. De verbor. ſignificat. Petrus Rauenna De conſuetud. num. 107. Lucas de Penna. Repet. l. vn. num. 9. C. De collat. donat. Craueta Conſil. 952. num. 19. lib. 5. Quia cum faciat irrationabiliter operari, & contra debitam honeſtatem, eſt nutritiua peccati, & proinde extirpanda, vt notant Doctores in Cap. Ex parte. De conſuetud.

3 Diſpenſare autem in lege ſuperioris abſque cognitione cauſæ eſt irrationabile, contra honeſtatem, & exigentiam boni regiminis, quia non eſt diſpenſare, ſed diſſipare, quod ſalubriter à legibus introductum eſt pro communi vtilitate, vt tradunt communiter in Cap. 1. & in Cap. Non eſt. De voto. Abbas in Cap. Significaſti. De electione. Rebuf. in Praxi Benefic. Tit. De diſpenſat. ad plura benef. n. 52. Menoch. Conſil. 15. num. 15. Io. Monach. in Cap. 1. De ætat. & qualit. ordin. in 6. Curſen. Conſil. 16. & 17. Bartholom. Socin. Conſil. 246. ver. Circa ſecundum. & Conſil. 251. ver. Non ommitto. vol. 2. Paris. Conſil. 12. num. 210. vol. 2. Rolan. à Valle Conſil. 61. num. 26. vol. 1. Vnde cum contineat diſſipationem boni regiminis, eſt

corrup-

corruptela, & contra regulas rectæ, rationis, & proinde peccaminoſa, & infert iniuriam communitati. Vnde talis diſpenſatio continet peccatum mortale quidem, ſi ſit in re graui, & veniale, ſi in re leui, vt inter alios notat Palaus *part. 1. oper. moral. tract. 3. diſp. 6. punc. 8. §. 2. nu. 6.* vſurpatur namque iuriſdictio, quæ non eſt conceſſa; & fit in re graui contra proprium munus, atque adeo contra iuſtitiam legalem, & plura alia damna inferuntur. Per actus autem peccaminoſos non poteſt induci conſuetudo.

4 Accedit etiã, quod diſpenſatio facta in lege ſuperioris abſque præuio examine cauſæ, etiam ſi ſecundum aliquos ſubſiſtat, ſi reuerà adſit ſufficiens cauſa quò ad forum conſcientiæ, in foro tamẽ exteriori nulla eſt, etiam ſi cauſa aliàs eſſet ſufficiens, vt inter aliòs tradunt Panorm. *in Cap. Qua in Eccleſ. num.* 10. De conſtit. Felin. *num.* 6. Dec. *num.* 129. *in noua edit.* Roman. *Conſil.* 436. *nu.* 19. Socin. ſen. *Conſil.* 263. *lib.* 2. Gozadin. *Conſil.* 51. Gigas *De penſion. quæſt.* 6. *num.* 12. Rebuf. *in Praxi.* Tit. De *diſpenſat. ad plura beneſ. n.* 53. Maſcar. De *probat. Concluſ.* 275. Menoch. *lib.* 2. *Præſumpt.* 20. *num.* 25. Hoſtienſ. *in Cap.* 2. De *ſebiſmet.* Io. De Annan. Io. Andr. Butr. Ancharan. Cardin. *ibid.* Abbas. *num.* 3. Imola *in l. Quidam conſulebat. ff. De re iud.* Caſtrenſ. *ibid. n.* 8. ver. *Allegatur etiam.* Iaſ. *in l. Barbarius. n.* 14. *ff.* De *offic. Prætor.* Grammat. *Deciſ.* 81. *n.* 9. teſtans de communi. Io. De Sylua *De benefic. quæſt.* 10. *num.* 24. Sicut enim diſpenſatio in lege ſuperioris abſolutè non ſubſiſtit, ſi non interueniat iuxta cauſa; ita nec ſubſiſtit pro foro exteriori, niſi apud ipſum conſtet de cauſa ſufficienti; Sunt enim paria, non eſſe, & eſſe, & non apparere. *l. Duo ſunt. ff.* De *teſt. tut.* & *l. in lege. ff.* De *contrahen. empt.* & *l. Cum res*, §. *Itaq. ff. De legat.* 1. Non poteſt autem conſtare, niſi præuiſſo examine.

5 Cum ergo diſpenſatio in lege ſuperioris abſque cauſæ cognitione, ſaltem pro foro exteriori, ſit nulla, nõ poteſt inducere conſuetudinem, quia quod nullum eſt, nullum poteſt inducere effectũ. *l. Non putauit.* §. *Non quauis. ff.* De *bonor. poſſeſ. contra tab.* & *l.* 2. *ff.* De *auct. tut.* & *l. Si aut nullũ.* C. De *legit. hered.* & Cap. *Illud.* De *iure patronat.* Cum enim conſuetudo inducatur ex actibus, actus ſunt cauſa conſuetudinis; cauſa autem nulla, ſicut in ſe nullam habet vim, ita nec poteſt aliquem producere effectum. Et proinde, nullum eſſe, & eſſe ſine effectu paria ſunt, vt dixerunt Crauet. *Conſil.* 206. *nu.* 12. *vol.* 2. Surd. *Deciſ.* 51. *num.* 21. & 22. & *Conſil.* 3. *num.* 8. & *Conſil.* 157. *num.* 13. Anton. Monach. *Deciſ. Bononien.* 4. *pun.* 7. *num.* 20. Macerat. *lib.* 1. *Variar. Reſol.* 61. *num.* 24. Et quod nulliter factum eſt, habetur pro non facto, ſi quidem paria ſunt Non factum fuiſſe, & nulliter fuiſſe factum *l. Quoties. ff. Qui ſatiſdare cogantur*, & *l. vnica.* C. De *rei vxor. act.* & notant Surd. *Conſil.* 359. *num.* 1. Io. Baptiſ. Coſta. De *facti ſcient.* & *ignoran. Inſpect.* 23. *per totam.* Anton. Monach. *Deciſ. Florent.* 26. *num.* 2. Et ideo diſpenſatio in lege ſuperioris ſine cognitione cauſæ tanquã nulla, etiam ſi aliàs cauſa adeſſet, in foro exteriori non poteſt, quantumuis plùries, & pluries repetita, inducere conſuetudinem, quæ pro foro exteriori inducenda eſt, quia huiuſmodi actus diſpenſandi, tanquam nulli, non reputantur non ſecus, ac ſi non eſſent.

6 Ex his colligitur, quod, cum apud quamdam religionem extet ſtatutum, quo decernitur, quod PP. Vocales, qui interfuturi ſunt cuidam electioni certo tempore ante dictam electionem iugiter permaneant in cõuentu, cui ſunt aſſignati, nec poſſint abeſſe, niſi ob commune bonum religionis, aut ex imminẽti neceſſitate à Patribus Capituli per ſecreta ſuffragia approbanda, aliàs in dicta electione careant voce actiua, & paſſiua, non poteſt, nec potuit introduci cõſuetudo, quòd omnes indiſcriminatim diſpensẽtur à Capitulo, vt poſſint abeſſe; ſed ſi abſentes erunt, contrahent dictam pœnam non obſtante tali diſpenſatione, etiam ex conſuetudine conceſſa. Si quidem cum fiat diſpenſatio abſque cognitione cauſæ, nulla eſt, nec poteſt habere pro fundamento conſuetudinem, cum non poſſit induci, vt conſtat ex dictis, &

ideo

ideo nō poteſt habere effectum relaxandi obligationem legis. Vnde cum maneat lex in ſuo robore, & vigore non obſtante huiuſmodi diſpenſatione, manet etiam pœna impoſita à lege.

7 Et àfortiori, quæ dicta ſunt, habent locum in præſenti ſtatuto, de quo *num. præcedenti*. quia pro diſpenſatione requirit cauſæ cognitionem, ſi quidem, requirit, quod imminens neceſſitas approbetur capitulariter, & per vota ſecreta, quando autem committitur diſpenſatio exequenda præmiſſa cauſæ cognitione, ſi non præcedat cauſæ cognitio, diſpenſatio nulla eſt, etiam ſi aliàs adeſſet cauſa ſufficiens, quia non ſeruatur forma præſcripta à lege. Corruit enim actus omiſſa forma legis *l. Cum his. §. Si prætor. ff.* De *tranſact.* & *l. Traditionibus*. C. *De pactis*. & Cap. *Cum dilecta*. De *reſcriptis*. & Cap. *Quia propter*. De *electione*. & Cap. *Quæ contra*. De *reg. iur. in* 6.

8 Quod autem in dicto ſtatuto, quādo præſcribitur cauſa, ob quam poſſit fieri diſpenſatio, & quod talis cauſa debeat à Capitulo per ſecreta ſuffragia approbari, præſcribatur forma ſeruanda, ex eo colligitur, quod præſcribitur modus, ſeruandus in diſpenſatione, & aſsignatur cauſa approbanda, tanquam conditio, cum qua ſola poſſit habere locum diſpēſatio. Conditio autem inducit formam. *l. Qui heredi*, & *l. Mauius. ff.* De *condit. & demonſtrat.* & notant Tiraquel. *Tit.* 2. §. 2. *Gloſ.* 1. *nu.* 3. & 4. Tuſch. *Littera* C. *Concluſ.* 483. *nu.* 8. Honded. *Conſil.* 60 *nu.* 26. Bech. *Conſil.* 39. *n.* 19. Menoch. *Conſil.* 60. *num.* 48. Gutierez *lib.* 1. *pract. Quæſt.* 17. *num* 11. Grat. *Conſil.* 12. *num.* 22. *vol.* 2. Pariſ. *Conſil.* 97. *nu.* 86. *lib.* 1. Rota *Deciſ.* 315. *num.* 3. *apud Farinac. par.* 1. *Recent.* Vnde diſpoſitionem cum conditione importare formam, dixit Menoch. *lib.* 1. *De arbitr. quæſt.* 30. *num.* 5. Boccat. *ad Conſtit. Marcb. gloſ.* 6. *num.* 156. Tuſch. *littera F. concluſ.* 414. *num.* 10. 13. & 17.

9 Et amplius confir. Quando lex præter ius commune aliquid de nouo introducit, quicquid in ipſa exprimitur, reputatur de forma, vt docent Rolan. *Conſil.* 82. *num.* 61. *lib.* 3. Anchatan. *Conſil.* 241. *num.* 6. Surd. *Deciſ.* 298. *num.* 9. Boccat. *ad Conſt. Marcb. gloſ.* 6. *n.* 163. & 165. Rota *in Roman. ſocietatis* 5. *Decemb.* 1616. *coram Remboldo*; quia nimirum ſe habet vt regula ordinatiua illius, quod eſt faciendū, & determinatiua ſubſtantiæ actus, & ideo quicquid exprimitur ſubſtantiale eſt, atque pertinens ad formam actus. Cum ergo dictum decretum inducat aliquid de nouo præter ius commune, totū, quod in ipſo præſcribitur, cenſendum eſt pertinere ad formam, & propterea eo non ſeruato, actum non ſubſiſtere.

An, qui habet facultatem declarandi leges, aut ſtatuta, poſſit ita declarare, vt declaratio contineat aliquid, quod non ſit conceptum ex verbis legis. Quæſt. 309.

S V M M A

1 *Habens poteſtatem legiſlatiuam poteſt leges veteres ita declarare, vt aliquid de nouo ſtatuat.*

1 *Actus præſumitur factus ex eo capite, ex quo ſubſiſtit.*

2 *Habens puram facultatem declarandi non poteſt declarare, quod non eſt ſtabilitum in lege.*

2 *Declaratio extra limites verborum non eſt declaratio, ſed diſpoſitio.*

3 *Declaratio nil noui dat, ſed datum ſignificat.*

4 *Declaratio oſtendit, quid factum ſit, nec alterat ſubiectum, ſed relinquit in propria natura.*

5 *Declaratio ex verbis legis, & ex ratione eruitur.*

6 *Declaratio poteſt extendere, aut reſtringere legem ad menſuram rationis.*

7 *Statutum cuiuſdam religionis malè declaratum.*

7 *Declaratio non eſt correctio ſtatuti.*

7 *Res per quas cauſas naſcitur, per eaſdem diſſoluitur.*

---

1 SI habeat etiam facultatem cōdendi leges, aut ſtatuta, certum omnino eſt, quod poteſt leges conditas, aut ſtatu-

ſtatuta ita declarare, vt extendat, aut aliquid addat, aut minuat. Tunc enim declaratio, quãuis vt continens aliquid, quod non ſit erutum ex viſceribus legis, non habeat vigorem in virtute legis iam conditæ, habet tamen in virtute poteſtatis legislatiuæ; ſicut enim declarans poteſt condere nouas leges, ita etiam poteſt conditas variare ampliando, reſtringendo, aliquid de nouo addendo, nam hoc cenſetur fieri non per declarationẽ, ſed ex vi poteſtatis legislatiuæ. Actus enim ſemper præſumitur factus ex eo capite, & per eam facultatem, per quam poteſt ſubſiſtere *l. 3. ff. De teſtam. milit.* & *l. Cum pater. ff. De iure dot.*

2 Si aut quis habeat puram facultatem declarandi leges, non autem poteſtatem legislatiuam, tenendum eſt; *quod non poſſit ita declarare, vt declaratio contineat aliquid, quod non ſit ſtabilitum in lege*. Er proinde neceſſe eſſe, quod declaratio eruatur ex verbis eiuſdem legis Deſumitur ex Bart. *in l. Heredes palam. §. Si quid poſt. ff.* Qui teſtam. fac. Bald. *in l. fin. circa finem.* C. De teſtib. Angel. *in l. 2. ff.* De iuriſdic. om. iud. Abbate *in Cap. Nouit. not. 2.* De *appellat.* Franciſ. Curt. *in Authen. Hoc ſacramentum. num.* 4. C. De *iuram. calum.* quatenus docent, quod aliquid addere, vel detrahere non eſt declarare. Et rurſus ex Caſtren. *in l. Heredes palam. §. Si quis poſt. ver. Multoties, & in Papa. ff.* Qui teſtam. *fac. poſ.* & *Conſil. 338. ver. Ex prædictis. vol. 1.* Tiraquel. *in l. Si vnquam. verbo.* Libertis. *num* 15. C. *De reuocan donat.* vbi citat. Felin. *in Cap. Cum olim. ver. Adduci poteſt.* De *re iud.* Anton. Gabr. *com concluſ.* Tit. *De reg. iur. concluſ. 3. nu. 62.* Sarnenſ. *de non tollen. iure quæſito. quæſt.* 13. ver. *Sed aduertendum.* Quatenus docent, quod ſi declaratio fiat extra limites verborum, non erit declaratio interpretatiua, ſed noua diſpoſitio.

3 Deſumitur autem ex *cit. l. Heredes palam. §. Si quid poſt factum. ff. Qui teſtam. fac. poſ.* vbi decernitur conceſſam eſſe declarationem, de qua ibi, quia declaratio Nihil nunc dat, ſed datum ſignificat. Ex quo elicitur, quod tunc ſolum declaratio ſubſiſtit, quando declarat, quid lex ſtatuerit; non autem, quando aliquid addit, aut detrahit, aut aliquo modo immutat legem, aut ſtatutum.

4 Rario autem eſt, Quia declaratio non facit aliquid de nouo, ſed quid ſit à lege ſtatutum oſtendit. Si quidem declarare non eſt facere de nouo, ſed declarare, quid factum ſit: & proinde declarationem non alterare ſubiectum, ſed addere ſolum qualitatem demõſtratiuam, dixerunt Bald. *in citat. l. Heredes palam. §. Sed & ſi notam. ver. Tertiò nota. ff.* Qui teſt. *fac. poſ.* Imola *ibid. §. Si quis poſt. ver. Item nota.* Aret. *not. 4.* Gabr. *lib. 3. com. concluſ.* Tit. *De reg. iur. concluſ 3. num. 47. & 48.* & ideo non poteſt alterare ſubſtantiam legis aliquid addendo, aut detrahendo, aut quouis alio modo immutando, ſed debet ipſam relinquere in ſua natura, & in proprijs terminis *l. Aſſe toto. ff.* De *hered. inſtit.* & *l. Vnum ex familia. §. Si ſalcidia. ff.* De *legat. 2.* & notant Bart. *in l. 1. ver. Quæro quot teſtes.* C. De *codicil.* Roman. *in l. 1. §. Si quis ſimpliciter ff* De *verbor. obligat.* Salicet. *in l. Et conſtituit* C. De *legib.* Dec. *in l. Edita. num. 47.* C. De *eden.* Hyppolit. *de Marſil. in l. 1. §. Si quis vltro. ver. Vlterius ſcies. ff.* De *quęſt* Cardin. *in cap fin.* ver. Si *verò.* De *conſtit.* Felin. *in cap. Non poteſt.* ver. *Facit Gloſ. ſingul.* De *re iud.* Alexan. *Conſil. 11. num. 14. lib. 7.* Pariſ. *Conſil. 50. in fine. lib. 4.* Socin. iun. *Conſil. 95. n. 22. lib. 3.* Craueta *Conſil. 104. num. 7.* & De *Antiq. temp. par. 2. princip. par. 1. num. 30.* Menoch. *Conſil. 413. num. 71.* Surdus *Deciſ. 29. per totam.* Larrea *tom. 1. Deciſ.* *Granat. diſp. 39. num. 6.* Rota *Deciſ. 454. num. 2. par 1. Recent. apud Farinac.* & communiter cum Gloſ. *in cap. Cum te.* De *vſur.* & *in Cap. Per tuas. verbo.* De nouo. *De donationib.* Eſt enim quid diuerſum declarare, & aliquid adijcere, aut detrahere, vt deſumitur ex Clem. 1. *De iurepatronat.*

5 Eſt tamen aduertendum, quod declaratio legis ita debet erui ex verbis, vt etiam eruatur ex ratione eiuſdem legis. Verba enim ſunt veluti corpus, & ratio eſt anima, quæ dat legi vim, & motum in ordine ad moderandos populos *l. Cũ*

oratio.

ratio. ff. De bonis damnat. vnde, vt declaratio vim habeat, debet fundari in ipſa ratione legis, aliàs eſſet mortua, ſicut eſſet etiam ipſa lex ſine ratione.

6 Ex hoc hoc autem ſequitur, quod declaratio poſsit extendere, aut reſtringere legem iuxta menſuram, et terminos rationis. Cum enim ratio ſit menſura legis, et eam trahat ampliando, vel reſtringendo ad proprios terminos. *l. Cum pater. §. Dulciſſimis. ff. De legat.* 2. et *l. Adigere. §. Quamuis. ff. De iurepatronat.* debet declaratio concipi ex ipſa ratione legis, et ideo ſecundum ipſius exigentiã poterit eam extendere, aut reſtringere; cum potius ratio, quàm verba debeant conſiderari *l. Scire. §. Aliud. ff. De excuſat. tut.*

7 Ex quibus colligitur, quod cum apud quamdam Religionẽ extet ſtatutum, quo decernitur, ne vltimo Generalatus anno poſſit Generalis transferre ſubditos, qui in Capitulis ſuffragium ferre poſſunt, de vno conuentu ad alium, niſi conſentientibus per ſecreta ſuffragia omnibus, et ſingulis, qui eidem Generali in regimine aſsiſtunt, non potuiſſe dictum Generalem declarare, quod ſe ſolo poſsit transferre de vno conuentu ad alium ex ijs, qui ſimul conueniunt ad electionem illius, qui interfuturus eſt capitulo generali ex eo, quod ſubſequutum ſit aliud ſtatutum, quod aliqui conuentus, qui prius ſinguli ſingulos eligebant, conueniant ſimul ad vnicum tantum eligendum pro capitulo generali. Licet enim dictus Generalis habeat facultatem declarandi Conſtitutiones, et ſtatuta, quando circa ipſa emergunt dubia, hæc tamen declaratio non ſubſiſtit, cum neque ex verbis ipſius ſtatuti erui poſsit, ſi quidem vniuerſaliter ſtatutum prohibet talem translationem; neq; ex fine, quaſi quò ad illos cõuentus ceſſauerit per poſterius ſtatutum; ſiquidem finis ipſius ſtatuti eſt facere, ne Generalis huiuſmodi trãslationibus vti poſsit in ordine ad procurandam electionem in perſona ſibi benè viſa, et conſeruare libertatem electorum, huic autem fini derogatur, ſi Generalis poſſet transferre electores etiam quò ad prædictos conuentus, ſi quidem poteſt alicui talis translatio eſſe præiudicialis etiam quò ad bonam opinionem, et proinde metu talis translationis induci ad ſuffragandum ad libitum Generalis. Quare prædicta declaratio non eſt declaratio, ſed derogatio, et correctio ex parte eiuſdem ſtatuti, quæ cum non inducatur à poſteriori ſtatuto, nec etiam titulo declarationis induci poteſt ab ipſo Generali, quia cum non habeat facultatem condendi leges, nec etiã poteſt ipſis derogare, et ex parte corrigere, cum derogatio, et correctio ſint actus eiuſdem facultatis legislatiuæ, ſi quidem res, per quas cauſas naſcitur, per eaſdem diſſoluitur iuxta regulam Cap. 1. *De reg. iur. in 6.* nec inferior carens dicta poteſtate legislatiua poteſt legem conditam à ſuperiori abrogare, aut illi derogare, qualis eſt Generalis reſpectu Capituli Generalis, à quo leges conduntur iuxta Clement. *Ne Romani*. De elect.

An bona relaxata alicui à Principe, cum ea conditione, quod maneant impoſterum hypothecata, nec poſsint alienari, poſsint donari Eccleſiæ. Quæſt. 310.

S V M M A.

1 *Hypotheca in bonis ſpecialibus eſt realis, & tranſit cum re.*
2 *Alienatio debitoris non facit creditorem deterioris conditionis.*
2 *Statutum prohibens alienationem in non ſubditos, non comprehendit Eccleſiaſticos.*
3 *Bona conceſſa à Principe cum hypotheca, & conditione, ne poſsint alienari, non poſſunt donari Eccleſiæ.*
3 *Retinens ius in re cum prohibitione alienatione actis, ne transferatur dominium, ſi alienetur.*
4 *Hypotheca cum prohibitione alienationis impedit translationem dominij.*
5 *Res quocunque modo ſubiecta reſtitutioni, non poteſt alienari.*
5 *Alienatio, quæ fit in Eccleſiam, dicitur fieri in potentiorem.*
6 *Prohibitio alienationis rei hypothecatæ rei*
ſeruat

ſeruat ſpeciale ius.

7 *Prohibitio alienationis rei ſpecialis ipſi hypothecata tenet etiam in ordine ad Eccleſiam.*

7 *Quilibet poteſt rei ſuæ imponere, quam legem voluerit.*

---

1 Affirmatiuè videtur reſpondendum. Tum quia hypotheca in bonis ſpecialibus, & determinatis eſt realis, & proinde ſequitur rem, & tranſit cum ipſa. *l. Si prædium* .C.De *euiction.* nec extinguitur per alienationē, cū alienatio debitoris non faciat conditionem creditoris deteriorem *l. Debitorem.* C.De *pignorib.*& *l.Res pignoris.* C. De *remiſſion.pignor.*& notant Gabr.*Conſil.*141 *num.*8.*lib.*1.Beroius *Conſil.* 46. *num.* 15. *iunc.num.*7.*&* 8. Rota *Deciſ.* 675. *num.*7. *par.*2.*Recent. apud Farinac.* & *Deciſ.*425. *num.*2 *par.*5. *Recent.* Vnde talis donatio non præiudicat principi, cū poſſit, quando opus fuerit, rem ſibi hypothecatam aſſumere, apud quoſcunque ſit.

2 Nec prohibitio Principis aliquid operatur, quia non intelligitur, ne poſſint alienari in Eccleſias, ſed ſolum in alias manus. Sicut ſtatutum prohibens alienationem in non ſubditos, non comprehendit Eccleſiaſticas perſonas, vt inter alios notant Bald. *in l. Filiusfamilias.* §. *Diui.num.*12.*ff.*De *legat.*1. Angel.*ibid. nu.* 4. Florian.de S.Petro. *num.* 11 *& ſequent.* Fulgoſ. *n.*6 ver. *Quid autem ſi ſtatutum.* Alexand. *num.*11.*&* 12. Ripa *num.* 81. Claud.Seyſſel.*num.*27. Crot. *num.*88.Socin. *nu.* 166. & alij, quia nimirum non extenditur ad perſonas, quæ non ſunt ſub iuriſdictione.

3 Hoc tamen non obſtante tenendum eſt, *quod non poſſint dicta bona donari Eccleſiæ, & ſi donentur, non ſubſiſtere donationem.* Ratio autem eſt. Quia Princeps relaxās bona cum pacto, quod maneāt hypothecata, nec poſſint alienari, reſeruauit ſibi ius in dictis bonis, ita vt, poſſit ea repetere, quotieſcunq. caſus venerit &c. Quando autem quis retinet aliquod ius in re, quam prohibet alienari, alienatio non transfert dominium, ſed eſt nulla, vt habetur ex tex. ſingulari *l. Si creditor.* §. *fin.ff.* De *detract.pignor.* & docent Bart. *in l.Si ita quis.*§.*Ea lege.num.*3. *ff.*De *verbor.obligat.* Iaſ. *num.*29. vbi plura allegat.

4 Et proinde, quod nō transferatur dominiū, ſi cum hypotheca concurrat prohibitio alienandi, habetur ex *l. Si creditor.*§.*fin.ff.* De *diſtr.pignor.*& docent Bar. *in l. Filiusfamilias.* §. *Diui.ff.* De *legat.* 1. Ripa *ibid. num.* 81. Crot. *num.* 99. quos ſequitur Rota coram Seraph. *Deciſ.*374. *num.*6. Roſenthal. *De feud.cap.*7.*concluſ.* 25. *num.fin.* Guido Papa *Deciſ.*569. *num.* 1. *&* 2. Anton.Gabr.*lib.*3.*concluſ.*1.*num.* 2.*De pignorib.& hypoth.* Nicolaus Betſius *De pact.illuſtr.famil. cap.*4. quia cū alienatio ſit contra ius, & pactum creditoris, non poteſt ſubſiſtere tanquam deſtituta fundamento debitæ, & neceſſariæ facultatis, atque adeo non poteſt operari effectum translationis dominij. Vnde quicquid actum eſt, nullū reputatur, vt communiter docent Iaſ.*in l.Si ita quis.* §. *Ea lege.num* 29 *& ſequen.* alios citans.ff. De *verbor.obligat.* Cagnol *in l.*2. *nu.* 137. C. De *pact. inter empt. & vendit.* Rolan. *Conſil.*62. *num.* 9. *& ſequent. & num.* 35. *vol.*2.Geor. Euerar. *Conſil* 30.*nu.*45. ver. *Tertio.reſpondeo.vol.*1.

5 Rurſus. Res, quæ ſubiacet reſtitutioni ſiue abſolutè, ſiuè ſub conditione, non poteſt alienari in illius incommodum, cui facienda eſt reſtitutio per expreſſum tex. *l.fin.*C. Commun. *de legat. & fideicom* vbi Gloſ. & Doctores, quia nemo poteſt alterum proprio iure priuare, vt priuaretur per dictę rei alienationē. Res autem hypothecata ſubiacet reſtitutioni ſub conditione, & ſi alienetur in Eccleſiam, alienatio eſt ad incommodū Principis. quia alienatio, quæ ſit in Eccleſiam, dicitur fieri in potentiorem, vt notat Franciſ. Aretin. *in l.Si quis.*§. *Ea lege.* ver. *In ei gloſ.ff.* De *verbor. obligat.* Quia cum Eccleſia ſit priuilegiata, & eius cauſa fauorabilis, difficilius eſt recuperabile, quod in ipſam alienatur.

6 Neque obſtant, quæ in oppoſitum allata ſunt, nam licet hypotheca realis in certis bonis ſequatur rem, & quantum eſt

eſt ex hoc capite, non faciat deteriorem conditionē creditoris, & proinde, quātū eſt ex ſe non prohibeat translationē dominij, quādo tamē coniūgitur cū prohibitione alienationis, impedit talem trāſlationem, vt dictum eſt *num.* 4. quia dicta prohibitio reſeruat ius creditoris non ſolum in re hypothecata, ſed etiam apud eum, cui eſt res hypothecata; vnde alienando ius creditoris, quod habet apud vnam perſonam, transferretur apud aliā, quod ſine conſenſu ipſius nō tenet, cum nemo poſſit diſponere de iure alieno.

7 Ad 2. reſp. prohibitionem Principis de non alienando tenere, & intelligi otiā quò ad Eccleſiam, quia non eſt prohibitio per modum ſtatuti, quæ ponatur iuriſdictionali modo, & proinde non debeat extendi ad eccleſiaſticos, cum non extendatur iuriſdictio; ſed eſt per modū pacti poſita in contractu, cui contrahentes apponere poſſunt, quas conditiones voluerint. Cum enim quilibet ſit rei ſuæ arbiter, poteſt ipſi, quas leges voluerit, apponere. *l.* 1. *§. Cōueniat. ff. Depoſiti.* & *l. Si quid poſſeſſorem. §. Sicut autem* & *l. Sed & ſi lege. §. Conſuluit. ff.* De petit. hered. & *l. Legem.* C. *De donat.*

An, quando Superiores locales Regularium habent ius interueniendi Capitulo Generali, poſſint interuenire non adepta poſſeſſione ſuæ Prælaturæ. Quæſt. 311.

S V M M A.

1 *Electus, & confirmatus habet ſtatim, quæ ſunt dignitatis, & iuriſdictionis.*
2 *Superior localis regularium non adepta poſſeſſione non interuenit Capitulo Generali.*
2 *Prælatus non poteſt exercere iuriſdictionem, aut adminiſtrare, niſi oſtendat litteras &c.*
3 *Ratio finalis Extrauag. Iniuncta, militat in quocunq. Superiore.*
4 *Dictum ampliatur, & reſtringitur per rationem.*
4 *Vbi eſt eadem ratio, ibi eſt eadem lex comprehenſiuè, & facit, quod caſus ſit comprehenſus.*
5 *Ex proemio generali reſultat generalis conſtitutio.*
6 *Prouiſus non poteſt adminiſtrare ante adeptā poſſeſſionem.*
6 *Ius ex electione, & confirmatione non eſt efficax ante adeptam poſſeſſionem.*
6 *Beneficium non vacat adepto ſecundo incompatibili, niſi apprehenſa poſſeſſione.*
7 *Habere vocem in Capitulo generali eſt quid iuriſdictionis.*
8 *Sublato antecedenti tollitur conſequens.*
9 *Cur apud aliquas religiones Superiores habeant vocem in Capitulo Generali non adepta poſſeſſione.*

1 Poſſe interuenire, etiam ſi non ceperit poſſeſſionem ſuæ Prælaturæ, videtur tenēdum, quia ſtatim ac aliquis eſt canonicè electus, & confirmatus, ſi cōfirmatio ſit neceſſaria, habet ea, quæ ſūt dignitatis, & iuriſdictionis Cap. *Trāſmiſſam.* & Cap. *Noſti.* & Cap. *Qualiter.* De *electione.* & Cap. *Inter corporalia.* De *translatione Epiſcop.* & latè Couaruu. *lib.* 3. *Variar. cap* 16. *num.* 1. Paris. *lib.* 10. *De reſignat. quæſt.* 6. *num.* 1. & communiter, & proinde poteſt interuenire Capitulo Generali, cum hoc ſit actus quidam iuriſdictionis propriè Prælaturæ. Verum hoc licet de iure antiquo procederet, de iure tamen nouo aliter dicendum eſt.

2 Vnde tenendum eſt, *quod non poſſit interuenire*, quia non poteſt Prælatus habere aliquam admiſtrationem, aut exercitium iuriſdictionis, antequam oſtenderit litteras authenticas ſuę prouiſionis, aut confirmationis per Extrau. *Iniuncta.* De *elect. inter communes.* & ex hoc tex. notant Felin. *in Cap. Eam te.* *num.* 3. ver. *Sed caue.* Abbas *in Cap. In noſtra. n.* 7. ver. *Dicit tamen.* De *reſcriptis.* Garzias *De benefic. par.* 5. *cap.* 4. *num.* 250. Azor. *par.* 2. *lib.* 3. *cap.* 29. *quæſt.* 9. & *lib.* 7. *cap.* 1. *quæſt.* 2. Barboſa *in l. Diuortio. init. par.* 2. *num.* 50. *ff.* Soluto matrimonio Gratian. *Diſcept. forenſ. cap.* 127. *num.* 45. Pariſ. *lib.* 8. *De reſignat. quæſt.* 5. *nu* 33. Riccius *par.* 4. *Collectan.* 1325. Lauor. *Variar. Lucubrat.* Tit. 4. *de elect. cap.* 25. *nu.* 9. Lotter. *De re benefic. lib.* 1. *quæſt.* 27. *n.* 30. Rota *in Burgenſi Canonicatus.* 3. *Iun.*

1583.

1583. *coram Cardinali Lancellotto.*

3 Nec dici poteſt, quod dicta Extravag. *Iniuncta* diſponat ſolum de ijs, qui promouentur, aut confirmantur à ſummo Pontifice, non autem de ſuperioribus localibus Regularium, qui intra religionem promouentur, nec indigent confirmatione ſummi Pontificis. Quia ratio finalis eſt auferre pericula, quæ contingere poſſunt, ſi quis ſine litteris authenticis aſſerat ſe eſſe conſtitutum in officio, aut dignitate &c. ibi *Sane quàm periculoſum exiſtat, quod aliquis in officio, dignitate, vel gradu ſore ſe, aſſerat, & pro tali etiam habeatur, niſi prius ipſe, quod aſſerit, legitimis oſtenderit documentis, tàm ex ciuilibus, quàm ex canonicis inſtitutis colligitur euidenter, &c.* Et infra *Quod autem in illis, qui ſe Epiſcopos, vel Superiores, prelatos, aut etiã Abbates, priores ſeu alios monaſteriorum rectores, quocumque nomine cenſeantur, appellant, ſit diſcuſſio celebris, & diligens facienda, luculenter appareat, ſi ſcandala, & pericula grauia, quę ipſorum parere poſſet communicatio indiſcuſſa, diligentius attendantur. Hinc nos euidens euocat ratio, vt cum præmiſſis alijs caſibus, qui minoris exiſtant periculi, ſit ex conſtitutionibus editis iam prouiſum, hunc vltimũ, qui pericula grauiora minatur, nequaquam ſine prouiſionis opportunæ remedio relinquamus.* Hæc autem ratio finalis habet locum in quocunque Superiore à quocunque creetur, quia ſi reciperetur, & adminiſtraret ſine documento legitimo de ſua promotione, haberent locum eadẽ pericula, quæ poſſunt emergere, ſi creati à Sede Apoſtolica recipiantur ſine litteris &c.

4 Quia autem dictum ampliatur, & reſtringitur per rationem *l. Vnum ex familia. §. fin. ff.* De legat. 2. et *l. Si is, qui animo. ff.* De *acquirend. poſſeſ.* et notant laſ. *in l. Id, quod. num. 7. ff.* De legat. 1. Surdus *Conſil. 67. num. 20.* Rota *Deciſ. 10. n. 2. par. 1. Recent. apud Farinac.* Idcirco dicta conſtitutio habet locum in omnibus ſuperioribus à quocunque creati ſint, ſiquidem vbi eſt eadem ratio, ibi eſt eadẽ lex non extenſiuè, ſed comprehenſiuè, quia facit, quod caſus ſit comprehenſus ſub diſpoſitione legis. *l. Illud.* C. *De ſacroſanct. Eccleſ.* & *l. Item veniunt. § Ait Senatus. ff.* De *petit. hæred.* & *l. His ſolis.* ver. *Satis etiam cautè putamus.* C. De *reuocan. donat.* & *l. Regula. §. fin. ff.* De *iuris, & fact. ignor.* & notant *ibid.* Bart. & Bald. Abbas. *in Cap. Sicut circa. in fine.* De *[illegible] ſtib.* Frãc. *in Cap. Pro humani.* De *homicid. in 6.* Dominic. & Imol. *ibid* Cotta *in Memorabil.* ver. *Ratio generalis.* Roman *Conſil. 16. nu. 4.* Rolan. *Conſil. 67. num. 84 vol. 3.* Curt. iun. *Conſil. 185.* Villagut. *De extenſ. leg. Rubr. De extenſione leg. pœn. reſp. mera pœna. nu. 22.* Tiraquel. *in l. Si vnquam. verbo.* Libertis. *num. 45.* C. *De reuocan. donat.* Surd. *Deciſ. 276. num. 8.* Gutierez *lib. 3. pract. quæſt. 17. nu. 84.* Gonzalez *ad reg. 8. Cancel. §. 7. proem. num. 105.* Gratian. *to. 5. diſcept. forenſ. cap. 918. nu. 66.* Rebuf. *ad l. In lege cenſoria.* ver. *Itemq. de ſeruis. ff.* De *verbor. ſignificat.* Gloſ. *in Cap. 1. ver.* Italia. *De temp. ordinat. in 6.*

5 Vnde quando proemium eſt generale, vt in dicta conſtitutione *Iniuncta*, reſultat etiam generalis diſpoſitio, quãuis verba ſpecialia ſint per dictam *l. Regula. ff.* De *iur. & fac. ignorant.* ibi *Nam initium conſtitutionis generale eſt.* & notãt *in hunc text.* Doctores Tiraquel. *Tract. Ceſſan. cauſa par. 1. num. 139. & limit. 1. num. 64.* plures allegans. Tuſch. *Littera P. concluſ. 892.* alios citans. Burgos de Paz *Conſil. 32. num. 6.* Molina *lib. 1. de primogenit. cap. 5. num. 3.* Burſat. *Conſil. 76. num. 9.* Lappus *Allegat. 101. num. 24.* Vincent. de Franchis *Deciſ. 18. num. 3.* Gutierez *lib. 3. pract. quæſt. 17. num. 90. &* ſequen. & communiter.

6 Hinc communiter docent, quod prouiſus non poteſt adminiſtrare ante apprehenſam poſſeſſionem. Ita Abbas *in Cap. Transmiſſa.* De *electione.* Franc. *in Cap. Eum, qui.* De *preben. in 6.* Paris. *Conſil. 5. num. 21. & 22. & Conſil. 38. num. 7. vol. 4.* Federicus de Senis. *Conſil. 234.* Capel. Tholoſ. *Deciſ. 443.* Rebuf. *De pacifica poſſeſ. num 234. & 251.* Ripa *Reſpõſ. 31. lib. 2.* Silua *De beneſic. par. 2. quæſt. 15.* & communiter. Cuius rei ratio eſt, quia ius, quod per electionem, & confirmationem acquiritur, non eſt firmum, & effi-

eax ante apprehenſionem poſſeſſionis, vt tradunt Doctores in Cap. *Si tibi conceſſo. De præbend. in* 6. Rebuf. *Conſil.* 186. *num.* 18. Milis. *in Repert. verbo* Beneficium. *num.* 11. ver. *Beneficium ſecundum.* Moder. *De iure Indiar. lib.* 2. *cap.* 13. *num.* 16. & habetur ex citato tex. Cap. *Si tibi conceſſo.* vbi decernitur, quod prius beneficium non vacat ex collatione ſecundi incompatibilis, quouſque non ſit apprehensa poſſeſſio huius ſecundi, & percipiantur fructus; ex quo infertur, quod beneficium ante apprehenſam poſſeſſionem non obtinetur pleno, & efficaci iure, ſiquidem cum faciat vacare aliud beneficium incompatibile, hoc non præſtat, niſi ſit apprehenſa poſſeſſio.

7 Actus autem accedendi ad Capitulum generale eſt actus iuris, quod cōpetit ſuperioribus localibus, quia habent ius accedendi ad Capitulum generale, quatenus ſunt tales ſuperiores: vnde, cum nō poſſint exercere iura ſuperioritatis, niſi poſt apprehenſam poſſeſſionem, nec etiam poterunt exercere ius ingrediendi capitulum Generale. Et cum ius acquiſitum per electionem, & confirmationem non ſit ius firmum, & efficax ante apprehenſam poſſeſſionem, vt dictum eſt *num. præcedenti*, non poteſt parere aliquem effectum, & proinde nec facultatem ingrediendi Capitulum generale.

8 Quod etiam ex eo colligitur, quod ſublato antecedenti tollitur etiam, quod inde conſequitur. *l.* 1. *S. Huius. ff.* De *offic. eius, cui man. eſt iuriſd.* & notant Gloſ. *in l. Vtiq. ff.* De *rei vēdicat.* Bald. *in l. Eius.* C. De *vſuris.* Iaſ. *in l.* 2. *ff. Si quis caut.* Imola *in l. Atheius. §. fin. ff.* De *aqua plu. arcen.* Alexand. *in l.* 1. C. De *iudic.* Menoch. *Conſil.* 187. *num.* 12. Facultatem autem ingrediendi Capitulum Generale eſt facultas conſequens ad facultatem exercendi iura ſuperioritatis. Vnde cum ante apprehenſam poſſeſſionem non habeāt facultatē exercendi iura ſuperioritatis, nec etiam habebunt ad ingrediendum capitulum generale.

9 Hæc tamen non habent locum apud illas religiones, apud quas eliguntur aliqui ad gradus hoc intuitu, vt compleant numerum vocum, inter quas aliqui habent ſolum titulum ſuperioritatis abſque vlla adminiſtratione adnexa. Hoc tamen valet apud dictas religiones de iure ſpeciali, nō de communi, & quia habere vocem in Capitulo nō eſt acceſſoriū dignitati, ſed eſt principale, propter quod cōfertur dignitas, vnde apud alias religiones apud quas non eſt hoc ſpeciale ius, non habebit locum.

An princeps ſupremus poſſit condonare pœnas debitas delictis. Quæſt. 312.

SVMMA

1 *Intereſt communitati, quod delicta puniantur.*
2 *Princeps eſt ſupra ius poſitiuum.*
2 *Poteſt tollere effectus ipſius.*
3 *Pœna infligenda ſecundum legem ſunt ſub Principis arbitrio.*
3 *Princeps poteſt remittere pœnas, quando id ſpecialiter non nocet communitati.*
4 *Pœna non poteſt remitti, niſi pars læſa remittat offenſam.*
4 *Niſi aliter exigat publica vtilitas.*
4 *Princeps non poteſt ſine cauſa tollere ius tertij.*
4 *Publica vtilitas priuatæ anteponenda.*
5 *Pœna fiſco applicanda poteſt condonari à Principe ſine conſenſu partis læſæ.*
5 *Vnus actus exprimatur, & alter taceatur ad vitandum circuitum.*
6 *Pœna ob violationem legis humanæ poteſt condonari à Principe conſentiente parte læſa.*
7 *Princeps eſt ob bonum publicum.*
7 *Debet habere pro fine publicam vtilitatem.*
7 *Condonatio pœnæ non debet eſſe frequens, nec debet lædere æquitatem naturalem.*
8 *Ceſſat poteſtas principis, quando ſubintrat ius naturale aſſiſtens humano.*
8 *Ius naturale obligat omnes.*
9 *Pœna debita ob violationem iuris diuini aut naturalis non poteſt remitti, niſi bonū commune id exigat.*
9 *Princeps non eſt ſupra ius diuinum, aut naturale.*
10 *Exigente publica vtilitate tenetur princeps pœnas condonare.*
10 *Inducta ad vnum finem, non debent oppoſitum operari.*

Pœ.

11 *Pœna taxata à lege humana poteſt à Principe commutari.*
12 *Princeps ſine rationabili cauſa relaxans pœnas peccat mortaliter.*

---

1. Ratio dubitandi eſt, quia intereſt communitatis, quod delicta puniantur *l. Ita vulneratus. ff. Ad leg. Aquiliam.* & notat D Th. 2.2. *quæſt.* 67. *ar.* 4. *ad* 3. Vnde etiam Deuteron. 13. habetur, quod delinquens debet puniri, *Vt omnis Iſrael audiens timeat, & nequaquã vltra faciat quippiam huius rei ſimile.* remiſſio namque pœnæ inducit licentiam peccandi, & nutrit delicta.

2 E contra verò, cum Princeps ſit ſupra ius poſitiuum humanum, vt de cõmuni docent Caſtrenſ. *in l fin. nu.* 1. ver. *Vnde altius,* C. *Si contra ius, vel vtilitatẽ publ.* Penna *in l. fin. num.* 97. C. *De locan. præd. ciuilib.* Curtius iun. *Conſil.* 1. *num.* 21. quia nimirum eſt auctor legum, ita vt per eamdem poteſtatem, qua poteſt leges ponere, poſſit etiam eas diſſoluere. Atque adeo poſſit auferre eiuſdem iuris poſitiui humani effectus, vt docent Innocent *in Cap. Quæ in Eccleſiarum. num.* 9. & 21. ver. *Si verò Papa.* De conſtit. Ancharan. *ibid. num.* 9. Angelus *in l. Lucius. init. ff.* De euict. Abbas *Conſil.* 54. *num.* 1. *par.* 2. Felin. *in dict. cap. Quæ in Eccleſiar. num.* 55. De conſtit. Craueta *Conſil.* 144. *num.* 18. Curtius iun. *Conſil.* 138. *num.* 4. & *in l. Venia. num.* 6. C. De in ius vocan. Gozadin. *Conſil. num.* 38. Quia in illius diſpoſitione ſunt effectus, in cuius diſpoſitione eſt cauſa. Et ſpecialiter pœnæ infligendæ ſecundum legem ſunt ſub arbitrio Principis. *l.* 1. C. *De ſum. Trinit.* & notat Bart. *in l. Scripta.* C. *De precib. Imperat. offer.* Sequitur, quod poſſit reo dictas pœnas remittere.

3 Itaque poſſe Principem remittere pœnas, quando hoc non redundat in ſpeciale nocumentum publicæ vtilitatis, docent communiter Theologi cum D. Th. 2.2. *quæſt.* 67. *ar.* 4. *in corpore*, ita Suarez *de leg. lib.* 5. *cap.* 11. *num.* 9. Salas *diſp.* 15. *de legib. ſect.* 8. *num.* 109. Palaus *Par.* 1. *oper. moral. tr.* 3. *de lege pœnal. diſp.* 2. *punct.* 5. *num.* 1. Fragoſ. *De regim. reipub. Chriſt. par.* 1. *lib.* 4. *diſp.* 9. 1. *num.* 456. Valent *tom.* 4. *diſp.* 5. *quæſt.* 21. *punct.* 4. & cõmuniter etiam Iuriſtæ Grammat. *Conſil.* 34. *Criminal.* Petra *De poteſt. princip. cap.* 35. *num.* 8. Bald. *in l. Imperium in* 1. *lect. ff.* De iuriſdict. om. iud. Bart. *in l. Non omnis. §. Si quis. ff.* De re milit. Iacob. de S. Georg. *De Feud. verb.* Princeps *in* 7. *Speciali.* Caſtro *lib.* 2. *de poteſt. leg. pœn. Cap.* 12. Felin. *in Cap. Qualiter, & quando. §. Ad corrigẽdos.* De accuſation. Oddus Sfor. *De reſtit. in integ. quæſt.* 92. *num.* 12. Maſtril. *De indul. gener. cap.* 2. *num.* 1. Peregr. *De priuil. Fiſci. lib.* 5. *tit.* 2. *num.* 5. Marta *par.* 1. *De iuriſd. cap.* 44. Borel. *De præſt. reg. cap.* 38. *num.* 20. Rub. *Conſil.* 50. Seſſe *De inibib. §.* 5. *cap.* 1. *num.* 1. Pedemon. *Deciſ.* 29. *num.* 5 Penna *in l. Prædia num.* 77. C. *De loca. prædior ciuil.* Surd. *Conſil.* 53. *num.* 8. Afflict. *in Cap.* 1. *num.* 158. *& ſequent.* Cap. *Quæ ſint regal.*

4 Conueniunt tamẽ Doctores. Quod non poſſit pœna remitti à principe, niſi pars læſa remittat offenſam. vt habetur ex *l. fin.* C. *De abdit.* & *l.* 2. C. *De precib. Imperat. offeren.* & tradunt præter ſupra citat. Doctores *num. præced.* latè Plotus *Conſil.* 78. Riminal. iun. *Conſil.* 217. *num.* 23. *& ſequent. vol* 2. Boſſius *in Praxi* Tit. *De remed. ex ſola Clemen. num.* 24. Clarus *in Praxi Quæſt.* 59. ver. *Quia plerunq.* Deciſ. *Delphin.* 243. *par.* 2. Maſtril. *Ad Gener. indult. cap.* 24. *num.* 1. vbi plures alios allegat Quia ſi ſecus facerer, eſſet in præiudicium partis læſæ, cui ſatisfit per pœnã inflictam læſori. Neq. enim princeps poteſt tollere ſine cauſa ius tertij. *l. fin.* C. *Si contra ius, vel vtil. publ.* & notant Gabr. *Tit. De iure quæſi. non tol.* Iaſ. *in l. Barbarius. num.* 3. *ff* De offic. prætor. Bald. *in l. Teſtamentum.* C. De teſtam. Alexan. *ibid.* Craueta *Conſil.* 242. *num.* 10. Sarmien. *lib.* 1. *Select. interpret. cap.* 8. *num.* 20. alios citantes. Quod tamen debet intelligi, niſi concurrat aliqua cauſa, ob quam Princeps, ita exigente publica vtilitate poſſit iuri tertij derogare, nam tunc, etiam nõ remittẽte parte, poteſt pœnas condonare, ſi quidem publica vtilitas priuatæ præferenda eſt *l. fin.* C. Communia. *de*

legat. in authent. Et ita docet Vaſquez *cap.4. Illuſtrium controuer. n.11. lib.2.* Hoſtienſ. *in Cap.1. De iureiur.* Anton. *ibid.* Angel. *in l. Benè à Zenone. C. De quadrien. præſcrip.* & *in l. Venditor. §. Si conſtat. ff.* Commun. *prædior.* Bal. *in l. Conuentionem. ff.* De *pactis.* Bart. *in l. penul. C.* De *fide inſtrumen.* Panorm. *in Cap.1. not. 1.* De *paroch.* Dec. *Conſil.* 520. *nu.5.*

5 Quæ tamen doctrina eſt etiam limitanda ad pœnas corporales, aut ad pecuniarias, quæ aliquo modo redūdant in vtilitatem partis læſæ. nam ſi pœna ſit pecuniaria, & applicanda Fiſco, poteſt Princeps eam remittere, vt communiter Doctores *in l. Præſcripta C.* De *precib. Imper. offer.* vbi Iaſ. *num.8.* Gloſ. *in l. Venia. C.* De *in ius vocan.* quæ communiter recipitur. Gomez. *De delict.* Cap. de tortura reorū *n.36.* ver. Tertiò facit. Paris de puteo. *De ſindicatu. verbo.* Cōpoſitio. *cap.7. num.11.* Clar. *in praxi. §. fin qu. 59.* ver. *Et quia.* Barbat. *Conſil. 11. n.20. lib.4.* Gabr. *Conſil. 172. num.47. lib.1.* Felin. *in Cap. Super eo, num.5.* De *offic. deleg.* Dec. *in l. Venia. num.2. C.* De *in ius vocan.* Farinac. *Quæſt 6.* De *pœnis. num.25.* Boſſius *De remed. ex ſola clemen. Princip. num.25.* ver. *Niſi in pœnis.* Maſtril. *Ad gener. indult. Cap.24. num.19.* Et facit. *l.1. §. Is videtur. ff.* Si *quis ius dicen. non obtemp.* vbi etiam Doctores. Pœna namque fiſco applicanda eſt ſub diſpoſitione Principis, & nihil pertinet ad partem læſam, & ideo poteſt ob ipſo cōdonari. In hoc enim caſu cenſetur interuenire duplex actus, alter punitionis, quo pœna pecuniaria adiudicatur fiſco, & alter donationis, quo Princeps pœnam fiſco adiudicatam donat reo, & per cōdonationem vnus actus exprimitur, & alter ob vitandum circuitum tacetur, iuxta *l. Singularia. ff.* Si *certum pet.*

6 An autem, cōdonante parte offenſam poſſit princeps remittere pœnam, cum diſtinctione puto procedendum eſſe. Aut enim agimus de pœna debita ob tranſgreſſionem legis poſitiuę humanæ, aut ob tranſgreſſionem legis naturalis, aut diuinæ. Si de pœna debita ob tráſgreſſionem legis humanæ, abſolutè tenendum eſt, *poſſe Principem illam condonare, niſi hoc cedat in præiudicium communis vtilitatis.* Et habetur ex *l.2. C.* De *bon. damnat.* & *l. Relegati;* & *l. Ad beſtias §. Ex prouincia. ff.* De *pœnis.* & *l.1. in fine.* De *quæſt.* & *l. Interueniente. ff.* Ad *Senatuſcon. Turpil.* & *l. Reſcripta. in fine. C.* De *precib. Imper. offer.* Quia, vt dicebatur, Princeps ſupremus eſt ſupra diſpoſitionem iuris humani, quo regitur Reſp. & ideo poteſt impedire effectus ipſius condonando pęnas imponendas, præſertim, quia, licet pęnæ ſint determinatæ, adhuc tamen exequutio dependet ab ipſius voluntate.

7 Hæc tamen condonatio debet reſpicere bonum publicum, ſiquidem Princeps eſt propter communem vtilitatem, quam debet pro fine reſpicere. *l.2. §. Nouiſſimè. ff.* De *orig. iur.* & *l. Vnica. §. fin. C.* De *caducit. tollen.* & Cap.2. De *probib. feud. alien.* ibi. *Quoniam Imperialem decet ſolertiam, ita Imperij curam gerere, & ſubditorum commodum inueſtigare, vt Imperij vtilitas incorrupta conſiſtat,* & ideo in adminiſtratione regiminis debet ſemper reſpicere ad publicam vtilitatem. Vnde condonatio pœnarum non debet eſſe frequens, quia induceret ad peccandum ſub ſpe illam obtinendi, *§. Planè* inſt. t. De *iure nat. gent. & ciuil.* & *l. Legati. in fine.* & *l. Ad beſtias. ff.* De *pœnis.* & notant Farinac. *in praxi qu.6. De inquiſit. nu.19.* Maſtril. De *magis. lib.3. cap.7. num.6.*

8 Ex quo fit, quod non poſſit Princeps pœnas iure humano infligendas condonare, quando læderetur naturalis æquitas, quia licet ſit ſupra ius humanum, quando tamen ſubintrat ius naturale aſſiſtens iuri humano, & in ipſum refundēs naturalem æquitatem, tunc ceſſat poteſtas principis, vt notāt Abbas *in Cap. Quæ in Eccleſiar.* De *conſtit.* & *in Cap. Per tuas.* De *arbitr.* Ripa *in l. Quominus. ff.* De *flumin.* Hyppolit. *in pract. Crimin. §. Sequēs. num.39.* Petra De *poteſt. Princip. cap.3. q.3. num.78.* Bald. *in l.2. n.4.* ver. *Sed vbi ſunt C.* De *ſeruit. & aqua.* Craueta *De antiq. temp. par.1. in princ. nu.46.* Iſernia *in Cap. Naturales. num.1.* Si *de fac. defunc.* Roman. *Conſil. 345. num.11.* cùm Gloſ. *in l. fin C.* Si *contra ius, vel vtil. publ.* Lex enim na-

tura-

turalis, & dictamen rationis obligat omnes, vt pote poſita ab auctore naturæ, vt notant etiam Abbas *in Repet. Cap. Per tuas:* vet. *Nec obſtat.* De *arbitr.* Felin. *in Cap. Ad audientiam.* 2. *num.* 4. *De reſcriptis.* Bald. *in Cap.* 1. §. *Adhac.* *De pace iuram. firm.* Zaſius *Conſil.* 15. *nu.* 141. *vol.* 1. Vnde ſicut ſubditus non poteſt ire contra leges ſui Principis, ita nec Princeps contra æquitatem naturalem.

9 Hinc ſi agitur de pœna debita ob transgreſſionem legis diuinæ poſitiuæ, aut naturalis, cum de vtraque ſit eadem ratio, ſi quidem vtraque eſt poſita à Deo: vna quidem plantata in cordibus hominum, altera verò ab ipſo poſitiuè ſancita, exiſtimo non poſſe pœnam remittere, etiã ſi remiſſio non cedat in detrimentũ communis, vtilitatis; ſed inſuper requiri, quod remiſſio ſit ſecundum exigentiam boni communis. Ratio autem eſt, quia Princeps non eſt ſupra legem diuinam, & naturalem, ſed ipſis ſubijcitur, & ideo non poteſt diſponere circa ea, quæ ſtatuta ſunt per dictas leges Cap. *Cum inferior* De *maiorit. & obedient.* & Cap. *Quanto.* De *translatione Epiſcoporum.* & *l. Ille, à quo.* §. *Tempeſtiuum.* *ff.* *Ad Trebel.* nec deſtruere, quæ per dictas leges ſanciuntur, vt inter alios notant Mayron. *in* 4. *diſt.* 19. *quæſt.* 1. *art.* 2. Felin. *in Cap. Quæ in Eccleſiar. num* 24. De *conſtit.* Iſernia. *in Cap.* 1. §. *Vectigalia. num.* 4 *init.* *Quæ ſint regal.* Caſtrenſ. *Conſil.* 414. *n.* 4. *par.* 1. Socin. Conſil. 273. *n.* 9. *vol.* 2. Hyppolit. de Marſil. *in pract. crimin.* §. *fin. num.* 2. Angel. *in l. Adoptio non iure.* *ff.* De *adoptionib.* Alexan. *in l. Cum mulier. num.* 13. ver. *Et pro confirmat. ff.* Soluto *matrimonio.* Vnde cum lex naturalis, & Diuina exigat, puniri tranſgreſſores, tenebitur princeps eos punire.

10 Eſt tamen adnotandum. Quod ſi contingat caſus, in quo communis vtilitas exigat, pœnas relaxari, poterit princeps illas condonare; neq; hoc erit contra legem naturalem, aut diuinam, ſed ſecundum ipſas. Vtroque enim iure tenetur princeps procurare publicam vtilitatem, quam in toto regimine debet habere pro fine, vt dictum eſt *nu.* 7. & ideo debet ordinare pœnas ad ipſam: & proinde aut quando per pœnas læderetur, aut minus commodum ex ijs sẽtiret, poterit illas condonare; tali enim pacto proſpicit communitati, & ſubintrat lex ipſa naturalis præſcribens in his caſibus condonationem pœnarum. Quare nõ ſolum poteſt, ſed etiam tenetur aliquando Princeps dictas pœnas condonare, quando ſcilicet vergerent in damnum communitatis, quia inducta ad vnum finẽ, nõ debent oppoſitum operari. *l. Legata inutiliter. ff.* De *legat.* 1. & notant. Menoch. *Conſil.* 151. *num.* 30. & *Conſil.* 362. *num.* 34. Socin *Conſil.* 38. *vol.* 1. Rota *Deciſ.* 140. *num.* 4. *par.* 2. *Poſth. apud Farinac.*

11 Rurſus ſi pęna pro delictis contra legem naturalem, & diuinam ſit ſtabilita, & determinata per legem humanam, tunc, quia huiuſmodi determinatio eſt ſub diſpoſitione principis ex dictis *nu.* 6. poterit Princeps dictam pœnam commutare, dummodo tamen condignam delicto imponat, quãdo nulla adſit cauſa illam minuendi, vel relaxandi.

12 Ex quibus colligitur, quod ſi Princeps remittat pœnas abſque rationabili cauſa, peccat mortaliter, vt docent D. Antonin. *part.* 3. *tit.* 9. *cap.* 2. §. 5. Nauar. *Cap.* 25. *Manual. num.* 14. Sotus *lib.* 5. *De iuſt. & iur. q.* 4. *ar.* 4. Syluest. *verbo* Iudex I. *nu.* 16. Armilla *verbo.* Pœna. *n.* 18. Bannes *De iuſt. & iure qu.* 67. *ar.* 4. Aragon. *quæſt.* 60. *ar.* 5. Molin. *De iuſt. & iure tr.* 4. *diſp.* 48. Ledeſma *par.* 2. *Sum. tract.* 8. *c.* 22. *difficult.* 5. *concluſ.* 6. Azot. *part.* 3. *lib.* 13. *c.* 23. *quæſt.* 3. Molfeſ. *par.* 1. *Sum. tract.* 9. *c.* 9. *num.* 50. Maſtril. *De magiſt. lib.* 3. *cap.* 7. *num.* 19. quia facit in re graui contra proprium munus. Cap. *Homicidas.* 23. *Quæſt.* 5. & infert damnum notabile Reip. quia tribuit incentiuum delinquendi, nec minuit maleficia, ſed nutriret. Cap. *Iniuncta* 23. *quæſt.* 4 Vnde 3. Reg. 29. *Quia dimiſiſti virum dignum morte, de manu tua, erit anima tua pro anima eius.*

Quanam ſint cauſæ, ob quas Princeps poteſt condonare pœnas. Quæſt. 313.

S V M M A.

1 *Cauſa, ob quas princeps poteſt condonare pœnas.*
2 *Quæ cauſa requiratur ob condonationem pœnæ debitæ de iure naturali, aut diuino.*
3 *Pœna debita de iure humano poteſt relaxari ex quacunque rationabili cauſa.*
3 *Etiam ex ſola benignitate.*
3 *Proprium eſt Principis ſe gratioſum præbere.*
3 *Sola voluntas principis eſt iuſta cauſa remittendi bannitum, & quando.*
3 *Solus motus Principis quando ſit iuſta cauſa.*
4 *Specialis dilectio principis eſt iuſta cauſa relaxandi pœnam.*
4 *Bonum communitatis ita exigit puniri delicta, vt tamen relinquat locum miſericordiæ.*
5 *Merita delinquentis, aut maiorum ipſius ſunt iuſta cauſa relaxandi pœnas.*

1 DIuerſas cauſas aſſignant Suarez. *lib. 5. de legib. cap. 11. n. 9.* Salas *diſp. 15. de legib. ſect. 8. num.* 109. Palaus *par. 1. oper. moral. poen. tr. 3. de lege diſp. 2. punc. 5. num. 1.* Nimirum poſſe condonare in gratiam ſubditorum, vt ſe illis oſtendat benignum, & ipſorū animos erga ſe conciliet. Similiter poſſe condonare in gratiam alicuius Magnatis, qui pro reo deprecetur. Item ob vtilitatem perſonæ delinquentis, vel ob priora obſequia ab ipſo exhibita, & ob alias ſimiles cauſas; nam, inquiunt, condonatio pœnæ in his caſibus redundat in bonum pubilcum. Alias etiam aſsignat *Cicero lib. 4. Rhetor.* Et de ipſis etiam agunt Caſtro *lib. 2. de lege pœn. cap. 13.* Gloſ. *in l. Si ſeuerior.* C. *Ex quibus cauſ. infam. irrog.* vbi etiam Bald. Gomez *De tortura reor. num. 38.* Tholoſan. *par. 3. Sytag. iur. lib. 36. cap. 21. n. 2.* Molina *De iuſt. & iur. trac. 4. Diſp. 48.*

2 Verum hic quoque adhibenda eſt diſtinctio *quæſt. præcedenti num. 6.* tradita, nam valde diuerſum eſt etiam in ordine ad ſufficientiam cauſæ, ſi delictum ſit contra legem naturalem, & diuinam, aut aliquo modo ſubintret æquitas naturalis, vel ſi tātū locū habeat diſpoſitio iuris humani. Si enim ius naturale, aut diuinum exigat punitionem, non poſsūt prædictæ cauſæ eſſe ſufficientes pro condonanda pœna, niſi concurrant tales circunſtantiæ, quæ faciant, quod condonatio præponderet punitioni, aut ſaltem æquiualeat quò ad vtilitatem redūdantem in communitatem. Si enim ſaltem non æquiualeret, malè Princeps adminiſtraret communitatem, quia poſthabita ipſius vtilitate anteponeret commodum priuatum delinquentis bono communitatis, & ideo faceret contra proprium munus, quod eſt proſpicere ſemper ad id, quod omnibus prodeſt. *l. Vnica. §. fin.* C. De *caduc. tollen.* Quando tamen æquiparat cōdonatio vtilitatem, quæ communitati proueniret ex punitione, erit in poteſtate Principis eligere, quod libuerit, quia tamquam adminiſtrator non determinatur ab exigentia publici boni ad vnam potius, quam ad aliam partem.

3 Si verò delictum ſit contra legem humanam, prædictæ cauſæ erunt ſufficientes, quia tunc pœna, cum ſit debita ſolum de iure humano, eſt ſub diſpoſitione principis, & ideo poteſt illam relaxare ex quacunque rationabili cauſa. Imo etiam ſine cauſa ex ſola benignitate, quia cum ſit proprium Principis eſſe liberalem, & gratioſum, vt ait Bald. *in l. Legatis. in fine. ff.* Ad *leg Falcid.* poteſt relaxare pœnam, vt ſe oſtendat benignū, & gratioſum; & hæc erit ſufficiens cauſa, & rationabilis. Et proinde ſufficere ſolam voluntatē Principis pro remittendo bannito, quia ſola voluntas, Principis eſt iuxta cauſa, tradunt Gloſ. *in l. Relegati. ff.* De *pœnis.* Iaſ. *Conſil.* 236. & ſolum motum Principis eſſe iuſtam cauſam, Abbas *in Cap. Niſi ſpecialis.* De *offic. leg.* Innocent. *in Cap. Cum ad monaſteriū.* De *ſtatu Monachor.* Petra *de poteſt. Princip. cap. 32. quæſt. 4. num. 2.* Borel. *De præſtant. Reg. Cathol. cap. 38. num. 70.* Quod intelli-

gi debet, vt notat Innocent. in ijs, quæ ſunt iuris poſitiui.

4 Hinc à fortiori ſpecialis dilectio Principis eſt ſufficiens cauſa ad relaxandam pœnam, vt eſt tex. expreſſus Cap. *Niſi ſpecialis*. De *offic. legati*. Vbi Gloſ. *verbo Specialis*. Barb. *in Repet. Cap. Raynaldus* ver. *Et idem dicas in Principe*. De *teſtamen*. Tiraquel. *De pœn. temper. cauſ. 6. num. 1.* quia nimirum præſumitur, quod dilectio principis rationabilis ſit, & impenſa perſonæ dignæ; eſt autem conueniens, quod Princeps indulgeat ſuæ rationabili dilectioni. Et hęc cauſa habet locum etiam in pęnis debitis ob transgreſſionem legis naturalis, aut diuinæ, ſi non quò ad totalem condonationem, ſaltem quò ad diminutionem, quia naturali iure bonum communitatis non ita exigit rigoroſam punitionem, quin etiam indulgeat aliquando miſereri. Siquidem, vt conſtat in Deo, miſericordia coniungi debet cum iuſtitia, & ideo Princeps, ita debet adminiſtrare rempublicam, vt cum iuſtitia, & punitione coniungat miſericordiam, atque adeo condonationem pœnæ, cum autem miſericordia ſit effectus amoris, poteſt erga eos illam exercere condonando pœnas, quos ſpecialiter diligit.

5 Similiter merita delinquentis, aut maiorum ipſius ſunt cauſa ſufficiens pro relaxanda pœna *l. 2. §. Poſtea cum Appius. ff.* De *orig. iur.* & *l. Non omnes. §. fin. ff.* De *re milit.* & notant Roman. *Conſil.* 130. ver. *Videmus* Tiraquel. *De pœnis temperan. cauſa* 49. *nu.* 1. & hæc cauſa habet locum etiā quò ad eos, qui deliquerūt cōtra legem naturalem, aut diuinam. Si quidem lex naturalis præſcribit gratitudinem erga benemeritis, & ideo debet Princeps eam exercere tanquam adminiſtrator iuris naturalis cum benemeritos erga rempublicam; exercebit autem, ſi intuitu meritorum condonet pœnas delinquentibus.

An Præfectus annonæ, poſſit cogere ad emendum frumentum corruptum, aut proximum corruptioni priuatæ perſonæ, vt ipſi gratificetur. Quæſt. 314.

S V M M A.

1 *Præfectus annonæ poteſt cogere ad emendum frumentum publicum, licet deprauatum.*
2 *Frumentum eſt fundamentum, vnde caritas, vel abundantia aliorum comeſtibilium.*
2 *Intereſt reipub., quod comeſtibilia abundent.*
2 *Publica vtilitas priuatæ præferenda.*
3 *Præfectus annonæ non poteſt cogere ad emendum frumentum vitiatum, quod non eſt de publico.*
3 *Cauſa limitata parit limitatam facultatem.*
4 *Præfectus annonæ cogens ad emendum frumentum vitiatum et c. tenetur ad reſarciendum damnum.*
4 *Quibus debeat reſarcire.*
5 *In quo Præfectus annonæ poſſit gratificari amico habenti frumentum vendibile.*

1 PRæfectum annonæ poſſe cogere eos, qui panem pro communitate conficiunt ad emendum frumentum publicum, licet vitiatum, dummodo tamen non ſit ita vitiatum, vt nociturum ſit ſaluti comedentium, extra dubium eſt, per ea, quæ tradunt Corſetus *in Singularib. Littera F.* verbo *Fiſcus*. Petrus Gherardus *Singul.* 59. Ariſmin. Tepat. *tom. 2. Variar. tit.* 393. *cap.* 1. *ver. Corruptas*.

2 Agitur namque de publica vtilitate, quod frumentum vetus, & iam marceſcens in nouum commutetur, & proinde intereſt communitati, quod vendatur, & conſumatur, vt nouum poſsit reponi. Frumentum namque eſt fundamentum, vnde reſultat caritas, aut commoditas aliorum commeſtibilium *l. 1. in fine*. C. *De frumen. vrb. Conſtan.* vbi Bart. Ripa *tract. De peſte.* tit. *De remed. ad conſer.*

De *offic. prætor.* Aret. *in l. 2. num. 1. ff. De verbor. obligat.* Angel. *verbo.* Diſpenſatio. *num. 3.* Syluester. *num. 5.* Armilla. *num. 14.* Sanchez *lib. 8. de matrim. diſp. 17. num. 4.* Vaſquez *1. 2. diſp. 178. cap. 3. nu. 17.* Valent. *tom. 2. diſp. 7. quæſt. 5. punc. 9.* Sà *verbo.* Diſpenſatio. *num. 3.* Sotus *lib. 7. de iuſt. & iure. quæſt. 4. ar. 3. ver. Supremum ergo.* Stunica *quæſt. 5. de voto. nu. 35.* Gutierez. *lib. 1. quæſt. canon. cap. 19. nu. 5.* Azor. *p. 1. lib 5. Cap. 15. in fine.* Salas *diſp. 20. de legib. ſect. 4. num. 31.* Suarez *lib. 6. de legib. c. 19. num. 1.* Gordon. *lib. 2. Theol. moral. quæſt. 13. cap. 5. ver. Dicendum ſecundo.* Pontius *lib. 8. de matrimon. cap. 14. num. 8.* Barboſa *par. 2. de poteſt. Epiſcopi allegat. 33. nu. 3.* Io. Sanchez *in Select. de ſacram. diſp. 54. num. 38.* Palaus *par. 1. Oper. mor. tract. 3. diſp. 6. pun. 8. §. 2. num. 3.* Laiman. *lib. 1. theol. moral. tract. 4. cap. 22. nu. 11.* Villalob. *par. 1. ſum. tract. 2. difficul. 41. num. 2.* Reginal. *lib. 13. Praxis fori pænit. num. 195.* Bonac. *diſp. 1. de legib. q. 2. punc. 3. num. 12.* Baldel. *tom. 1. Theol. moral. lib. 5. diſp. 52. num. 1.* Vuigers. *1. 2. quæſt. 97. art. 2. ver. Quæres* Martinez. *dub. 1. concluſ. 1.* Mærat. *tom. 1. ſum. diſp. 7. de legib. ſect. 9. ver. Ex qua doctrina.* Caſpenſ. *par. 1. Cur. Theol. diſp. 6. de legib. ſect. 4. nu. 24.* Lorca *1. 2. diſp. 27. de legib. in fine.* Auerſa *Quæſt. 97. ſect. 3. ver. Inſuper. ſi diſpenſet*, & communiter Theologi cum D. Th. *1. 2. quæſt. 98. ar. 12. ad 2.* & Canoniſtæ cum Gloſ. *in Cap. Non eſt.* verbo. *Adimplere. De voto.* Ratio autem eſt, quia inferior non habet facultatem dominatiuam ſupra legem ſuperioris, ſed eſt ſolum adminiſtrator; & ideo tenetur ſe fideliter gerere in regimine, & illud adminiſtrare, non ad libitum, ſed ſecundum leges, & exigentiam rationis. Ratio autem exigit, quod leges ab ipſo manuteneantur, & quod inſtituat regimen ſecundum ipſas; & proinde eas non relaxet per diſpenſationem, niſi ex iuſta, & rationabili cauſa. Vnde cum regimen non ſit illi commiſſum, niſi intra terminos rationis, non habet facultatem relaxandi leges per diſpenſationem, niſi ex iuxta cauſa; & ſi abſque ipſa diſpenſat, actus erit nullus defectu poteſtatis.

2 Ex his ergo reſp. *Non poſſe conſuetudine induci, quod fiat diſpenſatio in lege ſuperioris abſque præuia cognitione cauſæ.* Ratio autem eſt, quia conſuetudo, vt induci poſſit, debet eſſe rationabilis Cap *fin. De conſuetud.* ibi. *Licet etiam longeuæ conſuetudinis non ſit vilis auctoritas, non tamen eſt vſque adeo valitura, vt vel iuri poſitiuo debeat præiudicium generare, niſi fuerit rationabilis, & legitimè ſit præſcripta.* & *l. De quibus. ff. De legibus.* Et ſi inducatur, non præualet contra legem, ſed eſt merus abuſus, & debet extirpari. Authent. *Vt nul. iud. §. 1.* & Cap. *1. in fine. De alienat. feud* & Cap. *1. De cognit. feud.* & Cap. *Quæ contra mores.* & Cap. *Male.* & Cap. *Conſuetudo. Diſt 8.* & Cap. *Quamquam. De cenſib. in 6.* & notant communiter Doctores Bald. *in l. Dudum. C. De contrahen. empt.* & *in Rubr. in fine. C.* Quæ *ſit longa conſuetudo.* Archidiacon. *in Cap. Poſtulaſti. num. 2. De foro compet.* & *in Cap. Extirpandæ. num. 8. De præbend.* Natta *in Cap. Dilecto. num. 27. De offic. Archidiaconi.* Boich. *in Cap. Abbate. num. 16. De verbor. ſignificat.* Petrus Rauenna *De conſuetud. num. 107.* Lucas de Penna. *Repet. l. vn. num. 9. C. De collat. donat.* Craueta *Conſil. 952. num. 19. lib. 5.* Quia cum faciat irrationabiliter operari, & contra debitam honeſtatem, eſt nutritiua peccati, & proinde extirpanda, vt notant Doctores in Cap. *Ex parte. De conſuetud.*

3 Diſpenſare autem in lege ſuperioris abſque cognitione cauſæ eſt irrationabile, contra honeſtatem, & exigentiam boni regiminis, quia non eſt diſpenſare, ſed diſſipare, quod ſalubriter à legibus introductum eſt pro communi vtilitate, vt tradunt communiter in *Cap. 1.* & *in Cap. Non eſt. De voto.* Abbas *in Cap. Significaſti. De electione.* Rebuf. *in Praxi Benefic.* Tit. *De diſpenſat. ad plura benef. n. 52.* Menoch. *Conſil. 15. num. 15.* Io. Monach. *in Cap. 1. De ætat. & qualit. ordin. in 6.* Curſen. *Conſil. 16. & 17.* Bartholom. Socin. *Conſil. 246.* ver. *Circa ſecundum.* & *Conſil. 251.* ver. *Non ommitto. vol. 2.* Paris. *Conſil. 12. num. 210. vol. 2.* Rolan. à Valle *Conſil. 61. num. 26. vol. 1.* Vnde cum contineat diſſipationem boni regiminis, eſt

corruptela, & contra regulas rectæ, rationis, & proinde peccaminoſa, & infert iniuriam communitati. Vnde talis diſpenſatio continet peccatum mortale quidem, ſi ſit in re graui, & veniale, ſi in re leui, vt inter alios notat Palaus *part. 1. oper. moral. tract. 3. diſp. 6. punc. 8. §. 2. nu. 6.* vſurpatur namque iuriſdictio, quæ non eſt conceſſa; & fit in re graui contra proprium munus, atque adeo contra iuſtitiam legalem, & plura alia damna inferuntur. Per actus autem peccaminoſos non poteſt induci conſuetudo.

4 Accedit etiã, quod diſpenſatio facta in lege ſuperioris abſque præuio examine cauſæ, etiam ſi ſecundum aliquos ſubſiſtat, ſi reuerà adſit ſufficiens cauſa quò ad forum conſcientiæ, in foro tamẽ exteriori nulla eſt, etiam ſi cauſa aliàs eſſet ſufficiens, vt inter alios tradunt Panorm. *in Cap. Quæ in Eccleſ. num.* 10. *De conſtit.* Felin. *num. 6*, Dec. *num.* 129. *in noua edit.* Roman. *Conſil.* 436. *nu.* 19. Socin. ſen. *Conſil.* 263. *lib.* 2. Gozadin. *Conſil.* 51. Gigas *De penſion. quæſt.* 6. *num.* 12. Rebuf. *in Praxi.* Tit. *De diſpenſat. ad plura beneſ. n.* 53. Maſcar. *De probat. Concluſ.* 275. Menoch. *lib.* 2. *Præſumpt.* 20. *num.* 25. Hoſtienſ. *in Cap.* 2. *De ſcibiſmet.* Io. De Annan. Io. Andr. Butr. Ancharan. Cardin. *ibid.* Abbas. *num.* 3. Imola *in l. Quidam conſulebat. ff. De re iud.* Caſtrenſ. *ibid. n.* 8. *ver. Allegatur etiam.* Iaſ. *in l. Barbarius. n.* 14. *ff. De offic. Prætor.* Grammat. *Deciſ.* 81. *n.* 9. teſtans de communi. Io. De Sylua *De benefic. quæſt.* 10. *num.* 24. Sicut enim diſpenſatio in lege ſuperioris abſolutè non ſubſiſtit, ſi non interueniat iuxta cauſa; ita nec ſubſiſtit pro foro exteriori, niſi apud ipſum conſtet de cauſa ſufficienti; Sunt enim paria, non eſſe, & eſſe, & non apparere. *l. Duo ſunt. ff.* De *teſt. tut.* & *l. In lege. ff. De contrahen. empt.* & *l. Cum res. §. Itaq. ff. De legat.* 1. Non poteſt autem conſtare, niſi præuiſſo examine.

5 Cum ergo diſpenſatio in lege ſuperioris abſque cauſæ cognitione, ſaltem pro foro exteriori, ſit nulla, nõ poteſt inducere conſuetudinem, quia quod nullum eſt, nullum poteſt inducere effectũ. *l. Non putauit. §. Non quæuis. ff.* De *bonor. poſſeſ. contra tab.* & *l.* 2. *ff.* De *auct. tut.* & *l. Si aut nullũ.* C. De *legit. hered.* & Cap. *Illud.* De *iure patronat.* Cum enim conſuetudo inducatur ex actibus, actus ſunt cauſa conſuetudinis; cauſa autem nulla, ſicut in ſe nullam habet vim, ita nec poteſt aliquem producere effectum. Et proinde, nullum eſſe, & eſſe ſine effectu paria ſunt, vt dixerunt Crauet. *Conſil.* 206. *nu.* 12. *vol.* 2. Surd. *Deciſ.* 51. *num.* 21. & 22. & *Conſil.* 3. *num.* 8. & *Conſil.* 157. *num.* 13. Anton. Monach. *Deciſ. Bononien.* 4. *pun.* 7. *num.* 20. Macerat. *lib.* 1. *Variar. Reſol.* 61. *num.* 24. Et quod nulliter factum eſt, habetur pro non facto, ſi quidem paria ſunt Non factum fuiſſe, & nulliter fuiſſe factum *l. Quoties. ff. Qui ſatiſdare cogantur*, & *l. vnica.* C. De *rei vxor. act.* & notant Surd. *Conſil.* 359. *num.* 1. Io. Baptiſ. Coſta. *De facti ſcient. & ignoran. Inſpect.* 23. *per totam.* Anton. Monach. *Deciſ. Florent.* 26. *num.* 2. Et ideo diſpenſatio in lege ſuperioris ſine cognitione cauſæ tanquã nulla, etiam ſi aliàs cauſa adeſſet, in foro exteriori non poteſt, quantumuis pluries, & pluries repetita, inducere conſuetudinem, quæ pro foro exteriori inducenda eſt, quia huiuſmodi actus diſpenſandi, tanquam nulli, non reputantur non ſecus, ac ſi non eſſent.

6 Ex his colligitur, quod, cum apud quamdam religionem extet ſtatutum, quo decernitur, quod PP. Vocales, qui interfuturi ſunt cuidam electioni certo tempore ante dictam electionem iugiter permaneant in cõuentu, cui ſunt aſſignati, nec poſſint abeſſe, niſi ob commune bonum religionis, aut ex imminẽti neceſſitate à Patribus Capituli per ſecreta ſuffragia approbanda, aliàs in dicta electione careant voce actiua, & paſſiua, non poteſt, nec potuit introduci cõſuetudo, quod omnes indiſcriminatim diſpenſẽtur à Capitulo, vt poſſint abeſſe; ſed ſi abſentes erunt, contrahent dictam pœnam non obſtante tali diſpenſatione, etiam ex conſuetudine conceſſa. Si quidem cum fiat diſpenſatio abſque cognitione cauſæ, nulla eſt, nec poteſt habere pro fundamento conſuetudinem, cum non poſſit induci, vt conſtat ex dictis, & ideo

ideo nõ poteſt habere effectum relaxandi obligationem legis. Vnde cum maneat lex in ſuo robore, & vigore non obſtante huiuſmodi diſpenſatione, manet etiam pœna impoſita à lege.

7 Et à fortiori, quæ dicta ſunt, habent locum in præſenti ſtatuto, de quo *num. præcedenti*. quia pro diſpenſatione requirit cauſæ cognitionem, ſi quidem requirit, quod imminens neceſſitas approbetur capitulariter, & per vota ſecreta, quando autem committitur diſpenſatio exequenda præmiſſa cauſæ cognitione, ſi non præcedat cauſæ cognitio, diſpenſatio nulla eſt, etiam ſi aliàs adeſſet cauſa ſufficiens, quia non ſeruatur forma præſcripta à lege. Corruit enim actus omiſſa forma legis *l. Cum his. §. Si prætor. ff.* De *tranſact.* & *l. Traditionibus.* C. *De pactis.* & Cap. *Cum dilecta.* De *reſcriptis.* & Cap. *Quia propter.* De *electione.* & Cap. *Quæ contra.* De *reg. iur. in* 6.

8 Quod autem in dicto ſtatuto, quãdo præſcribitur cauſa, ob quam poſſit fieri diſpenſatio, & quod talis cauſa debeat à Capitulo per ſecreta ſuffragia approbari, præſcribatur forma ſeruanda, ex eo colligitur, quod præſcribitur modus ſeruandus in diſpenſatione, & aſsignatur cauſa approbanda, tanquam conditio, cum qua ſola poſſit habere locum diſpẽſatio. Conditio autem inducit formam. *l. Qui heredi*, & *l. Mauius. ff.* De *condit.* & *demonſtrat.* & notant Tiraquel. *Tit.* 2. *§.* 2. *Gloſ.* 1. *nu.* 3. & 4. Tuſch. *Littera* C. *Concluſ.* 483. *nu.* 8. Honded. *Conſil.* 60 *nu.* 26. Bech. *Conſil.* 39. *n.* 19. Menoch. *Conſil.* 60. *num.* 48. Gutierez *lib.* 1. *pract. Quæſt.* 17. *num* 11. Grat. *Conſil.* 12. *num.* 22. *vol.* 2. Pariſ. *Conſil.* 97. *nu.* 86. *lib.* 1. Rota *Deciſ.* 315. *num.* 3. *apud Farinac. par.* 1. *Recent.* Vnde diſpoſitionem cum conditione importare formam, dixit Menoch. *lib.* 1. *De arbitr. quæſt.* 30. *num.* 5. Boccat. *ad Conſtit. Marcb. gloſ.* 6. *num.* 156. Tuſch. *littera* F. *concluſ.* 414. *num.* 10. 13. & 17.

9 Et amplius confir. Quando lex præter ius commune aliquid de nouo introducit, quicquid in ipſa exprimitur, reputatur de forma, vt docent Rolan. *Conſil.* 82. *num.* 61. *lib.* 3. Ancharan. *Conſil.* 241. *num.* 6. Surd. *Deciſ.* 298. *num.* 9. Boccat. *ad Conſt. Marcb. gloſ.* 6. *n.* 163. & 165. Rota *in Roman. ſocietatis* 5. *Decemb.* 1616. *coram Rembol.lo*; quia nimirum ſe habet vt regula ordinatiua illius, quod eſt faciendũ, & determinatiua ſubſtantiæ actus, & ideo quicquid exprimitur, ſubſtantiale eſt, atque pertinens ad formam actus. Cum ergo dictum decretum inducat aliquid de nouo præter ius commune, totũ, quod in ipſo præſcribitur, cenſendum eſt pertinere ad formam, & propterea eo non ſeruato, actum non ſubſiſtere.

An, qui habet facultatem declarandi leges, aut ſtatuta, poſſit ita declarare, vt declaratio contineat aliquid, quod non ſit conceptum ex verbis legis. Quæſt. 309.

S V M M A

1 *Habens poteſtatem legiſlatiuam poteſt leges veteres ita declarare, vt aliquid de nouo ſtatuat.*
1 *Actus præſumitur factus ex eo capite, ex quo ſubſiſtit.*
2 *Habens puram facultatem declarandi non poteſt declarare, quod non eſt ſtabilitum in lege.*
2 *Declaratio extra limites verborum non eſt declaratio, ſed diſpoſitio.*
3 *Declaratio nil noui dat, ſed datum ſignificat.*
4 *Declaratio oſtendit, quid factum ſit, nec alterat ſubiectum, ſed relinquit in propria natura.*
5 *Declaratio ex verbis legis, & ex ratione eruitur.*
6 *Declaratio poteſt extendere, aut reſtringere legem ad menſuram rationis.*
7 *Statutum cuiuſdam religionis malè declaratum.*
7 *Declaratio non eſt correctio ſtatuti.*
7 *Res per quas cauſas naſcitur, per eaſdem diſſoluitur.*

1 Si habeat etiam facultatem cõdendi leges, aut ſtatuta, certum omnino eſt, quod poteſt leges conditas, aut ſtatu-

ſtatuta ita declarare, vt extendat, aut aliquid addat, aut minuat. Tunc enim declaratio, quãuis vt continens aliquid, quod non ſit erutum ex viſceribus legis, non habeat vigorem in virtute legis iam conditæ, habet tamen in virtute poteſtatis legiſlatiuæ; ſicut enim declarans poteſt condere nouas leges, ita etiam poteſt conditas variare ampliando, reſtringendo, aliquid de nouo addendo, nam hoc cenſetur fieri non per declarationẽ, ſed ex vi poteſtatis legiſlatiuæ. Actus enim ſemper præſumitur factus ex eo capite, & per eam facultatem, per quam poteſt ſubſiſtere *l. 3. ff. De teſtam. milit.* & *l. Cum pater. ff. De iure dot.*

2 Si aut quis habeat puram facultatem declarandi leges, non autem poteſtatem legiſlatiuam, tenendum eſt; *quod non poſſit ita declarare, vt declaratio contineat aliquid, quod non ſit ſtabilitum in lege*. Et proinde neceſſe eſſe, quod declaratio eruatur ex verbis eiuſdem legis. Deſumitur ex Bart. *in l. Heredes palam. §. Si quid poſt. ff. Qui teſtam.* fac. Bald. *in l. fin. circa finem.* C. De *teſtib.* Angel. *in l. 2. ff. De iuriſdic. om. iud.* Abbate *in Cap. Nouit. not. 2. De appellat.* Franciſ. Curt. *in Authen. Hoc ſacramentum. num. 4.* C. De *iuram. calum.* quatenus docent, quod aliquid addere, vel detrahere non eſt declarare. Et rurſus ex Caſtren. *in l. Heredes palam. §. Si quis poſt.* ver. *Multoties, & in Papa. ff. Qui teſtam. fac. poſ.* & *Conſil. 338.* ver. *Ex prædictis. vol. 1.* Tiraquel. *in l. Si vnquam. verbo.* Libertis. *num 13.* C. *De reuocan. donat.* vbi citat. Felin. *in Cap. Cum olim.* ver. *Adduci poteſt.* De *re iud.* Anton. Gabr. *com concluſ.* Tit. *De reg. iur. concluſ. 3. nu. 62.* Sarnenſ. *de non tollen. iure quæſito. quæſt. 13.* ver. *Sed aduertendum.* Quatenus docent, quod ſi declaratio fiat extra limites verborum, non erit declaratio interpretatiua, ſed noua diſpoſitio.

3 Deſumitur autem ex *cit. l. Heredes palam. §. Si quid poſt factum. ff. Qui teſtam. fac. poſ.* vbi decernitur conceſſam eſſe declarationem, de qua ibi, quia declaratio Nihil nunc dat, ſed datum ſignificat. Ex quo elicitur, quod tunc ſolum declaratio ſubſiſtit, quando declarat, quid lex ſtatuerit; non autem, quando aliquid addit, aut detrahit, aut aliquo modo immutat legem, aut ſtatutum.

4 Ratio autem eſt, Quia declaratio non facit aliquid de nouo, ſed quid ſit à lege ſtatutum oſtendit. Si quidem declarare non eſt facere de nouo, ſed declarare, quid factum ſit: & proinde declarationem non alterare ſubiectum, ſed addere ſolum qualitatem demõſtratiuam, dixerunt Bald. *in citat. l. Heredes palam. §. Sed & ſi notam.* ver. *Tertiò nota. ff. Qui teſt. fac. poſ.* Imola *ibid. §. Si quis poſt.* ver. *Item nota.* Aret. *not. 4.* Gabr. *lib. 3. com. concluſ.* Tit. *De reg. iur. concluſ. 3. num. 47. & 48.* & ideo non poteſt alterare ſubſtantiam legis aliquid addendo, aut detrahendo, aut quouis alio modo immutando, ſed debet ipſam relinquere in ſua natura, & in proprijs terminis *l. Aſſe toto. ff. De hered. inſtit.* & *l. Vnum ex familia. §. Si ſalcidia. ff. De legat. 2.* & notant Bart. *in l. 1.* ver. *Quæro quot teſtes.* C. De *codicil.* Roman. *in l. 1. §. Si quis ſimpliciter ff De verbor. obligat.* Salicet. *in l. Et conſtituit C. De legib.* Dec. *in l. Edita. num. 47.* C. *De eoden.* Hyppolit. *de Marſil. in l. 1. §. Si quis vltro.* ver. *Vlterius ſcies. ff. De quæſt.* Catdin. *in cap. fin.* ver. *Si verò.* De *conſtit.* Felin. *in cap. Non poteſt.* ver. *Facit Gloſ. ſingul. De re iud.* Alexan. *Conſil. 11. num. 14. lib. 7.* Pariſ. *Conſil. 50. in fine. lib. 4.* Socin. iun. *Conſil. 95. n. 22. lib. 3.* Craueta *Conſil. 104. num. 7.* & *De Antiq. temp. par. 2. princip. par. 1. num. 30.* Menoch. *Conſil. 413. num. 71.* Surdus *Deciſ. 29. per totam.* Larrea *tom. 1 Deciſ. Granat. diſp. 39. num. 6.* Rota *Deciſ. 454. num. 2. par 1. Recent. apud Farinac.* & communiter cum Gloſ. *in cap. Cum te. De vſur.* & *in Cap. Per tuas, verbo.* De nouo. *De donationib.* Eſt enim quid diuerſum declarare, & aliquid adijcere, aut detrahere, vt deſumitur ex Clem. 1. *De iurepatronat.*

5 Eſt tamen aduertendum, quod declaratio legis ita debet erui ex verbis, vt etiam eruatur ex ratione eiuſdem legis. Verba enim ſunt veluti corpus, & ratio eſt anima, quæ dat legi vim, & motum in ordine ad moderandos populos *l. Cũ oratio.*

ratio. ff. De bonis damnat. vnde, vt declaratio vim habeat, debet fundari in ipſa ratione legis, aliàs eſſet mortua, ſicut eſſet etiam ipſa lex ſine ratione.

6 Ex hoc hoc autem ſequitur, quod declaratio poſsit extendere, aut reſtringere legem iuxta menſuram, et terminos rationis. Cum enim ratio ſit menſura legis, et eam trahat ampliando, vel reſtringendo ad proprios terminos. *l. Cum pater. §. Dulciſſimis, ff. De legat.* 2. et *l. Adigere. §. Quamuis. ff. De iurepatronat.* debet declaratio concipi ex ipſa ratione legis, et ideo ſecundum ipſius exigentiã poterit eam extendere, aut reſtringere; cum potius ratio, quàm verba debeant conſiderari *l. Scire. §. Aliud. ff. De excuſat. tut.*

7 Ex quibus colligitur, quod cum apud quamdam Religionẽ extet ſtatutum, quo decernitur, ne vltimo Generalatus anno poſſit Generalis transferre ſubditos, qui in Capitulis ſuffragium ferre poſſunt, de vno conuentu ad alium, niſi conſentientibus per ſecreta ſuffragia omnibus, et ſingulis, qui eidem Generali in regimine aſsiſtunt, non potuiſſe dictum Generalem declarare, quod ſe ſolo poſsit transferre de vno conuentu ad alium ex ijs, qui ſimul conueniunt ad electionem illius, qui interfuturus eſt capitulo generali ex eo, quod ſubſequutum ſit aliud ſtatutum, quod aliqui conuentus, qui prius ſinguli ſingulos eligebant, conueniant ſimul ad vnicum tantum eligendum pro capitulo generali. Licet enim dictus Generalis habeat facultatem declarandi Conſtitutiones, et ſtatuta, quando circa ipſa emergunt dubia, hæc tamen declaratio non ſubſiſtit, cum neque ex verbis ipſius ſtatuti erui poſsit, ſi quidem vniuerſaliter ſtatutum prohibet talem translationem; neq; ex fine, quaſi quò ad illos cõuentus ceſſauerit per poſterius ſtatutum; ſi quidem finis ipſius ſtatuti eſt facere, ne Generalis huiuſmodi trãslationibus vti poſsit in ordine ad procurandam electionem in perſona ſibi benè viſa, et conſeruare libertatem electorum, huic autem fini derogatur, ſi Generalis poſſet transferte electores etiam quò ad prædictos conuentus, ſi quidem poteſt alicui talis translatio eſſe præiudicialis etiam quò ad bonam opinionem, et proinde metu talis translationis induci ad ſuffragandum ad libitum Generalis. Quare prædicta declaratio non eſt declaratio, ſed derogatio, et correctio ex parte eiuſdem ſtatuti, quæ cum non inducatur à poſteriori ſtatuto, nec etiam titulo declarationis induci poteſt ab ipſo Generali, quia cum non habeat facultatem condendi leges, nec etiã poteſt ipſis derogare, et ex parte corrigere, cum derogatio, et correctio ſint actus eiuſdem facultatis legiſlatiuæ, ſi quidem res, per quas cauſas naſcitur, per eaſdem diſſoluitur iuxta regulam Cap. 1. *De reg. iur. in* 6. nec inferior carens dicta poteſtate legiſlatiua poteſt legem conditam à ſuperiori abrogare, aut illi derogare, qualis eſt Generalis reſpectu Capituli Generalis, à quo leges conduntur iuxta Clement. *Ne Romani*. De elect.

An bona relaxata alicui à Principe, cum ea conditione, quod maneant impoſterum hypothecata, nec poſsint alienari, poſsint donari Eccleſiæ. Quæſt. 310.

SVMMA.

1 *Hypotheca in bonis ſpecialibus eſt realis, & tranſit cum re.*
2 *Alienatio debitoris non facit creditorem deterioris conditionis.*
2 *Statutum prohibens alienationem in non ſubditos, non comprehendit Eccleſiaſticos.*
3 *Bona conceſſa à Principe cum hypotheca, & conditione, ne poſsint alienari, non poſſunt donari Eccleſiæ.*
3 *Retinens ius in re cum prohibitione alienationis acit, ne transferatur dominium, ſi alienetur.*
4 *Hypotheca cum prohibitione alienationis impedit translationem dominij.*
5 *Res quocunque modo ſubiecta reſtitutioni, non poteſt alienari*
5 *Alienatio, quæ fit in Eccleſiam, dicitur fieri in potentiorem.*
6 *Prohibitio alienationis rei hypothecatæ reſ ſeruat*

ſervat ſpeciale ius.

7 *Prohibitio alienationis rei ſpecialis ipſi hypothecata tenet etiam in ordine ad Eccleſiam.*

7 *Quilibet poteſt rei ſuæ imponere, quam legem voluerit.*

---

1 AFfirmatiuè videtur reſpondendum. Tum quia hypotheca in bonis ſpecialibus, & determinatis eſt realis, & proinde ſequitur rem, & tranſit cum ipſa. *l. Si prædium C. De euiction.* nec extinguitur per alienationē, cū alienatio debitoris non faciat conditionem creditoris deteriorem *l. Debitorem. C. De pignorib.* & *l. Res pignoris. C. De remiſſion pignor.* & notant Gabr. *Conſil.* 141 *num.* 8. *lib.* 1. Beroius *Conſil.* 46. *num.* 15. *iunc. num.* 7. & 8. Rota *Deciſ.* 675. *num.* 7. *par.* 2. *Recent. apud Farinac.* & *Deciſ.* 425. *num.* 2 *par.* 5. *Recent.* Vnde talis donatio non præiudicat principi, cū poſſit, quando opus fuerit, rem ſibi hypothecatam aſſumere, apud quoſcunque ſit.

2 Nec prohibitio Principis aliquid operatur, quia non intelligitur, ne poſſint alienari in Eccleſias, ſed ſolum in alias manus. Sicut ſtatutum prohibens alienationem in non ſubditos, non comprehendit Eccleſiaſticas perſonas, vt inter alios notant Bald. *in l. Filiusfamilias. §. Diui. num.* 12. *ff. De legat.* 1. Angel. *ibid. nu.* 4. Florian. de S. Petro. *num.* 11 & *ſequent.* Fulgoſ. *n.* 6 ver. *Quid autem ſi ſtatutum.* Alexand. *num.* 11. & 12. Ripa *num.* 81. Claud. Seyſſel. *num.* 27. Crot. *num.* 88. Socin. *nu.* 166. & alij, quia nimirum non extenditur ad perſonas, quæ non ſunt ſub iuriſdictione.

3 Hoc tamen non obſtante tenendum eſt, *quod non poſſint dicta bona donari Eccleſiæ, & ſi donentur, non ſubſiſtere donationem.* Ratio autem eſt. Quia Princeps relaxās bona cum pacto, quod maneāt hypothecata, nec poſſint alienari, reſeruauit ſibi ius in dictis bonis, ita vt, poſſit ea repetere, quotieſcunq. caſus venerit &c. Quando autem quis retinet aliquod ius in re, quam prohibet alienari, alienatio non transfert dominium, ſed eſt nulla, vt habetur ex tex. ſingulari *l. Si creditor. §. fin. ff.* De *detract. pignor.* & docent Bart. *in l. Si ita quis. §. Ea lege. num.* 3. *ff.* De *verbor. obligat.* Iaſ. *num.* 29. vbi plura allegat.

4 Et proinde, quod nō transferatur dominiū, ſi cum hypotheca concurrat prohibitio alienandi, habetur ex *l. Si creditor. §. fin. ff.* De *diſtr. pignor.* & docent Bar. *in l. Filiusfamilias. §. Diui. ff.* De *legat.* 1. Ripa *ibid. num.* 81. Crot. *num.* 99. quos ſequitur Rota coram Seraph. *Deciſ.* 374. *num.* 6. Roſenthal. *De feud. cap.* 7. *concluſ.* 25. *num. fin.* Guido Papa *Deciſ.* 569. *num.* 1. & 2. Anton. Gabr. *lib.* 3. *concluſ.* 1. *num.* 2. *De pignorib.* & *hypoth.* Nicolaus Betſius *De pact. illuſtr. famil. cap.* 4. quia cū alienatio ſit contra ius, & pactum creditoris, non poteſt ſubſiſtere tanquam deſtituta fundamento debitæ, & neceſſariæ facultatis, atque adeo non poteſt operari effectum translationis dominij. Vnde quicquid actum eſt, nullū reputatur, vt communiter docent Iaſ. *in l. Si ita quis. §. Ea lege. num* 29. & *ſequen.* alios citans. *ff.* De *verbor. obligat.* Cagnol *in l.* 2. *nu.* 137. C. De *pact. inter empt.* & *vendit.* Rolan. *Conſil.* 62. *num.* 9. & *ſequent.* & *num.* 35. *vol.* 2. Goor. Euerar. *Conſil* 30. *nu.* 45. ver. *Tertio reſpondeo. vol.* 1.

5 Rurſus. Res, quæ ſubiacet teſtitutioni ſiue abſolutè, ſiuè ſub conditione, non poteſt alienari ad illius incommodum, cui facienda eſt reſtitutio per expreſſum tex. *l. fin.* C. Commun. *de legat.* & *fideicom* vbi Gloſ. & Doctores, quia nemo poteſt alterum proprio iure priuare, vt priuaretur per dictę rei alienationē. Res autem hypothecata ſubiacet reſtitutioni ſub conditione, & ſi alienetur in Eccleſiam, alienatio eſt ad incommodū Principis. quia alienatio, quæ fit in Eccleſiam, dicitur fieri in potentiorem, vt notat F. ancif. Aretin. *in l. Si quis. §. Ea lege.* ver. *In e* 1 *gloſ. ff.* De *verbor. obligat.* Quia cum Eccleſia ſit priuilegiata, & eius cauſa fauorabilis, difficilius eſt recuperabile, quod in ipſam alienarur.

6 Neque obſtant, quæ in oppoſitum allata ſunt, nam licet hypotheca realis in certis bonis ſequatur rem, & qua ntum eſt

eſt ex hoc capite, non faciat deteriorem conditionē creditoris, & proinde, quātū eſt ex ſe non prohibeat translationē dominij, quādo tamē coniūgitur cū prohibitione alienationis, impedit talem trāſlationem, vt dictum eſt *num.4.* quia dicta prohibitio reſeruat ius creditoris non ſolum in re hypothecata, ſed etiam apud eum, cui eſt res hypothecata; vnde alienando ius creditoris, quod habet apud vnam perſonam, transferretur apud aliā, quod ſine conſenſu ipſius nō tenet, cum nemo poſſit diſponere de iure alieno.

7 Ad 2. reſp. prohibitionem Principis de non alienando tenere, & intelligi etiā quò ad Eccleſiam, quia non eſt prohibitio per modum ſtatuti, quæ ponatur iuriſdictionali modo, & proinde non debeat extendi ad eccleſiaſticos, cum non extendatur iuriſdictio; ſed eſt per modū pacti poſita in contractu, cui contrahentes apponere poſſunt, quas conditiones voluerint. Cum enim quilibet ſit rei ſuæ arbiter, poteſt ipſi, quas leges voluerit, apponere. *l.1. §. Cōueniat. ff. Depoſiti.* & *l. Si quid poſſeſſorem. §. Sicut autem* & *l. Sed & ſi lege. §. Conſuluit. ff.* De *petit. hæred.* & *l. Legem.* C. *De donat.*

An, quando Superiores locales Regularium habent ius interueniendi Capitulo Generali, poſſint interuenire non adepta poſſeſſione ſuæ Prælaturæ. Quæſt. 311.

S V M M A.

1 *Electus, & confirmatus habet ſtatim, quæ ſunt dignitatis, & iuriſdictionis.*
2 *Superior localis regularium non adepta poſſeſſione non interuenit Capitulo Generali.*
2 *Prælatus non poteſt exercere iuriſdictionem, aut adminiſtrare, niſi oſtendat litteras &c.*
3 *Ratio finalis Extrauag. Iniuncta, militat in quocunq. Superiore.*
4 *Dictum ampliatur, & reſtringitur per rationem.*
4 *Vbi eſt eadem ratio, ibi eſt eadem lex comprehenſiuè, & facit, quod caſus ſit comprehenſus.*
5 *Ex proemio generali reſultat generalis conſtitutio.*
6 *Prouiſus non poteſt adminiſtrare ante adeptā poſſeſſionem.*
6 *Ius ex electione, & confirmatione non eſt efficax ante adeptam poſſeſſionem.*
6 *Beneficium non vacat adepto ſecundo incompatibili, niſi apprehenſa poſſeſſione.*
7 *Habere vocem in Capitulo generali eſt quid iuriſdictionis.*
8 *Sublato antecedenti tollitur conſequens.*
9 *Cur apud aliquas religiones Superiores habeant vocem in Capitulo Generali non adepta poſſeſſione.*

1 POſſe interuenire, etiam ſi non ceperit poſſeſſionem ſuæ Prælaturæ, videtur tenēdum, quia ſtatim ac al quis eſt canonicè electus, & confirmatus, ſi cōfirmatio ſit neceſſaria, habet ea, quæ sūt dignitatis, & iuriſdictionis Cap. *Trāſmiſſam.* & Cap. *Noſti.* & Cap. *Qualiter.* De *electione.* & Cap. *Inter corporalia.* De *translatione Epiſcop.* & latè Couaruu. *lib. 3. Variar. cap 16. num. 1.* Paris. *lib. 10. De reſignat. quæſt. 6. num. 1.* & communiter, & proinde poteſt interuenire Capitulo Generali, cum hoc ſit actus quidam iuriſdictionis propriè Prælaturæ. Verum hoc licet de iure antiquo procederet, de iure tamen nouo aliter dicendum eſt.

2 Vnde tenendum eſt, *quod non poſſit interuenire*, quia non poteſt Prælatus habere aliquam admiſtrationem, aut exercitium iuriſdictionis, antequam oſtenderit litteras authenticas ſuæ prouiſionis, aut confirmationis per Extrau. *Iniunctæ.* De *elect. inter communes.* & ex hoc tex. notant Felin. *in Cap. Eam te. num. 3. ver. Sed caue.* Abbas *in Cap. In noſtra. n. 7. ver. Dicit tamen.* De *reſcriptis.* Garzias *De benefic. par. 5. cap. 4. num. 250.* Azor. *par. 2. lib. 3. cap. 29. quæſt. 9.* & *lib. 7. cap. 1. quæſt. 2.* Barboſa *in l. Diuortio. init. par. 2. num. 50. ff.* Soluto *matrimonio* Gratian. *Diſcept. forenſ. cap. 127. num. 45.* Pariſ. *lib. 8. De reſignat. quæſt. 5. nu 33.* Riccius *par. 4. Collectan. 1325.* Lauor. *Variar. Lucubrat. Tit. 4. de elect. cap. 25. nu. 9.* Lotter. *De re benefic. lib. 1. quæſt. 27. n. 30.* Rota *in Burgenſ. Canonicatus. 3. Iun.* 1583.

1583. *coram Cardinali Lancellotto.*

3 Nec dici poteſt, quod dicta Extrauag. *Iniunctæ.* diſponat ſolum de ijs, qui promouentur, aut confirmantur à ſummo Pontifice, non autem de ſuperioribus localibus Regularium, qui intra religionem promouentur, nec indigent confirmatione ſummi Pontificis. Quia ratio finalis eſt auferre pericula, quæ contingere poſſunt, ſi quis ſine litteris authenticis aſſerat ſe eſſe conſtitutum in officio, aut dignitate &c. ibi Sane *quàm periculoſum exiſtat, quod aliquis in officio, dignitate, vel gradu fore ſe, aſſerat, & pro tali etiam habeatur, niſi prius ipſe, quod aſſerit, legitimis oſtenderit documentis, tàm ex ciuilibus, quàm ex canonicis inſtitutis colligitur euidenter, &c.* Et infra. *Quod autem in illis, qui ſe Epiſcopos, vel Superiores, prælatos, aut etiã Abbates, priores, ſeu alios monaſteriorum rectores, quocumque nomine cenſeantur, appellant, ſit diſcuſſio celebris, & diligens facienda, luculenter appareat, ſi ſcandala, & pericula grauia, quæ ipſorum parere poſſet communicatio indiſcuſſa, diligentius attendantur. Hinc nos euidens euocat ratio, vt cum præmiſſis alijs caſibus, qui minoris exiſtunt periculi, ſit ex conſtitutionibus editis iam prouiſum, hunc vltimũ, qui pericula grauiora minatur, nequaquam ſine prouiſionis opportunæ remedio relinquamus.* Hæc autem ratio finalis habet locum in quocunque Superiore à quocunque creetur, quia ſi reciperetur, & adminiſtraret ſine documento legitimo de ſua promotione, haberent locum eadẽ pericula, quæ poſſunt emergere, ſi creati à Sede Apoſtolica recipiantur ſine litteris &c.

4 Quia autem dictum ampliatur, & reſtringitur per rationem *l. Vnum ex familia. §. fin. ff.* De *legat. 2.* et *l. Si is, qui animo. ff.* De *acquirend. poſſeſ.* et notant Iaſ. *in l. Id, quod. num. 7. ff.* De *legat. 1.* Surdus *Conſil. 67. num. 20.* Rota *Deciſ. 10. n. 2. par. 1. Recent. apud Farinac.* Idcirco dicta conſtitutio habet locum in omnibus ſuperioribus à quocunque creati ſint, ſiquidem vbi eſt eadem ratio, ibi eſt eadẽ lex non extenſiuè, ſed comprehenſiuè, quia facit, quod caſus ſit comprehenſus ſub diſpoſitione legis. *l. Illud.* C. De *ſacroſanct. Eccleſ.* & *l. Item veniunt. § At Senatus. ff.* De *petit. hered.* & *l. His ſolũ.* ver. *Satis etiam cautè putamus.* C. De *reuocan. donat.* & *l. Regula. §. fin. ff.* De *iuris. & fact. ignor.* & notant *ibid.* Bart. & Bald. Abbas. *in Cap. Sicut circa. in fine.* De *elect.* Frãc. *in Cap. Pro humani.* De *homicid. in 6* Dominic. & Imol. *ibid* Cotta *in Memorabil.* ver. *Ratio generalis.* Roman *Conſil. 16. nu. 4.* Rolan. *Conſil. 67. num. 84 vol. 3.* Curt. iun. *Conſil. 185.* Villagut. *De extenſ. leg. Rubr. De extenſione leg. pœn. reſp. mera pœna. nu. 22.* Tiraquel. *in l. Si vnquam. verbo.* Libertis. *num. 45.* C. De *reuocan. donat.* Surd. *Deciſ. 276. num. 8.* Gutierez *lib. 3. pract. quæſt. 17. nu. 84.* Gonzalez *ad reg. 8. Cancel. §. 7. proem. num. 105.* Gratian. *to. 5. diſcept. forenſ. cap. 918. nu. 66.* Rebuf. *ad l. In lege cenſoria.* ver. *Itemq. de ſeruis. ff.* De *verbor. ſignificat.* Gloſ. *in Cap. 1. ver.* Italia. *De temp. ordinat. in 6.*

5 Vnde quando proœmium eſt generale, vt in dicta conſtitutione *Iniunctæ*, reſultat etiam generalis diſpoſitio, quãuis verba ſpecialia ſint per dictam *l. Regula. ff.* De *iur. & fac. ignorant.* ibi *Nam initium conſtitutionis generale eſt.* & notãt *in hunc text.* Doctores Tiraquel. *Tract. Ceſſan. cauſa par. 1. num. 139.* & *limit. 1. num. 64.* plures allegans. Tuſch. *Littera P. concluſ. 892.* alios citans. Burgos de Paz *Conſil. 32. num. 6.* Molina *lib. 1. de primogenit. cap 5. num. 3.* Burſat. *Conſil. 76. num. 9.* Lappus *Allegat. 101. num. 24.* Vincent. de Franchis *Deciſ. 18. num. 3.* Gutierez *lib. 3. pract. quæſt. 17. num. 90.* & ſequen. & communiter.

6 Hinc communiter docent, quod prouiſus non poteſt adminiſtrare ante apprehenſam poſſeſſionem. Ita Abbas *in Cap. Tranſmiſſa.* De *electione.* Franc. *in Cap. Eum, qui.* De *preben. in 6.* Paris. *Conſil. 5. num. 21. & 22.* & *Conſil. 38. num. 7. vol. 4.* Federicus de Senis. *Conſil. 234.* Capel. Tholoſ. *Deciſ. 443.* Rebuf. *De pacifica poſſeſ. num 234. & 251.* Ripa *Reſpõſ. 31. lib. 2.* Silua *De beneſic. par. 2. quæſt. 15.* & communiter. Cuius rei ratio eſt, quia ius, quod per electionem, & confirmationem acquiritur, non eſt firmum, & effi-

eax ante apprehenſionem poſſeſſionis, vt tradunt Doctores in Cap. *Si tibi conceſſo. De præbend. in* 6. Rebuf. *Conſil.* 186. *num.* 18. Milis. *in Repert. verbo* Beneficium. *num.* 11. ver. *Beneficium ſecundum.* Moder. *De iure Indiar. lib.* 2. *cap.* 13. *num.* 16. & habetur ex citato tex. Cap. *Si tibi conceſſo.* vbi decernitur, quod prius beneficium non vacat ex collatione ſecundi incompatibilis, quouſque non ſit apprehensa poſſeſſio huius ſecundi, & percipiantur fructus; ex quo infertur, quod beneficium ante apprehenſam poſſeſſionem non obtinetur pleno, & efficaci iure, ſiquidem cum faciat vacare aliud beneficium incompatibile, hoc non præſtat, niſi ſit apprehenſa poſſeſſio.

7 Actus autem accedendi ad Capitulum generale eſt actus iuris, quod cōpetit ſuperioribus localibus, quia habent ius accedendi ad Capitulum generale, quatenus ſunt tales ſuperiores: vnde, cum nō poſſint exercere iura ſuperioritatis, niſi poſt apprehenſam poſſeſſionem, nec etiam poterunt exercere ius ingregrediendi capitulum Generale. Et cum ius acquiſitum per electionem, & confirmationem non ſit ius firmum, & efficax ante apprehenſam poſſeſſionem, vt dictum eſt *num. præcedenti*, non poteſt parere aliquem effectum, & proinde nec facultatem ingrediendi Capitulum generale.

8 Quod etiam ex eo colligitur, quod ſublato antecedenti tollitur etiam, quod inde conſequitur. *l.* 1. *§. Huius. ff.* De *offic. eius, cui man. eſt iuriſd.* & notant Gloſ. *in l. Vtiq. ff.* De *rei vēdicat.* Bald. *in l. Eius.* C. De *vſuris.* Iaſ. *in l.* 2. *ff.* Si *quis caut.* Imola *in l. Atheius.* §. *fin. ff.* De *aqua plu. arcen.* Axand. *in l.* 1. C. *De iudic.* Menoch. *Conſil.* 187. *num.* 12. Facultatem autem ingrediendi Capitulum Generale eſt facultas conſequens ad facultatem exercendi iura ſuperioritatis. Vnde cum ante apprehenſam poſſeſſionem non habeāt facultatē exercendi iura ſuperioritatis, nec etiam habebunt ad ingrediendum capitulum generale.

9 Hæc tamen non habent locum apud illas religiones, apud quas eliguntur aliqui ad gradus hoc intuitu, vt compleant numerum vocum, inter quas aliqui habent ſolum titulum ſuperioritatis abſque vlla adminiſtratione adnexa. Hoc tamen valet apud dictas religiones de iure ſpeciali, nō de communi, & quia habere vocem in Capitulo nō eſt acceſſoriū dignitati, ſed eſt principale, propter quod cōfertur dignitas, vnde apud alias religiones apud quas non eſt hoc ſpeciale ius, non habebit locum.

An princeps ſupremus poſſit condonare pœnas debitas delictis. Quæſt. 312.

S V M M A

1 *Intereſt communitati, quod delicta puniantur.*
2 *Princeps eſt ſupra ius poſitiuum.*
2 *Poteſt tollere effectus ipſius.*
2 *Pœna infligendæ ſecundum legem ſunt ſub Principis arbitrio.*
3 *Princeps poteſt remittere pœnas, quando id ſpecialiter non nocet communitati.*
4 *Pœna non poteſt remitti, niſi pars læſa remittat offenſam.*
4 *Niſi aliter exigat publica vtilitas.*
4 *Princeps non poteſt ſine cauſa tollere ius tertij.*
4 *Publica vtilitas priuatæ anteponenda.*
5 *Pœna fiſco applicanda poteſt condonari à Principe ſine conſenſu partis læſæ.*
5 *Vnus actus exprimitur, & alter tacetur ad vitandum circuitum.*
6 *Pœna ob violationem legis humanæ poteſt condonari à Principe conſentiente parte læſa.*
7 *Princeps eſt ob bonum publicum.*
7 *Debet habere pro fine publicam vtilitatem.*
7 *Condonatio pœnæ non debet eſſe frequens, nec debet lædere æquitatem naturalem.*
8 *Ceſſat poteſtas principis, quando ſubintrat ius naturale aſſiſtens humano.*
8 *Ius naturale obligat omnes.*
9 *Pœna debita ob violationem iuris diuini aut naturalis non poteſt remitti, niſi bonū commune id exigat.*
9 *Princeps non eſt ſupra ius diuinum, aut naturale.*
10 *Exigente publica vtilitate tenetur princeps pœnas condonare.*
10 *Inducta ad vnum finem, non debent oppoſitum operari.*

Pæ.

11 *Pœna taxata à lege humana poteſt à Principe commutari.*

12 *Princeps ſine rationabili cauſa relaxans pœnas, peccat mortaliter.*

---

1. RAtio dubitandi eſt, quia intereſt communitatis, quod delicta puniantur *l. Ita vulneratus. ff.* Ad *leg. Aquiliam.* & notat D Th. 2.2. *quæſt.* 67. *ar.* 4. *ad* 3. Vnde etiam Deuteron. 13. habetur, quod delinquens debet puniri, *Vt omnis Iſrael audiens timeat, & nequaquã vltra faciat quippiam huius rei ſimile.* remiſſio namque pœnæ inducit licentiam peccandi, & nutrit delicta.

2 E contra verò, cum Princeps ſit ſupra ius poſitiuum humanum, vt de cõmuni docent Caſtrenſ. *in l fin. nu.* 1. ver. *Vnde altius,* C. Si *contra ius, vel vtilitatẽ publ.* Penna *in l fin. num.* 97. C. De *locan. pręd. ciuilib.* Curtius iun. *Conſil.* 1. *num.* 21. quia nimirum eſt auctor legum, ita vt per eamdem poteſtatem, qua poteſt leges ponere, poſſit etiam eas diſſoluere. Atque adeo poſſit auferre eiuſdem iuris poſitiui humani effectus, vt docent Innocent *in Cap. Quæ in Eccleſiarum. num.* 9. & 21. ver. *Si vero Papa.* De *conſtit.* Ancharan. *ibid. num.* 9. Angelus *in l. Lucius. init. ff.* De *euict.* Abbas *Conſil.* 54. *num.* 1. *par.* 2. Felin. *in dict. cap. Quæ in Eccleſiar. num.* 55. De *conſtit.* Craueta *Conſil.* 144. *num.* 18. Curtius iun. *Conſil.* 138. *num.* 4. & *in l. Venia. num.* 6. C. De *in ius vocan.* Gozadin. *Conſil. num.* 38. Quia in illius diſpoſitione ſunt effectus, in cuius diſpoſitione eſt cauſa. Et ſpecialiter pœnæ infligendæ ſecundum legem ſunt ſub arbitrio Principis. *l.* 1. C. De *ſum. Trinit.* & notat Bart. *in l. Scripta.* C. De *precib. Imperat. offer.* Sequitur, quod poſſit reo dictas pœnas remittere.

3 Itaque poſſe Principem remittere pœnas, quando hoc non redundat in ſpeciale nocumentum publicæ vtilitatis, docent communiter Theologi cum D. Th. 2.2. *quæſt.* 67. *ar.* 4. *in corpore*: ita Suarez *de leg. lib.* 5. *cap.* 11. *num.* 9. Salas *diſp.* 15. *de legib. ſect.* 8. *num.* 109. Palaus *Par.* 1. *oper. moral. tr.* 3. *de lege pœnal. diſp.* 2. *punct.* 5. *num.* 1. Fragoſ. *De regim. reipub. Chriſt. par.* 1. *lib.* 4. *diſp.* 11. §. 1. *num.* 456. Valent *tom.* 4. *diſp.* 5. *quæſt.* 21. *punct.* 4. & cõmuniter etiam Iuriſtæ Grammat. *Conſil.* 34. *Criminal.* Petra *De poteſt. princip. cap.* 25. *num.* 8. Bald. *in l. Imperium in* 1. *lect. ff.* De *iuris. om. iud.* Bart. *in l.* Non *omnis.* §. *Si quis. ff.* De *re milit.* Iacob. de S. Georg. *De Feud. verb.* Princeps *in* 7. *Speciali.* Caſtro *lib.* 2. *de poteſt. leg. pœn.* Cap. 12. Felin. *in Cap. Qualiter, & quando.* §. *Ad corrigẽdos.* De *accuſation.* Oddus Sfor. *De reſtit. in integ. quæſt.* 92. *num.* 12. Maſtril. *De indul. gener. cap.* 2. *num.* 1. Peregr. De *priuil. Fiſci. lib.* 5. *tit.* 2. *num.* 5. Marta *par.* 1. *De iuriſd. cap.* 44. Borel. De *præſt. reg. cap.* 38. *num.* 20. Rub. *Conſil.* 50. Seſſe De *inibib.* §. 5. *cap.* 1. *num.* 1. Pedemon. *Deciſ.* 29. *num.* 5 Penna *in l. Prędia num.* 77. C. De *loca. prædior ciuil.* Surd. *Conſil.* 53. *num.* 8. Afflict. *in Cap.* 1. *num.* 158. *& ſequent.* Cap. *Quæ ſint regal.*

4 Conueniunt tamẽ Doctores. Quod non poſſit pœna remitti à principe, niſi pars læſa remittat offenſam. vt habetur ex *l. fin.* C. *De abdit.* & *l.* 2. C. *De precib. Imperat. offeren.* & tradunt præter ſupra citat. Doctores *num. præced.* latè Plotus *Conſil.* 78. Riminal. iun. *Conſil.* 217. *num.* 23. *& ſequent. vol* 2. Boſſius *in Praxi* Tit. *De remed. ex ſola Clemen. num.* 24. Clarus *in Praxi Quæſt.* 59. ver. *Quia plerunq.* Deciſ. *Delphin.* 243. *par.* 2. Maſtril. *Ad Gener. indult. cap.* 24. *num.* 1. vbi plures alios allegat Quia ſi ſecùs faceret, eſſet in præiudicium partis læſæ, cui ſatisfit per pœnã inflictam læſori. Neq. enim princeps poteſt tollere ſine cauſa ius tertij. *l. fin.* C. Si *contra ius, vel vtil. publ.* & notant Gabr. *Tit. De iure quæſ. non tol.* Iaſ. *in l. Barbarius. num.* 3. *ff* De *offic. prętor.* Bald. *in l. Teſtamentum.* C. De *teſtam.* Alexan. *ibid.* Crauera *Conſil.* 242. *num.* 10. Sarmien. *lib.* 1. *Select. interpret. cap.* 8. *num.* 20. alios citantes. Quod tamen debet intelligi, niſi concurrat aliqua cauſa, ob quam Princeps, ita exigente publica vtilitate poſſit iuri tertij derogare, nam tunc, etiam nõ remittẽte parte, poteſt pœnas condonare, ſi quidem publica vtilitas priuatæ præferenda eſt *l. fin.* C. Communia. *de*

legat. in authent. Et ita docet Vaſquez *cap. 4. Illuſtrium controuer. n. 11. lib. 2.* Hoſtienſ. *in Cap. 1. De iureiur.* Anton. *ibid.* Angel. *in l. Benè à Zenone.* C. De *quadrien. præſcrip.* & *in l. Venditor. §. Si conſtat. ff.* Commun. *prædior.* Bal. *in l. Conuentionem. ff.* De *pactis.* Bart. *in l. penul. C.* De *fide inſtrumen.* Panorm. *in Cap. 1. not. 1.* De *paroch.* Dec. *Conſil. 520. nu. 5.*

5 Quæ tamen doctrina eſt etiam limitanda ad pœnas corporales, aut ad pecuniarias, quæ aliquo modo redũdant in vtilitatem partis læſæ, nam ſi pœna ſit pecuniaria, & applicanda Fiſco, poteſt Princeps eam remittere, vt communiter Doctores *in l. Præſcripta C.* De *precib. Imper. offer.* vbi Iaſ. *num. 8.* Gloſ. *in l. Venia.* C. De *in ius vocan.* quæ communiter recipitur. Gomez. *De delict.* Cap. de tortura reorũ *n. 36.* ver. Tertiò facit. Paris de puteo. *De ſindicatu. verbo.* Cõpoſitio. *cap. 7. num. 11.* Clar. *in praxi. §. fin qu. 59.* ver. *Et quia.* Barbat. *Conſil. 1. n. 20. lib. 4.* Gabr. *Conſil. 172. num. 47. lib. 1.* Felin. *in Cap. Super eo, num. 5.* De *offic. deleg.* Dec. *in l. Venia num. 2.* C. De *in ius vocan.* Farinac. *Quæſt* 6. De *pœnis. num* 25. Boſſius *De remed. ex ſola clemen. Princip. num. 25.* ver. *Niſi in pœnis.* Maſtril. *Ad gener. indult.* *Cap. 24. num. 19.* Et facit. *l. 1. §. Is videtur. ff.* Si *quis ius dicen. non obtemp.* ybi etiam Doctores. Pœna namque fiſco applicanda eſt ſub diſpoſitione Principis, & nihil pertinet ad partem læſam, & ideo poteſt ob ipſo cõdonari. In hoc enim caſu cenſetur interuenire duplex actus, alter punitionis, quo pœna pecuniaria adiudicatur fiſco, & alter donationis, quo Princeps pœnam fiſco adiudicatam donat reo, & per cõdonationem vnus actus exprimitur, & alter ob vitandum circuitum tacetur, iuxta *l. Singularia. ff.* Si *certum pet.*

6 An autem, cõdonante parte offenſam poſſit princeps remittere pœnam, cum diſtinctione puto procedendum eſſe. Aut enim agimus de pœna debita ob tranſgreſſionem legis poſitiuę humanæ, aut ob tranſgreſſionem legis naturalis, aut diuinæ. Si de pœna debita ob trãſgreſsionem legis humanæ, abſolutè tenendum eſt, *poſſe Principem illam condonare, niſi hoc cedat in præiudicium communis vtilitatis.* Et habetur ex *l. 2. C.* De *bon. damnat.* & *l. Relegati;* & *l. Ad beſtias §. Ex prouincia. ff.* De *pœnis.* & *l. 1. in fine.* De *quæſt.* & *l. Interueniente. ff.* Ad *Senatuſcon. Turpil.* & *l. Reſcripta. in fine.C.* De *precib. Imper. offer.* Quia, vt dicebatur, Princeps ſupremus eſt ſupra diſpoſitionem iuris humani, quo regitur Reſp. & ideo poteſt impedire effectus ipſius condonando pęnas imponendas, præſertim, quia, licet pęnæ ſint determinatæ, adhuc tamen exequutio dependet ab ipſius voluntate.

7 Hæc tamen condonatio debet reſpicere bonum publicum, ſiquidem Princeps eſt propter communem vtilitatem, quam debet pro fine reſpicere. *l. 2. §. Nouiſſimè. ff.* De *orig. iur.* & *l. Vnica. §. fin.* C. De *caducit. tollen.* & Cap. 2. De *probib. feud. alien.* ibi. *Quoniam Imperialem decet ſolertiam, ita Imperij curam gerere, & ſubditorum commodum inueſtigare, vt Imperij vtilitas incorrupta conſiſtat,* & ideo in adminiſtratione regiminis debet ſemper reſpicere ad publicam vtilitatem. Vnde condonatio pœnarum non debet eſſe frequens, quia induceret ad peccandum ſub ſpe illam obtinendi. *§. Planè* inſtit. *De iure nat. gent. & ciuil.* & *l. Legati. in fine.* & *l. Ad beſtias. ff.* De *pœnis.* & notant Farinac. *in praxi qu. 6. De inquiſit. nu. 19.* Maſtril. *De magis. lib. 3. cap. 7. num. 6.*

8 Ex quo fit, quod non poſſit Princeps pœnas iure humano infligendas condonare, quando læderetur naturalis æquitas, quia licet ſit ſupra ius humanum, quando tamen ſubintrat ius naturale aſſiſtens iuri humano, & in ipſum refundẽs naturalem æquitatem, tunc ceſſat poteſtas principis, vt notãt Abbas *in Cap. Quæ in Eccleſiar.* De *conſtit.* & *in Cap.* Per *tuas.* De *arbitr.* Ripa *in l. Quominus. ff.* De *flumin.* HypPolit. *in pract. Crimin. §. Sequẽs. num. 39.* Petra *De poteſt. Princip. cap. 3. q. 3. num. 78.* Bald. *in l. 2. n. 4.* vet. *Sed vbi ſunt* C. De *ſeruit. & aqua.* Craueta *De antiq. temp. par. 1. in princ. nu. 46.* Iſernia *in Cap. Naturales. num. 1.* Si *de fac. defunc.* Roman. *Conſil. 345. num. 11.* cùm Gloſ. *in l. fin.* C. Si *contra ius, vel vtil. publ.* Lex enim na-

tura-

turalis, & dictamen rationis obligat omnes, vt pote poſita ab auctore naturæ, vt notant etiam Abbas *in Repet.* Cap.*Per tuas:* ver. *Nec obſtat.* De *arbitr.* Felin. *in* Cap. *Ad audientiam.*2. *num.* 4. De *reſcriptis.* Bald. *in* Cap. 1. §. *Adhac.* De *pace iuram. firm.* Zaſius *Conſil.*15. *nu.*141. *vol.*1. Vnde ſicut ſubditus non poteſt ire contra leges ſui Principis, ita nec Princeps contra æquitatem naturalem.

9 Hinc ſi agitur de pœna debita ob transgreſſionem legis diuinæ poſitiuæ, aut naturalis, cum de vtraque ſit eadem ratio, ſi quidem vtraque eſt poſita à Deo: vna quidem plantata in cordibus hominum, altera verò ab ipſo poſitiuè ſancita, exiſtimo non poſſe pœnam remittere, etiã ſi remiſsio non cedat in detrimentũ communis, vtilitatis; ſed inſuper requiri, quod remiſſio ſit ſecundum exigentiam boni communis. Ratio autem eſt, quia Princeps non eſt ſupra legem diuinam, & naturalem, ſed ipſis ſubijcitur, & ideo non poteſt diſponere circa ea, quæ ſtatuta ſunt per dictas leges Cap. *Cum inferior* De *maiorit. & obedient.* & Cap. *Quanto.* De *translatione Epiſcoporum.* & *l. Ille, à quo.* §. *Tempeſtiuum.* *ff.* *Ad Trebel.* nec deſtruere, quæ per dictas leges ſanciuntur, vt inter alios notant Mayron. *in* 4. *diſt.* 19. *queſt.* 1. *art.*2. Felin. *in* Cap. *Quæ in Eccleſiar. num* 24. De *conſtit.* Iſernia. *in* Cap. 1. §. *Vectigalia. num.* 4. *init.* Quæ *ſint regal.* Caſtrenſ. *Conſil.*414. *n.*4. *par.* 1. Socin. Conſil. 273. *n.*9. *vol.* 2. Hyppolit. de Marſil. *in pract. crimin.* §. *fin. num.*2. Angel. *in l. Adoptio non iure.* *ff.* De *adoptionib.* Alexan. *in l. Cum mulier. num.* 13. ver. *Et pro confirmat.* *ff.* Soluto *matrimonio.* Vnde cum lex naturalis, & Diuina exigat, puniri tranſgreſſores, tenebitur princeps eos punire.

10 Eſt tamen adnotandum. Quod ſi contingat caſus, in quo communis vtilitas exigat, pœnas relaxari, poterit princeps illas condonare; neq; hoc erit contra legem naturalem, aut diuinam, ſed ſecundum ipſas. Vtroque enim iure tenetur princeps procurare publicam vtilitatem, quam in toto regimine debet habere pro fine, vt dictum eſt *nu.* 7. & ideo debet ordinare pœnas ad ipſam: & proinde aut quando per pœnas læderetur, aut minus commodum ex ijs ſẽtiret, poterit illas condonare; tali enim pacto proſpicit communitati, & ſubintrat lex ipſa naturalis præſcribens in his caſibus condonationem pœnarum. Quare nõ ſolum poteſt, ſed etiam tenetur aliquando Princeps dictas pœnas condonare, quando ſcilicet vergerent in damnum communitatis, quia inducta ad vnum finẽ, nõ debent oppoſitum operari. *l. Legata inutiliter.* *ff.* De *legat.* 1. & notant. Menoch. *Conſil.*151. *num.*30. & *Conſil.* 362. *num.* 34. Socin *Conſil.*38. *vol.* 1. Rota Deciſ. 140. *num.*4. *par.*2. *Poſth. apud Farinac.*

11 Rurſus ſi pęna pro delictis contra legem naturalem, & diuinam ſit ſtabilita, & determinata per legem humanam, tunc, quia huiuſmodi determinatio eſt ſub diſpoſitione principis ex dictis *nu.* 6. poterit Princeps dictam pœnam commutare, dummodo tamen condignàm delicto imponat, quãdo nulla adſit cauſa illam minuendi, vel relaxandi.

12 Ex quibus colligitur, quod ſi Princeps remittat pœnas abſque rationabili cauſa, peccat mortaliter, vt docent D. Antonin. *part.*3. *tit.*9. *cap.* 2. §. 5. Nauar. *Cap.*25. *Manual. num.*14. Sotus *lib.* 5. *De iuſt. & iur. q.*4. *ar.*4. Syiueſt. *verbo* Iudex I. *nu.* 16. Armilla *verbo.* Pœna. *n.* 18. Bannes *De iuſt. & iure qu.* 67. *ar.*4. Aragon. *queſt.*60. *ar.* 5. Molin. *De iuſt. & iure tr.*4. *diſp.*48. Ledeſma *par.*2. *Sum. tract.* 8. *c.*22. *difficult.*5. *concluſ.*6. Azor. *part.*3. *lib.*13. *c.* 23. *queſt.*3. Molfeſ. *par.* 1. *Sum. tract.* 9. *c.* 9. *num.* 50. Maſtril. *De magiſt. lib.* 3. *cap.* 7. *num.*19. quia facit in re graui contra proprium munus. Cap. *Homicidas.* 23. *Queſt.* 5. & infert damnum notabile Reip. quia tribuit incentiuum delinquendi, nec minuit maleficia, ſed nutriret. Cap. *Iniucta* 23. *queſt.* 4 Vnde 3. Reg. 29. *Quia dimiſiſti virum dignum morte, de manu tua, erit anima tua pro anima eius.*

Quanam ſint cauſa, ob quas Princeps poteſt condonare pœnas. Quæſt. 313.

S V M M A.

1 *Cauſa, ob quas princeps poteſt condonare pœnas.*
2 *Qua cauſa requiratur ob condonationem pœna debita de iure naturali, aut diuino.*
3 *Pœna debita de iure humano poteſt relaxari ex quacunque rationabili cauſa.*
3 *Etiam ex ſola benignitate.*
3 *Proprium eſt Principis ſe gratioſum prabere.*
3 *Sola voluntas principis eſt iuſta cauſa remittendi bannitum, & quando.*
3 *Solus motus Principis quando ſit iuſta cauſa.*
4 *Specialis dilectio principis eſt iuſta cauſa relaxandi pœnam.*
4 *Bonum communitatis ita exigit puniri delicta, vt tamen relinquat locum miſericordia.*
5 *Merita delinquentis, aut maiorum ipſius ſunt iuſta cauſa relaxandi pœnas.*

1 Diuerſas cauſas aſſignant Suarez. *lib. 5. de legib. cap. 11. n. 9.* Salas *diſp. 15. de legib. ſect. 8. num.* 109. Palaus *par. 1. oper. moral. poen. tr. 3. de lege diſp. 2. punc. 5. num. 1.* Nimirum poſſe condonare in gratiam ſubditorum, vt ſe illis oſtendat benignum, & ipſorū animos erga ſe conciliet. Similiter poſſe condonare in gratiam alicuius Magnatis, qui pro reo deprecetur. Item ob vtilitatem perſonæ delinquentis, vel ob priora obſequia ab ipſo exhibita, & ob alias ſimiles cauſas; nam, inquiunt, condonatio pœnæ in his caſibus redundat in bonum pubilcum. Alias etiam aſsignat *Cicero lib. 4. Rhetor.* Et de ipſis etiam agunt Caſtro *lib. 2. de lege pœn. cap. 13.* Gloſ. *in l. Si ſeuerior.* C. *Ex quibus cauſ. infam. irrog.* vbi etiam Bald. Gomez *De tortura reor. num.* 38. Tholoſan. *par. 3. Sytag. iur. lib. 36. cap. 21. n. 2.* Molina *De iuſt. & iur. trac. 4. Diſp. 48.*

2 Verum hic quoque adhibenda eſt diſtinctio *quæſt. præcedenti num. 6.* tradita, nam valde diuerſum eſt etiam in ordine ad ſufficientiam cauſæ, ſi delictum ſit contra legem naturalem, & diuinam, aut aliquo modo ſubintret æquitas naturalis, vel ſi tātū locū habeat diſpoſitio iuris humani. Si enim ius naturale, aut diuinum exigat punitionem, non poſſūt prædictæ cauſæ eſſe ſufficientes pro condonanda pœna, niſi concurrant tales circunſtantiæ, quæ faciant, quod condonatio præponderet punitioni, aut ſaltem æquiualeat quò ad vtilitatem redūdantem in communitatem. Si enim ſaltem non æquiualeret, malè Princeps adminiſtraret communitatem, quia poſthabita ipſius vtilitate anteponeret commodum priuatum delinquentis bono communitatis, & ideo faceret contra proprium munus, quod eſt proſpicere ſemper ad id, quod omnibus prodeſt. *l. Vnica. §. fin.* C. De *caduc. tollen.* Quando tamen æquiparat cōdonatio vtilitatem, quæ communitáti proueniret ex punitione, erit in poteſtate Principis eligere, quod libuerit, quia tamquam adminiſtrator non determinatur ab exigentia publici boni ad vnam potius, quàm ad aliam partem.

3 Si verò delictum ſit contra legem humanam, prædictæ cauſæ erunt ſufficientes, quia tunc pœna, cum ſit debita ſolum de iure humano, eſt ſub diſpoſitione principis, & ideo poteſt illam relaxare ex quacunque rationabili cauſa. Imo etiam ſine cauſa ex ſola benignitate, quia cum ſit proprium Principis eſſe liberalem, & gratioſum, vt ait Bald. *in l. Legatis. in fine. ff.* Ad *leg Falcid.* poteſt relaxare pœnam, vt ſe oſtendat benignū, & gratioſum; & hæc erit ſufficiens cauſa, & rationabilis. Et proinde ſufficere ſolam voluntatē Principis pro remittendo bannito, quia ſola voluntas, Principis eſt iuxta cauſa, tradunt Gloſ. *in l. Relegati. ff.* De *pœnis.* Iaſ. *Conſil.* 236. & ſolum motum Principis eſſe iuſtam cauſam, Abbas *in Cap. Niſi ſpecialis.* De *offic. leg.* Innocent. *in Cap. Cum ad monaſteriū. De ſtatu Monachor.* Petra *de poteſt. Princip. cap. 32. quæſt. 4. num. 2.* Borel. *De præſtant. Reg. Cathol. cap. 38. num. 70.* Quod intelligi

gi debet, vt notat Innocent. in ijs, quæ ſunt iuris poſitiui.

4 Hinc à fortiori ſpecialis dilectio Principis eſt ſufficiens cauſa ad relaxandam pœnam, vt eſt tex. expreſſus Cap. *Niſi ſpecialis*. De *offic. legati*. Vbi Gloſ. *verbo Specialis*. Barb. *in Repet. Cap. Raynaldus* ver. *Et idem dicas in Principe*. De *teſtamen*. Tiraquel. *De pœn. temper. cauſ. 6. num. 1.* quia nimirum præſumitur, quod dilectio principis rationabilis ſit, & impenſa perſonæ dignæ; eſt autem conueniens, quod Princeps indulgeat ſuæ rationabili dilectioni. Et hęc cauſa habet locum etiam in pęnis debitis ob transgreſſionem legis naturalis, aut diuinæ, ſi non quò ad totalem condonationem, ſaltem quò ad diminutionem, quia naturali iure bonum communitatis non ita exigit rigoroſam punitionem, quin etiam indulgeat aliquando miſereri. Siquidem, vt conſtat in Deo, miſericordia coniungi debet cum iuſtitia, & ideo Princeps, ita debet adminiſtrare rempublicam, vt cum iuſtitia, & punitione coniungat miſericordiam, atque adeo condonationem pœnæ, cum autem miſericordia ſit effectus amoris, poteſt erga eos illam exercere condonando pœnas, quos ſpecialiter diligit.

5 Similirer merita delinquentis, aut maiorum ipſius ſunt cauſa ſufficiens pro relaxanda pœna *l. 2. §. Poſtea cum Appius. ff.* De *orig. iur.* & *l. Non omnes. §. fin. ff.* De *re milit.* & notant Roman. *Conſil.* 130. ver. *Videmus* Tiraquel. *De pœnis temperan. cauſa* 49. *nu.* 1. & hæc cauſa habet locum etiã quò ad ad eos, qui deliquerũt cõtra legem naturalem, aut diuinam. Si quidem lex naturalis præſcribit gratitudinem erga benemeritis, & ideo debet Princeps eam exercere tanquam adminiſtrator iuris naturalis cum benemeritos erga rempublicam; exercebit autem, ſi intuitu meritorum condonet pœnas delinquentibus.

An Præfectus annonæ, poſſit cogere ad emendum frumentum corruptum, aut proximum corruptioni priuatæ perſonæ, vt ipſi gratificetur. Quæſt. 314.

S V M M A.

1 *Præfectus annonæ poteſt cogere ad emendum frumentum publicum, licet deprauatum.*
2 *Frumentum eſt fundamentum, vnde caritas, vel abundantia aliorum comeſtibilium.*
2 *Intereſt reipub., quod comeſtibilia abundent.*
2 *Publica vtilitas priuata præferenda.*
3 *Præfectus annonæ non poteſt cogere ad emendum frumentum vitiatum, quod non eſt de publico.*
3 *Cauſa limitata parit limitatam facultatem.*
4 *Præfectus annonæ cogens ad emendum frumentum vitiatum et c. tenetur ad reſarciendum damnum.*
4 *Quibus debeat reſarcire.*
5 *In quo Præfectus annonæ poſſit gratificari amico habenti frumentum vendibile.*

1 PRæfectum annonæ poſſe cogere eos, qui panem pro communitate conficiunt ad emendum frumentum publicum, licet vitiatum, dummodo tamen non ſit ita vitiatum, vt nociturum ſit ſaluti comedentium, extra dubium eſt, per ea, quæ tradunt Corſetus *in Singularib. Littera F.* verbo *Fiſcus*. Petrus Gherardus *Singul.* 59. Ariſmin. Tepat. *tom. 2. Variar. tit.* 393. *cap.* 1. *ver. Corruptas*.

2 Agitur namque de publica vtilitate, quod frumentum vetus, & iam marceſcens in nouum commutetur, & proinde intereſt communitati, quod vendatur, & conſumatur, vt nouum poſsit reponi. Frumentum namque eſt fundamentum, vnde reſultat caritas, aut commoditas aliorum commeſtibilium *l. 1. in fine. C. De frumen. vrb. Conſtan.* vbi Bart. Ripa *tract. De peſte.* tit. *De remed. ad conſer.*

ſer. vbert. init. Bobadil. *lib. 3. Polit. cap. 3. n.* 7. Mexia *in Prag. tax. pan. concluſ. 6. n. 17.* & ideo cum interſit valde reipublicę, abundare comeſtibilia, vt notat Ariſ. 6. *Polit. cap. 8.* et *lib. 7. cap.* 8. intereſt etiam habere repoſitam certam quantitatem frumenti pro ſuperuenientibus neceſſitatibus. Vnde pro hac quantitate frumēti manutenenda poſſunt ſubditi cogi ad emendum frumentum vetus, cum publica vtilitas priuatæ pręferenda ſit *l. fin.* C. Communi *de legat. in Auth.*

3 Ex his reſoluitur dubium, nimirum, *Non poſſe Præfectum annonæ cogere ad emendum frumentum vitiatum, quando non eſt de iure communitatis, ſed pertinet ad priuatas perſonas, de quorū intereſſe agitur.* Siquidem facultas, quam habet ad cogendum emere, menſuratur à publica vtilitate, ita vt nō poſſit cogere, niſi iuxta exigentiam ipſius. Ceſſat autem exigentia publicæ vtilitatis, quando agitur de frumento, quod eſt de intereſſe priuatarum perſonarum; & ideo ceſſat etiam facultas eiuſdem Præfecti, quia cauſa limitata publicæ vtilitatis, ob quam id poteſt, parit limitatam facultatem *l. In a ris ff* De *acquir. rer. domin.* & *l. Cancellauerat. ff* De *ijs, quę in teſtam. delen.* et *l. Age.* C. De *tranſact.* et Cap. *Ea noſcitur.* De *ſenten. excommunicat.* et explicat Tiraquel. *tract. Ceſſante cauſa. par. 1. n. 147.*

4 Ex quo fit, quod ſi cogat emere, fac t contra iuſtitiam, iniuſtè aggrauādo nō ſolum emptores, ſed etiam totam communitatem, nam quatenus participat de pane confecto ex illo frumento, participat etiam in grauamine. Et cum dictum frumentum vendatur, tanquam ſi non eſſet vitiatum; damnificat quò ad illam partem pretij, quæ excedit valorē frumenti; vnde conſurgit obligatio reſtituendi, & reſarciendi damnum non ſolū apud illum, cuius eſt frumentum, ſed etiam apud Præfectum annonę, quia ipſe eſt principalis cauſa damni. Quia tamē hoc damnum non redundat in eos, qui emunt frumentum, ſi quidem conficiūt panem ex ipſo pro communitate, & vēdunt eodem pretio, ac ſi eſſet ex frumento non vitiato, ſed in eos, qui emunt panem, ideo reſtitutio facienda eſt non ijs, qui frumentum emerunt, ſed ijs, qui dānum paſſi ſunt; & proinde eo modo facienda eſt, quo debet fieri ab ijs, qui in vēdendo fraudant aduentantes emptores, vt tradunt Doctores in materia de reſtitutione.

5 Poterit tamen Præfectus annonæ gratificari amico habenti frumentum de præſenti quidem ſine vitio, ſed cuius corruptio timetur, ſi citò non conſumatur, & tale frumentum diſtribuere iuſto pretio conficientibus panem pro communitate; nam in hoc ita gratificatur amico, vt tamen nulli præiudicet, ſiquidem ementes nullum dāmnum patiuntur, nec fiunt obnoxij periculo, quod frumentum corrumpatur, ſi quidem ſtatim ab ipſis conſumendum eſt.

An, ſi quis petenti mille aureos pro impetranda gratia apud Romanam Sedem dicat, ſe paratum dare non ſolum mille, ſed etiam duo, & tria millia, & quicquid petierit, incurrat pænas Gregorianæ De datis, & promiſſis. Quæſt. 315.

S V M M A.

1 *Quid prohibeatur in Conſtitut. Gregoriana De datis & promiſſis.*
2 *Dicens ſe paratum dare petenti, pro gratia obtinenda, non ſolum mille, ſed quicquid voluerit, an incurrat pœnas Gregorianæ.*
2 *Promiſſio urbanitatis cauſa an prohibita per Gregorianam.*
3 *Promiſſio facta oſtentatiuo, & vrbano modo non eſt in conſideratione.*
3 *Quæ promiſſio admittatur.*
4 *Quæ ſit promiſſio iactatiua.*
4 *Quid ſit iactare.*
5 *Nemo præſumitur iactare ſuum.*
5 *Quæ interpretatio adhibenda in iudicio.*
6 *Interpretatio adhibenda, quæ excludit delictum.*
7 *Promittens iactatiuè ob gratiam obtinendā, an peccet.*
8 *Verba iactatiua non inducunt ad operandum ex metu.*

Op;

8 *Oppoſitorum eſt idem iudicium.*
9 *Promiſſio iactatiua non prohibetur per Gregorianam. & n. 10.*
9 *Paria ſunt, Non fieri, et non ſortiri effectum.*
10 *Vbi ratio ceſſat, etiam diſpoſitio ceſſat.*
11 *Quæ actiones prohibeantur in Gregoriana De datis, et promiſſis.*
12 *An promittens iactatiuè pro obtinenda gratia &c. peccet, quia inducat ad impetrandum.*

---

1 VIdetur affirmatiuè reſpondendū iuxta ea, quæ tradunt Azor. *par. 3. lib. 12. cap. 23. q. 1.* ver. *Sed meo iudicio.* Molina *tract. 2. De iuſt. & iure. diſp. 92.* ver. *Vnde quod.* Dicaſtillus *De iuſt. & iure, lib. 2. tract. 1. diſp. 5. dub. 71. nu. 179.* Quia in dicta Bulla prohibentur pacta, & promiſſiones, etiam generalibus verbis conceptæ. in dictis autem verbis interuenit promiſſio ſaltem generaliter concepta, cum promittens non ſe determinet ad certam ſummam, ſed ad hanc, vel illam. Deinde talis promiſſio eſt ſufficiens ad ineſcandum, & mouēdum pro impetranda gratia, ergo cadit ſub prohibitione dictæ Gregorianæ, nam prohibet promiſſiones, quatenus poſſunt inducere ad impetrandam gratiam. Deniq. in dicta Bulla non ſolum prohibentur pacta, & promiſſiones, ſed etiam dare auxilium, & fauorem, talis autem promiſſio, licet abſque animo adimplendi, iuuat promiſſarium, vt rem efficiat, & intentet, & cōtinet virtuale conſilium, & exhortationem ad actiones prohibitas in dicta bulla.

2 At *negatiuè reſpondendum eſt* iuxta doctrinam, quam tradit Nauarrus *De dat. & promiſ. notab. 6. num. 18.* Boccar. *tract. De pact. par. 1 num. 26.* Farinac. *in Praxi crimin. par. 3. quæſt. 111.* Filliuc. *tract. 15. cap. 6. num. 129.* Bonac. *tom. 3. diſp. 2. De cenſur. in particulari. punc. 31. n. 10.* ver. *Mihi diſtinguendum.* quatenus docent, quod promiſſio, quæ non inducit ciuilem obligationem, ſed fit tantum vrbanitatis cauſa abſque animo ſe obligandi, non ſufficit pro incurrendis dictis pœnis.

3 Ratio autem eſt, quia non eſt habenda ratio promiſſionum, & verborum, quæ non proueniunt ex efficaci intentione, ſed proferuntur oſtentatiuo, & vrbano modo *l. Sciendum. §. 1. ff.* De *adilit. edict.* ibi. *Ea autem ſola dicta, ſiue promiſſa admittenda ſunt, quæcunque ſic dicuntur, vt præſtentur, non vt iactentur.* & *l. 3. §. fin. ff.* De *act. & obligat.* & *l. Ea quæ. ff.* De *contrah. emp.* & *l. fin. ff.* De *hæred. inſtit.* & notant Bart. *in l. Si vero. §. Cum quidam. ff. Mandati.* Boer. *Deciſ. 153. num. 37.* Seſſe *Deciſ. 182. num. 13.* Caldas Pereir. *De nominat. Emphyth. quæſt. 1. nu. 49.* Cardin. *in Cap. Cum veniſſent. De inſtit.* vbi & cæteri Doctores.

4 Dicta autem promiſſio eſt iactatiua, et oſtentatiua, ſi quidem eſt de eo, quod promittens nō eſt veriſimiliter facturus, & facta abſq. conſideratione, quia nō eſt veriſimile, quod promittens velit ſe obligare ſupra id, quod exigit promiſſarius, & ad menſuram voluntatis ipſius: vnde eſt ſupra intentionem promittentis, & excedēs facultatem regulatam ratione, & contraria veritati ſecūdum exceſſum, atque adeo iactatiua iuxta doctrinam D. Th. *2. 2. quæſt. 112. ar. 1. in corpore.* Iactare enim eſt extollere, & inaniter loqui, vt *in l. Fugitiuus. ff.* De *verbor. ſignificat.* & *in l. Imperatores. ff.* De *tranſact.* & *in l. Paulus. ff.* De *bonis libert.*

5 Quod habet locum non ſolum quò ad forum conſcientiæ, ſed etiam quò ad forum externum. Nemo enim præſumitur iactare ſuum. *l. Cum de indebito.* ver. *Qui non ſoluit. ff.* De *probat.* & declarat Tiraquel. *in l. Si vnquam. verbo.* Donatione largitus. *num. 206. C. De reuocan. donat.* quod præcipuè valet in iudicio, in quo ſemper adhibenda eſt interpretatio, quę magis proſit facienti actum, vt notant Alexan. Trentacinq. *Conſil. 20. num. 13. par. 1.* Rota *Deciſ. 171. num. 3. par. 1. Poſthum. apud Farinac.*

6 Et quia eſt facienda illa interpretatio, quæ excludit delictum, vt notant Abbas *in Cap. Cum tu. De teſtib.* Natta *Conſil. 549. num. 11.* Menoch. *lib. 5 præſūpt. 161. num. 6.* Maſcard *De probat. concluſ. 496.* Farinac. *in Praxi. par. 3. quæſt. 85. num. 1.* Si quidem lege charitatis tene-

nemur vitare damnum proximi, & prohibemur afferre illi aliquod detrimẽtum. infertur autem damnum, ſi, quando ex aliqua interpretatione poteſt excludi delictum, ipſi appingitur, quia in hoc lædimur bona opinio ipſius. In caſu autem præſenti poteſt excludi delictum ex aliquà interpretatione, nam dicta promiſſio attendendo ad verborum ſignificationem poteſt accipi tanquam oſtentatiua, & iactatoria, atq; inaniter facta. Et hoc valet etiam pro foro externo, Vnde non eſt audiendus Bonac. *diſp. 2. de cenſur. in particulari. q. 3. punc. 3 1. num. 8.* ver. *His non obſtantibus*. in fine, aſſerens in foro externo præſumi incurriſſe pœnas. Si quidẽ in foro præcipuè externo debet fieri interpretatio excluſiua delicti.

7 Sed dubium remanet, an qui ſic promittit, peccet. Et videtur peccare peccato ſcandali, quia inducit promiſſarium ad procurandam gratiam ſub ſpe rei promiſſæ, & ad acceptãdam promiſſionem, atque adeo ad violandam conſtitutionem Pontificiam. Verũ ex eodẽ quoque principio ſequitur, quod non peccet, ſi tamen abſit praua intentio; nã non facit aliquid, quod de ſe ſit ſufficiens ad inducendum promiſſarium ad procurandam gratiam intuitu præmijs quia cum dicta promiſſio ſit iactatoria, & inaniter facta, non eſt habenda in conſideratione, & admittenda, vt dictum eſt *nu. 3.* vnde ſi inducitur, ſibi imputare debet, quod æſtimet talem promiſſionem, & ideo ſcandalum erit merè paſſiuum.

8 Accedit etiam, quod verba iactatoria non ſunt ſufficientia ad inducendum aliquem, vt operetur ex metu *l. Metus. C. Quod metus cauſa*, quia nimium tanquam inaniter prolata non habent efficaciam, nec habentur in conſideratione, ergo neque ſunt ſufficientia, vt inducant ad malè operãdum ex ſpe alicuius emolumenti, cum militet eadem ratio, præſertim quià, quando aliqua non poſſunt cauſare metum inducentem ad operãdum, nec eorum oppoſita poſſunt cauſare ſpem, quæ inducat ad aliquid faciẽdum; nam oppoſitorum eſt idem iudiciũ. *l. Iulianus. §. Si procurator. ff.* De *actionib. empt. & vend.* & *l. Qui quantam.* & *l. Si ex toto, init. ff.* De *legat. 1.* & *l. fin. §. fin. ff.* De *legat. 3.*

9 Nec obſtant, quæ in oppoſitum allata ſunt *num. 1.* quia in dicta Bulla prohibentur promiſſiones, etiam verbis generalibus conceptæ, quæ ſunt veræ promiſſiones, & ſeriò factæ cum animo adimplendi, non autem promiſſiones inanes, & iactatoriæ, quia cũ hæ non habeãtur à lege pro promiſſionibus, vt dictum eſt *num. 3.* nec etiam cadunt ſub prohibitione legis, quia lex prohibendo promiſſiones, reſpicit tãtum eas, quæ pro promiſſionibus habentur. cum enim tales promiſſiones nõ ſortiantur effectum tanquam inanes, habentur pro non factis; quia paria ſunt, non fieri, & non ſortiri effectum *l. 1. §. Nihil. ff.* De *inoffic. teſtam.* & *l. Si quis ſub conditione. ff.* De *teſtam. tut.*

10 Ad 2. dicitur, dictam promiſſionẽ nullam habere efficaciam, vt inducat ad impetrandam gratiam, quantam eſt de ſe, & apud prudentes viros, vt conſtat ex dictis *num. 7. & 8.* Vnde, ſi in dicta conſtitutione prohibentur promiſſiones, quatenus poſſunt inducere ad impetrandam gratiam, ſequitur, quod non prohibeantur inanes, & iactatoriæ, qualis eſt iſta, de qua agimus, cum in ipſis nõ habeat locum ratio diſpoſitionis *l. In omni. ff.* De *adoption. & l. Quod dictum. ff.* De *pactis*, & Cap. *Et ſi Chriſtus*. De *iurep atronat.*

11 Ad 3. In dicta Conſtitutione prohiberi dare auxilium, conſilium, aut fauorem in ordine ad actiones prohibitas in dicta Cõſtitutione. Actiones autẽ prohibitæ ſunt Paciſci, Promittere, ſeu dare, Acceptare promiſſa, aut data, ſiue hoc fiat immediatè, ſiue per tertiam perſonam. Conquirere expeditiones negociorum innixi ſuffragationibus potentiorum, Ambire donis, aut pollicitationibus, qui pollent gratia, vt pro ſe, vel pro alio gratiam, vel iuſtitiam obtineãt. Confingere, ſe dediſſe pretium, vel munera pro opera præſtanda, vel præſtitais, qui gratia pollent apud eum, qui gratiam, vel iuſtitiam eſt cõceſſurus, Omitte-

tere denunciare eos, qui in his peccauerunt. & deniq. Vti gratia, vel iuſtitia per hæc media obtenta. Vndè fauor, conſilium, & auxilium cadētia ſub prohibitionē eſt in ordine ad has actiones prohibitas, nō autem in ordine ad obtinendam gratiam, aut iuſtitiam, & ideo ſi dicta promiſſio daret auxilium, & contineret virtuale conſilium, non eſſet prohibita ex hoc capite, quia reſpicit tātū impetrationem, non autem actiones prohibitas in ordine ad impetrationem. Sed, vt dictum eſt, neq. habet ex ſe efficaciam ad mouendum.

12 Adhuc tamen remanet difficultas, quia talis promiſſio ordinatur ad inducendum promiſſarium, vt impetret gratiam intuitu eiuſdem promiſſionis: & proinde, licet non ſit prohibita per Conſtitutionem Gregorianam, videtur tamen continere peccatum ſcandali ſaltem ex intentione promittentis. Et quidem, ſi fiat cum tali intentione, vt promiſſarius inducatur ad impetrandam gratiam intuitu ipſius, non eſt dubium, quod continet peccatum ſcandali, quia licet promiſſarius ſit paratus ad peccandum, adhuc tamen promittens haberet intentionem, quod peccaret, & ex tali intentione ſubminiſtraret materiam peccati. Si tamen promittens videns promiſſarium paratum ad peccandum, & ſolum intendat vti illius voluntate in ordine ad obtinendam gratiam, & ex intentione promittat modo ſupradicto, quia talis promiſſio ex ſe non habet vim inducēdi ad impetrandam gratiam, cum ſit inaniter facta, non cenſebitur inducere ad peccandum, nec peccato cooperari, ſed ſolum permittere ipſius peccatum, & exhibere illam materiam, quæ de ſe quidem non eſt occaſio peccati, ſed ſolum poteſt eſſe ex aliena malitia.

An Miniſter charus poſſit aliquid accipere pro interponenda interceſſione apud Principem. Quæſt. 316.

S V M M A

1 *Miniſter charus Principi an poſſit aliquid accipere pro interceſſione &c. num. ſeq.*
3 *Quid ſuffragium datum pro obtinendo aliquo munere, & quando prohibitum.*
4 *Donatio permiſſa vxori pro ſuſtinenda dignitate viri.*
5 *Largitio pro obtinenda adminiſtratione aliqua an ſecundum ſe licita.*
6 *Largiens pro obtinenda adminiſtratione, intendit ex ipſa percipere compenſationem.*
7 *Qui per largitionem obtinet adminiſtrationē, procurat propriam vtilitatem, & publicā negligit.*
8 *Largitio pro obtinenda adminiſtratione eſt occaſio vendendi iuſtitiam &c.*
8 *Quæ ex malo initio oriuntur, obtinent peiorem finem.*
9 *Quomodo obtinens adminiſtrationem per largitionem, peccet peccato ſcandali.*
10 *Largitio pro obtinenda adminiſtratione eſt radix plurium malorum.*
11 *Venditio officiorum cum adminiſtratione an licita.*
12 *Quomodo accipiendi Doctores, qui dicunt, eſſe licitam.*
13 *Officia, quibus annexi ſunt prouentus, licite venduntur.*
13 *Quid Princeps in horum venditione ſeruare debeat.*

1 PRo Curia Romana prouiſum eſt per Conſtitutionem Gregorianam *De datis, & promiſſis*: vnde difficultas procedit ſolum quo ad aliorum Principū miniſtros. Et negatiuè reſpondet Cuiac. *in Nouel.* 8. Hotthoman. *De verbis iuris*, verbo. *Suffragium.* hoc reprobantes tanquam turpe, & pernicioſum.

2 Oppoſitum tamen defendunt Diō. Gothofr. *in l. vnicam. littera K. C. De ſuffragio.* Rebuf. *in l. 7. ver. Et per hoc patet. ff.* De verbor. *ſignificat.* Balduin. *in Præfat. Inſtit. De publ. iudic.* Claud. Cantiun. *De offic. iud. cap. 8. num. 9. & 16.* Anton. Crabretos *De metu lib. 2. Cap. 15. nu. 32.* ver.

ver. *Quodautem id ipſum s* qui tamen coarctat, quod ſolum liceat dare pro interponenda interceſſione, quò ad ea obtinenda, quæ non concernũt adminiſtrationem iuſtitię: ſecus autē ſi concernant. Affertur *l. vnica*. C. De *ſuffragio*. vbi id videtur concedi. ibi. *Si qui deſideria ſua explicari cupientes, ferri ſibi à quoquam ſuffragium poſtulauerint, & ob referendam vicem, ſeſponſione obſtrinxerint, promiſſa reſtituant, cum ea, quæ optauerint, conſequantur. Si artibus moras nectant, ad ſolutionem debiti coarctandi ſunt.*

3 Verum ex hoc textu non deducitur intentum, quia ibi agit Imperator de ſuffragio in ordine ad magiſtratum aliquem obtinendum, pro quo dabatur aliqua compenſatio. Imo etiam fiſco ſoluebatur certa ſumma pecuniæ, quæ ſuffragium dicebatur, quia dabatur in ſubſidium ærarij pro adminiſtratione, ſeu magiſtratu obtinendo, vt deſumitur ex Nouel. 8. *Vt iudices ſine quoquo ſuffrag. fiant.* & notat Guido Panciról. *lib. 2. Theſauri Variar. lect. cap.* 198. ver. *Diſponit. in fine ad l.* 1. C. De *ſuffrag.* Dicta autem lex vnica. C. De *ſuffr.* fuit reuocata à Iuſtiniano Imperatore. & prohibuit non ſolum ſuffragium, quod dabatur Principi, ſed etiã interpoſitis perſonis, nam. §. *Hæc omnia*. habet. *Per quam ſancimus neque proconſularium vllam, neque hactenus vocatam Vicariam, neque aliam quamlibet adminiſtrationem, neque proconſularem, neque præſidalem (quas Conſularitias, & correctiuas vocant, quarum expreſſim meminit ſubiecta huic ſacræ legi noſtræ deſcriptio, quaſque ſolas ſub hac lege ducimus) dare aliquod ſuffragium, neque pro adminiſtratione quãlibet donationem, neque iudici villi, neque eorum, qui circa adminiſtrationem ſunt, alicuis neque alteri per occaſionem patrocinij, ſed gratis quidem ſumere adminiſtrationes &c.* Quod etiam innouatur in Nouella 161. *De prouinciar. Præſidib.* Neque ex illo tex. poteſt deſumi argumentum, tum quia in dicta Nouella 8. hoc damnatur tanquam contra bonos mores, vt mox dicetur, & proinde nõ licet ex ipſo arguere. Tum quia dicta lex vnica. C. *De ſuffragio*. procedit, ſuppoſita permiſſione ſuffragij &c. & ſtante promiſſione decernit, cogendum eſſe promiſſorem, vt ſoluat promiſſa. Sic etiam iudex cogit ſolui ſtipendium meretrici, quamuis ſoluatur pro actu malo.

4 Affertur etiam *l. Nuper. ff.* De *donat. inter vir. & vxor.* vbi decernitur, licere vxori donare viro ob acquirendam aliquam dignitatem. Sed ibi non conceditur, poſſe donare marito, vt, quæ dono accipit, ſoluat pro obtinenda dignitate interceſſori, aut fiſco, ſed in eum finem, vt maritus habeat, vnde poſſit ſubſtinere dignitatem, vt deſumitur ex eodem tex. ibi. *Vt ecce ſi vxor laticlauij petendi gratia donet, vel vt equeſtris ordinis fiat, vel ludorum gratia.* & ex l. præcedente. *l. Quod adipiſcendæ.* eodem Tit. ibi. *Eatenus ratum eſt, quatenus dignitati ſupplendæ opus eſt.*

5 Quod igitur ſpectat ad largitionem pro obtinenda aliqua adminiſtratione, quamuis ſecundum ſe nõ contineat aliquid illicitum, ſi quidem interceſſor interponit apud Principem ſuam interceſſionem, quæ eſt pretio æſtimabilis, nam poſſet illã interponere pro te aliqua obtinenda, aut ſibi ipſi, aut alteri ex ſuis; vnde ſe priuat illo fructu, quod ex beneuolentia Principis poſſet percipere.

6 Attendendo tamen *ad circumſtantias eſt omnino illicita talis largitio, & noxia communitati, & publico commodo.* vt habetur ex dicta Nouella 8. *Vt iudices ſine quoque ſuffr. fiant.* Quia, qui largitur, vt adminiſtrationem obtineat, intendit ex ipſa adminiſtratione tales prouentus percipere, qui compenſent, & ſuperent etiam omnes expenſas. vnde Imperator in *Præfat. dictæ Nouel. ait. An certè non omnibus manifeſtum eſt, quoniam qui aurũ dat, & ita adminiſtrationem emit, non dat hoc ſolum, quantum occaſione adinuentum eſt ſuffragiorũ, ſed & aliud extrinſecus addit amplius occaſione commodi adminiſtrationem aut dantibus, aut ſpondentibus? & ſic vno principio illicito dato, plurimas neceſſe eſt manus circum ire eum, qui donationẽ facit. Et hoc non de ſuo forte præbere, ſed mutuatum; & vt mutuare poſſit, damnificatum; & computare apud ſe, quia conuenit,*

nit, eum tantum ex prouincia percipere, quantum liberet ei quidem debita, ſortes, & vſuras, & damna pro ipſo mutuo: computabit autem, & in medio expenſas largiores iam & iudici, & qui circa ipſum ſunt conuenientes: & quemdam etiam ſibimet recondet quæſitum in tempore ſequenti, in quo forte non adminiſtrabit. Quapropter eius, quod ab eō datum eſt, triplum, magis autē, ſi oportet verius dici, decuplum erit, quod à ſubiectis noſtris exigitur.

7 Rurſus ex hac largitione ſequitur detrimentum publico ærario, quia, qui adminiſtrationem obtinuit mediante largitione, redigit omnia ad propriam vtilitatem, nec curat de vtilitate Principis; negligit quæ ſunt ærarij, vt ſuam vtilitatē quærat, & exigens à ſubditis, quod non deberet exigere, reddit ipſos impotentes ad ſoluendum, quod debent ærario. Vnde idem Imperator loco citato: *Et ex hoc etiam Fiſcus imminuitur, nam ea, quæ oportebat in fiſcum inferri eo, quod adminiſtrationem habent puris vtentem manibus, hoc ad propriam vtilitatem redigens, qui adminiſtrationem habet, & inopem facient nobis collatorem, inopiam ipſius, quæ per ipſum agitur, nobis reputat, & quanta impiè talia fiunt ad horum furtorum meritò relata occaſionem?*

8 Inſuper talis largitio eſt occaſio peccandi ipſi largienti, quia eſt cauſa ipſum mouens ad vendendam iuſtitiam, & exercendas plurimas iniquitates, vt largitionis compenſationem faciat. Vnde idem Imperator eodem loco, *Adminiſtrationes namque habentes prouinciales ad hanc acceptionem reſpiciētes multos quidem reorum dimittunt vendentes eis delictum, plurimos autem innoxiorum condemnant, vt noxijs præſtent, & hoc non ſolum in pecuniarijs cauſis agitur, ſed & in criminalibus, vbi de anima eſt periculum, fugæque fiunt ex prouincijs, & confluunt huc omnes ingemiſcentes, ſacerdotes, & Curiales, & poſſeſſores, & populi, & agricolæ iudicum furta meritò, & iniuſtitias accuſantes.* Et ratio eſt, quia, quæ malo initio ortum habent, priorem progreſſum ſortiuntur Cap. *Principatus.* & Cap. *Quibuſdam.* 1. *Queſt.* 1. Et ita notant Boer. *De*ciſ. 149. *num.* 3. *par.* 1. Guillel. Benedict. *in Cap. Raynut.* ver. *Duas habens filias. n.* 55. Bornit. De *ærario. lib.* 2. *cap.* 6. Bart. *in l.* 1. C. De *murileg. lib.* 11. A Ponte *De poteſt. proreg. tit.* 3. *num.* 6. Sotus *de Iuſt. & iure lib.* 3. *queſt.* 6. *art.* 4. Fragoſ. *par.* 1. *Regim. chriſt. reipubl. lib.* 1. *Diſp.* 2. *num.* 128. Sylueſter *verbo* Dominium. *Queſt.* 4. Lopez *lib.* 1. De *contract. cap.* 6. *concluſ.* 3. Rebel. *lib.* 9. *de obligat. iuſt. qu.* 18 *sect.* 2. *nu.* 21.

9 Rurſus ex eo, quod iudices, & alij miniſtri talibus artibus conquirunt pecuniam, peccant peccato ſcandali, atq; adeo obtinere adminiſtrationes per largitiones eſt ipſis occaſio ſcandali; nam inducunt exemplo cœteros, vt ipſi quoque malis artibus pecuniam conquirāt. Vnde idem Iuſtinian. Imperator eodem loco ſubdit; *Quis enim ſine periculo non furetur, quis non latrocinabitur ſine reatu ad adminiſtratorem reſpiciens? Ille namque videns omnia auro uendentem, & præſumens, quicquid egerit illicitum, hoc pecuniā dando redimet. Hinc homicidium, & adulterium, & inuaſiones, & vulnera, & raptus virginum, & commerciorum confuſio, & contemptus legum, & iudicum omnibus hæc venalia propoſita eſſe putantibus tanquam aliquod vilium mancipiorum.*

10 Deniq; concludit Imperator, quod ex largitione pecuniæ, & emptione adminiſtrationis omnia mala prouenſunt: ibi. *Et omnino vna quædam* (pecunia) *eſt hæc omnium occaſio malorum, & accipere ſuffragium à iudicibus totius nequitiæ eſt principium, & terminus.* Et rurſus, *Sed neque ſufficimus conſiderare, & exponere, quanta ex furto prouincialium iudicū fiant peſſima, nullo eos præſumente cum fiducia redarguere, cum illi repente, ſe emiſſe ſingula pronuncient.*

11 Ex quibus deducitur, nedum illicitas eſſe dictas largitiones, ſed etiam illicitum eſſe vendere dicta officia, vt docent Medina. C. De *reſt. queſt.* 4. *De vſuris.* Adrian. *in* 4. *Queſt. de Vſura.* §. *Ex his.* Turrian. 2. 2. *tom.* 2. *diſp.* 23. *dub.* 2. *n.* 5. Merol. *t.* 3. *Theol. moral. diſp.* 5. *de conſuet. cap.* 2. *nu.* 24. Quia eadem detrimenta, & communia, & particularia ſequuntur etiam ex venditione, de qua ſimiliter

loquitur Iuſtinian. Imperator *citato loco*, vt conſtat ex verbis allati textus.

12 Vnde quando aliqui Doctores, vt Leſſius *lib. 2. de iuſt. & iure. cap. 32. dub. 4. nu. 29.* Aragon. 2.2. *quæſt. 63. ar. 2.* Salon. *ibid. Controuer. 8. concluſ. 2.* Syluius *eodem ar. 2* Tannerus *diſp. 4. quæſt. 8. dub. 2. n. 24.* Malder. *tract. 9. cap. 1. dub. 5.* Valent. *tom. 3. diſp. 5. qu. 7. punc. 2. §. 5. ad 3.* Rebel. *lib. 9. De obligat. iuſt. quæſt. 18. ſect. 2. nu. 24.* Ledeſma *par. 2. Sum. tr. 7. cap. 1. concluſ. 15.* Villalob. *part. 2. Sum. tract. 8. difficul. 7. num. 3.* Io. à Cruce *par. 1. Direct. conſcien. quæſt. 7. ar. 2. dub. 10. concluſ. 3.* Corduba *in Sum. quæſt. 117.* Filliuc. *tract 24. par. 2. cap. 2. num. 44.* docent, huiuſmodi venditionem cum aliquibus circumſtantijs eſſe licitam, nempè ſi fiat moderato pretio, ſi ob reipublicę vtilitatem, & ſi vendantur ſaltem digno, eorum doctrina habet locum, quando in venditione ceſſant illę circumſtantiæ, ex quibus mala ſupra enumerata naſcuntur. Neque enim ſuppoſita emptione poteſt quis cenſeri dignus, niſi cenſeatur rectè adminiſtraturus, præſuppoſita etiam emptione, nam ſi ratione emptionis præſumitur malè adminiſtraturus, haberi debet pro indigno.

13 Hoc tamen limitandum eſt, vt nō habeat locum, quò ad ea officia, quę habent annexos certos annuos prouentus correſpondentes expenſis, quæ fiunt pro ipſis obtinendis, qualia ſunt plurima in Romana curia, nā in his ceſſat ratio allata, ſi quidem, cum prouentus compenſent pecuniam, quæ pro ipſis ſoluitur, nō habet officialis motiuum etiam iniuſtū exercendi, quæ ſupra commemorata ſunt. Et quamuis dicta officia minores prouentus afferant, quàm aliàs ex ipſa retrahi poſſent: nō tamen debet officialis hinc occaſionem ſumere aliquid minus rectum faciendi pro compenſatione facienda, quia voluntariè impēdit pecuniam pro tali officio, & proinde contentus debet eſſe prouentibus, qui inde percipiuntur; vnde cum in hoc conſentiat, non relinquitur ei locus ad faciendā aliquam compenſationem. Quia tamen Princeps, vt dictum eſt ſupra *q. 312. nu. 7.* tenetur ſemper reſpicere ad publicam vtilitatem, ideo neque huiuſmodi officia conferri poſſunt, niſi ijs perſonis, quę rectè adminiſtraturæ ſunt, aliàs Princeps faceret contra debitum, quo Reipublicæ obligatur, & peccaret mortaliter, vel venialiter iuxta grauitatem, vel leuitatem materiæ. Et ſimiliter peccaret etiam miniſter, qui intercederet, quia induceret principem ad malum, & indirectè damnificaret rempublicam.

An Familiaris Principis poſſit recipere pecuniam pro obtinendo alicui aliquod officium, cui non ſit annexa adminiſtratio, aut iuriſdictio. Quæſt. 317.

SVMMA

1 *Princeps tenetur eligere ad munera publica perſonas idoneas.*
1 *Princeps debet habere pro fine vtilitatem publicam.*
1 *Princeps eligens inhabiles ad munera pecca mortaliter.*
2 *Tenetur remouere inhabiles à muneribus publicis.*
3 *Familiaris Principis an poſſit aliquid accipere pro interceſſione in ordine ad aliquod officium &c. aut gratiam*
4 *Quando ſupplicans pro aliquo officio alteri obtinendo, debeat conſiderare, an ſit habilis.*
5 *Princeps admittens preces interceſſorum ſine alia inquiſitione, cenſetur acquieſcere ipſorum conſcientiæ.*
6 *Familiaris Principis non poteſt intercedere pro inhabili.*

1 QVod ad officia, & munera publica eligendę ſint perſonæ idoneæ, quæ illa exerceant, & rectè adminiſtrent, non eſt in dubium reuocandum, quia huiuſmodi officiales ſunt propter bonum reipublicæ, ſicuti ſunt & ipſa officia, vnde non debent conuerti in perniciem ipſius, quemadmodū conuerterentur, ſi præficerentur inhabiles. Et ideo

cum

cum Princeps debeat habere pro fine vtilitatem communitatis. *l.* 2. *§ Nouiſſime. ff.* De *origine iur.* & Cap. 1. *De prohibit. alien. feud.* & ſecundum ipſum regimen moderari, tenetur ad officia huiuſmodi idoneos aſſumere, ex quorum adminiſtratione cōſurgat publica, vtilitas, propter quā officia inſtituta sūt, vt inter alios notant Adrian. *in* 4. *tract. De reſtit. Quæſt. De eo, qui mutuat pecun. reg.* 1. *&c.* Sotus *lib.* 3. *de Iuſt. & iur. q.* 9. *ar.* 4. Arag. 2.2. *quæſt.* 63. *ar.* 2. *§. His tamen non obſtantibus* citans Didacum Perez. *lib.* 7. *Ordinat. Regal. tit.* 2. *l.* 22. *init.* Nauar. *in Cap Si quando. Except.* 16. *num.* 3. De *reſcript.* Rebel. *par* 1. *De obligat. iuſt. lib.* 3. *quæſt.* 4. *concluſ.* 7. *num.* 14. Leſſius *lib.* 2. *De iuſt. & iure cap* 32. *dub.* 3. *num.* 13. Filliuc. *part.* 2. *tract.* 28. *cap.* 8 *num.* 127. Petrus Nauar. *De reſtit. lib.* 2. *cap.* 2. *n.* 120. Fragoſ. *par.* 1. *Regim. chriſ. Reipub. lib.* 1. *diſp.* 2. *§.* 3. *n.* 138. Et ideo ſi princeps conſerat huiuſmodi officia inhabilibus, peccat mortaliter, vt notant *citati* Doctores, quia in re graui damnificat rempublicam, & facit contra fidelitatem, cum qua ſe gerere debet in regimine ipſius.

2 Atque tanta eſt obligatio Principis circa collationem officiorum concernētium reipublicæ adminiſtrationem, vt ſi aliquibus ea contulerit, quos dignos, & idoneos putabat, & poſtea reperiat inhabiles, teneatur eos remouere, & officia idoneis conferre, vt inter alios notant Nauar. *in Cap. Si quando. Except* 16. *n.* 3. De *reſcriptis.* Coſmas Gumyer *in Præm. Pragmat. ſanc.* verbo. *Indignorum.* Azor. *p.* 2. *lib.* 11. *c.* 6. *§. Negādū non eſt.* Fragoſ. *par.* 1. *Regim Chriſt. Reipub. lib.* 1. *diſp.* 2. *§.* 3. *num.* 148. Bald. & Nicolaus de Neapol. *in l. Sed vt reprobari. ff.* De *excuſat. tut.* per illum tex. & inſuper deſumitur ex *l. Vt gradatim. §. Reprobari. ff.* De *munerib. & honorib.* & *l. Siſeruus. §. Proculus. ff.* Ad *leg. Aquiliam* Et ratio eſt, quia dum inhabilis continuat in adminiſtratione muneris, cōtinuatur etiam damnū Reipublicæ, quod princeps tenetur auertere.

3 Quod autem familiaris, aut ſeruus Principis poſſit aliquid accipere ob interponendam interceſsionem pro obtinendo alicui officio aliquo, aut alia gratia, docēt Molina *De iuſt. & iure to.* 2. *diſp.* 88. *§. Quando famulus.* Fragoſus. *par.* 1. *Regim. Chriſt. reipub. lib.* 4. *diſp.* 9. *§.* 4. *nu.* 56. Diana. *par.* 6. *tract.* 6. *Reſol.* 1. ver. *Et ita hanc ſententiam.* in fine. Quia interpoſitio operæ pro obtinēdo officio, aut alia gratia eſt aliquid pretio æſtimabile, præſertim, quia poſſet familiaris Principis cōuertere interceſsionem in commodum, proprium, aut alicuius ſuorum; & quia ſi obtinet à principe, quod petit, præcludit ſibi viam ad obtinendum aliquid pro ſe, ſi quidē quò plus pro alijs obtinet à beneuolentia principis, eò minus ipſi relinquitur, nā ſterileſcit, dū plura concedit.

4 Verum hic conſiderandum eſt à familiari principis, quomodo ſe gerere ſoleat Princeps in concedendis officijs, atque gratijs ad interpoſitas interceſsiones; nam ſi abſolutè ſoleat concedere abſque eo, quod præmittat inquiſitionē de habilitate perſonarū, pro quibus porriguntur ſupplicationes; *tunc tenetur. qui ſupplicationes porrigit, conſiderare, an ille, pro quo ſupplicat, ſit habilis pro illo munere exercēdo;* quia, ſi ſit habilis poterit interponere ſuam interceſſionem, & pro ipſa accipere pecuniam in congruenti quantitate habita ratione non ſolum operæ, ſed etiam emolumenti, quo ſe priuat, vtendo in commodum alterius beneuolentia Principis, quàm poſſet conuertere in proprium, aut ſuorum beneficium, cū poſsit ſe in omnibus, & per omnia ſeruare indemnem. At ſi is, qui exigit interponi interceſsionem, non eſt habilis, nō poterit intercedere pro ipſo, ſi quidem induceret Principem ad conferendum officium inhabili, atque adeo ad peccandum; & ipſe quoque eſſet cauſa damni, quod inde prouenirer reipublicæ, & teneretur monere poſtea Principem de inhabilitate officialis, ſi ad ipſius interceſſionem obtinuiſſet officium.

5 Nec obſtat, quod ſpectet ad Principem inquirere de habilitate eorum, quos aſſumit ad officia, quia dato, quod non inquirat, ſed admittat abſolutè interceſſorum preces, cenſetur acquieſcere fidelitati interceſſorum, quod interponant

preces pro habilibus, & ideo obligatio inquirendi refunditur in ipſos interceſſores, & cenſentur decipere Principem, ſi intercedant pro inhabilibus, & ſolum Princeps peccare poteſt acquieſcendo interceſſoribus, & confidendo in ipſorum fidelitate.

6 At, ſi Princeps, antequam concedat officium, ſoleat inquirere de habilitate, *qui ſupplicationem interponit, liberatur onere inquirendi, & poteſt ipſum commendare abſque alia inquiſitione, dummodo tamen non cognoſcat inhabilem*, nam aliàs, cooperaretur ad damnum reipublicæ, quod ex illius inhabilitate proueniret, ſi quidem, quantum eſt de ſe, faceret, quod poteſt, vt officium conferret. Vnde teneretur etiam, ſi officium obtineret, admonere Principem de illius inhabilitate. Nec obſtat, quod ſciat, Principem eſſe inquiſiturum de habilitate, quia hoc non facit, quod, quantum eſt de ſe, nõ cooperetur damno Reipub. Sed quod prudentia Principis huiuſmodi damnum impediatur.

An ſi in collatione ordinis aliquid omittatur, poſsit ſuppleri in quolibet tempore. Quæſt. 318.

S V M M A

1 *Quid ſupplendum ex omiſſis in collatione ordinis.*
1 *Quod non apparet factum, dicitur non factum.*
2 *Quid faciendum, quando dubitatur, an quod omiſſum eſt, ſit de ſubſtantia ordinis.*
2 *Vna lex recipit declarationem ab alia.*
3 *Supplere omiſſa in collatione ordinis non eſt conferre ordinem.*
4 *Omiſſum in collatione ordinis quo tempore ſupplendum.*
5 *Qui non ſeruat tempus præſcriptum à lege, non ſeruat formam.*
5 *Taxatio excludit omnia, quæ non continentur ſub ipſa.*

1 SI contingat, in collatione alicuius ordinis aliquid omitti, ſupplendum poſtea eſt, vt decernitur in Cap. *Paſtoralis. De ſacramen. non iteran.* & ibi notant Doctores Innocent. Panorm. & alij. Sotus *in 4. Diſt. 24. q. 1. ar. 4. ver.* ver. *Hinc fit*, & infra *citandi*. Eſt tamen aduertendum, hoc ſolum habere locum, quando id, quod omiſsũ eſt, non pertinet ad ſubſtantiam ſacramenti, quia ſi pertineat ad ſubſtantiam, debet de nouo conferrĩ ordo, cum nulliter collatus fuerit. Quod etiam præſtandum eſt, quando dubitatur, an quod omiſſum eſt, pertineat ad ſubſtantiam ſacramenti, tunc enim remanet dubium ipſum ſacramentum, vt vt docent Armilla *verbo.* Ordo. *nu.* 8. Syl‑ueſter *verbo.* Ordo. 2. *quæſt.* 10. Roſella *ibid. num.* 7. Tabiena, *eodem verbo. qu.* 4. Angel. *verbo.* Ordo 1. *num.* 15. D. Antonin. 3. *par. Tit.* 14. *cap.* 16. §. 5. argum. ex Cap. *Solemnitates* 1. De *conſecrat. Diſt.* 1. Quia, cum remaneat dubium ſacramentum, neſcitur, an ſit ordo collatus, & proinde non habet locum iteratio, quia, vt dicitur in dicto Cap. *Solemnitates. Nõ monſtratur eſſe iteratum, quod neſcitur factum.* Quod enim non apparet factum, dicitur non eſſe factum *l. In lege. ff.* De *contrahen. empt.*

2 Eſt tamen aduertẽdum, quod ſi certum ſit, quod omiſsum eſt, pertinere ad ſubſtantia ſacramenti, eſt abſolutè ordo iterandus, quia certũ eſt, non fuiſſe collatũ. At ſi ſolũ ſit dubiũ, eſt ſub conditione renouandus, vt de baptiſmo, quando eſt dubium, an fuerit collatus, decernitur in Cap. *De quibus*. De *baptiſmo*, & de conſecratione Eccleſiarum in dicto Cap. *Solemnitates* 1. De *conſecrat. Diſt.* 1. vbi Gloſ. *Verbo facit.* & de ipſis ordinibus. in Cap. *Præsbiteri, quos. Diſt.* 68. determinat Gregorius Papa. Nec obſtat, quod, ibi ſolum dicatur, quod ij, de quibus dubium eſt, an ſint ordinati, quod conſecrentur, nec fiat mentio de conditione apponenda. quia hic tex. declaratur per tex. Cap. *De quibus*. De *baptiſmo.* vt debeat conferri ordo ſub conditione, ſi quidem vna lex recipit declarationem ab alia. *l. Non eſt nouum. ff.* De *legib.* præſertim in caſu noſtro, in quo militat eadem ratio.

Diffi-

3 Difficultas tamen eſt, quando defectus, qui non pertinet ad ſubſtantiam ſacramenti, debeat ſuppleri. Granad. 3. *par.* Controuer. 9. *De ſacram. ordin. tract.* 2 *diſp.* 3. *num.* 3. ait, eſſe probabile, poſſe ſuppleri in quocunq. tempore, nec eſſe expectandum tempus ordinationum; quia, cum non ſit totum ſacramentum iterandum, nec repetendæ cœremoniæ ritè celebratę, ſolum, quod omiſſum fuit, repetendum eſt; vnde cum hoc non ſit celebrare ordines, ſed ſolum perficere, quod imperfectè factum eſt, poterit fieri in quocunq. tempore. & ideo in Cap. *Paſtoralis.* De *Sacramentis non iter.* ſolum dicitur, quod ſuppleatur defectus, & ſubdit, ita etiam ſentire viros doctos à ſe conſultos.

4 Sed *hæc opinio prorſus reijcienda eſt*, cum ſit contra expreſſiſſimum tex. Cap. *Præſbiter.* De *Sacram. non iterand.* vbi Põtifex Gregorius IX. decernit, quod id, quod omiſſum eſt, tẽpore determinato ad conferendos ordines ſuppleatur. ibi. *Quod ſi omiſſum fuerit, non eſt aliquatenus iterandum.* (Sacramentum) *ſed ſtatuto tempore ad huiuſmodi ordines conferẽdos cautè ſupplendum. quod per errorem extiti prætermidum.* Cum ergo determinetur à iure tempus, in quo eſt ſupplendus huiuſmodi defectus, eſt eadem ratio de ipſo, ac de collatione ordinum. Et ſicut nõ eſt vllo modo probabile, ſed omnino falsũ, quod ſi defectus eſſet quò ad ſubſtantiã ſacramenti, poſſet in quocunque tempore iterari ſacramentum, ita etiam eſt falſum, quod prædictus defectus poſſit ſuppleri, cum eodem modo ſit etiam pro ipſo tempus determinatum.

5 Vnde ſequitur, quod qui alio tempore ſuppleret, faceret contra præſcriptũ legis, nec ſeruaret formam ipſius; qui enim tempus à lege præſcriptum non ſeruat, neq. etiam ſeruat formam legis *l. Obſeruare.* §. *Poſthæc.* De *offic. proconſul.* Gam. *Deciſ. Luſit.* 337. *nu.* 4. Rebuſ. *tract. Nomin. quæſt.* 14. *num.* 6. Præſertim, quia taxatio temporis, in quo per dictum tex. ſupplendi ſunt tales defectus, excludit omne aliud tempus, cum hæc ſit natura taxationis, vt excludantur omnia, quæ non continentur ſub ipſa. *l.* Gallus. §. *Et quid ſi tantum.* ff. De *liber. & poſth.* & *l.* 2. C. De *patrib. qui filios diſtrax. et* declarat Euerar. *loco à nat. dict. taxat. n.* 2.

An is, cui collatum eſt hoſpitale in administrationem perpetuam, poſſit ad libitum diſponere de prouentibus ipſius, ſi non adſit illud genus perſonarum, pro quibus fuit inſtitutum. Quæſt. 319.

S V M M A

1 *Habenti liberam adminiſtrationem Hoſpitalis non poteſt liberè diſponere de redditibus.*
1 *Adminiſtratio non variat primæuam obligationem, cui res ſubeſt.*
1 *Quid ſit adminiſtratio.*
2 *Bona hoſpitalium in quem vſum conuertenda, quando non poſſunt in inſtitutum conuerti.*
2 *Quid, ſi hoſpitalia ſunt data in titulum perpetuum, in commendam &c.*
3 *Adminiſtrator non poteſt conuertere, quæ adminiſtrat, in alium vſum, quàm in deſtinatum.*
4 *Clauſula, cum quibus ſolet committi adminiſtratio hoſpitalis.*

1 PRocedit difficultas, quando eſt commiſſa libera adminiſtratio, an nimirum tunc ad libitum diſponere poſſit de prouentibus hoſpitalis, præſertim conuertendo in commodum proprium. Et *negatiuè reſoluendum eſt, ſed opus eſſe diſponere de prouentibus, prout de iure diſponendum eſt, quando non poſſunt conuerti in illũ ſpecialẽ vſum, pro quo hoſpitale eſt in inſtitutũ,* quia cõmiſſio adminiſtrationis non immutat primæuam naturam, nec variat obligationem, cui res adminiſtranda iam ſubeſt. Cum enim adminiſtratio ſit tractatio rei alienæ, vt deſumitur ex toto *tit.* ff. & C. De *adminiſtr. tut.* & notant Rebuſ. *l. In lege cenſoria. verbo,* Adminiſtratores. *in fine.*

ff. De *verbor. ſignif.* Menoch. *Conſil.* 451. *num.* 12. exigit, vt iuxta ſui naturam tractetur, & proinde remanet affecta adminiſtratio iiſdem obligationibus, quibus ſubeſt res adminiſtranda.

2 Bona autem hoſpitalium, & prouentus ipſorum, quando non poſſunt conuerti in ſpecificum vſum, pro quo inſtitutum eſt hoſpitale defectu perſonarum capacium talis vſus, debent conuerti in alium pium, qui proximior ſit ipſorum inſtitutioni, & vtilior pro loco, & tempore, vt diſponit Concil. Tridentin. *ſeſſ.* 25. *Cap.* 8. *De reformat.* quæ diſpoſitio habet locum etiam in hoſpitalibus, quorum adminiſtratio datur in titulum perpetuum ex declarat. Concil. Trident. *ex Biblioth. Bellar. ad dict. Cap.* Imo Concilij diſpoſitio apertè diſponit etiam de hoſpitalibus, quæ data ſunt in commendam, aut adminiſtrationem, nam præcipit, quod Cõmendatarij, & adminiſtratores ex fructibus ad id deputatis exerceant hoſpitalitatem, quam debent; & poſtea ſubdit diſpoſitionem prædictam in caſu, in quo non eſſent perſonæ illius generis, pro quo hoſpitalitas inſtituta eſt, quæ proinde afficit etiam ipſos adminiſtratores, & commendatarios, vt notat etiam Stephanus Vueims *ad* 24. *Conſtit. innou. per Trident. Conſtit.* 16 *n.* 28. *&* 29.

3 Et proinde, quod adminiſtrator nõ poſſit, quæ adminiſtrat, conuertere in alium vſum, quàm ſit deſtinatum, habetur ex *l.* 1. *&* 2. *S. Quod de frumentaria. ff.* De *adminiſt. rer. ad ciuit. pert.* & ex Clement. 2. *De religioſ. domib.* vbi Gloſ. *verbo.* Non *ad alium.* & cœteri Doctores. & notat Rota *in Valentina emolumẽtorum.* 15. *Maij.* 1598. *coram Orano.* & Deciſ. 154. *in fine. coram Ludouiſio* & *Deciſ.* 115. *n.* 13. *par.* 6. *Recent.*

4 Et hoc à fortiori procederet, ſi in conceſſione adminiſtrationis adeſſent clauſulæ, quæ erant in illa, ſuper qua cõſultus fui, nimirum *Fraternitati tuæ adminiſtrationem dicti Hoſpitali cum omnibus, & ſingulis iuribus, facultatibus, honoribus, & oneribus iuxta Conſtitutionem Concilij Viennenſis ſub fel. recordat. Clemente Papa V. prædeceſſore noſtro celebrati, quæ incipit.* Quia contingit. *ac decreta Concilij Tridentini Adminiſtratoribus ſimilium Hoſpitalium competentibus, & incumbentibus, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium ad tui vitam committimus.* Si enim adminiſtratio committitur etiam cum oneribus iuxta Conſtitutiones Clementis V. & Concilij Tridentini, profectò debent prouentus conuerti in vſus præceptos per dictas Conſtitutiones.

Quid operetur Priuilegium conceſſum aliquibus Religionibus, quod conſtitutiones faciendæ cenſeantur eo ipſo, quod fiunt, auctoritate Apoſtolica confirmatæ. Quæſt. 320.

SVMMA.

1 *Quid præſtet priuilegium, quod conſtitutiones faciendæ eo ipſo cenſeantur confirmatæ.*
1 *Confirmatio requirit conſenſum, & ſcientiam.*
2 *Deficiente ſcientia non poteſt eſſe conſenſus.*
3 *Conſenſus Papæ pro alienatione &c. non præſumitur, niſi probetur ſcientia.*
4 *Voluntas morte extinguitur.*
4 *Non entis nullæ ſunt qualitates.*
5 *Priuilegium, quod conſtitutiones faciendæ &c. eo ipſo cenſeantur confirmatæ, non confirmat ex certa ſcientia.*
5 *Confirmatio ex certa ſcientia requirit plenam notitiam.*
6 *Quomodo dictum priuilegium conferat confirmationem in forma communi.*
7 *Delegatio iuriſdictionis voluntariæ non expirat morte delegantis, et cur.*
8 *An gratia nondum acceptata expiret morte concedentis.*
9 *Confirmatio ſupponit exiſtentiam, et validitatem rei confirmandæ.*
10 *Quomodo conſtitutiones cenſeantur confirmatæ ſtante priuilegio, quod eo ipſo, quod fiunt, ſint confirmatæ.*
10 *Pontifex poteſt actum futurum fingere præſentem.*

1 SVarez *tom.* 4. *de Relig. lib.* 1. *De inſtit. Societ. Ieſu. cap.* 4. *num.* 12. *cir-*

circa med. docet, quod per huiuſmodi priuilegium, non cenſentur conſtitutiones approbatæ à Summo Pontifice, ſed tantum confirmatę. Quia approbare refertur ad intellectum, & pertinet ad clauem ſcientiæ, et ideo non poteſt fieri ſine cognitione rei approbandę. Confirmare verò refertur ad vim obligandi, & pertinet ad clauem iuriſdictionis. Concludit ergo, quod huiuſmodi priuilegiũ dat robur, & valorem conſtitutionibus eo ipſo, quod conduntur, non autem declarat, eſſe honeſtas, & vtiles, ſed ſupponit eſſe tales.

2 Hoc tamen difficultatem patitur, quia ſi conſtitutiones ex vi talis priuilegij non remanent approbatæ, quia ad approbandum requiritur ſcientia, ob eamdem rationem nec videntur manere cõfirmatæ, cum ad confirmationem quoque requiratur cognitio, confirmatio namq., cum det robur confirmato, importat conſenſum in ipſum; vbi autem ſcientia ceſſat, non poteſt induci cõſenſus *l. Mater. ff.* De *inoffic. teſtam.* cum non poſſit ignorans conſentire, ſi quidem iuxta commune Philoſophorum axioma *Nil volitum, quin præcognitum.* Et ideo ad confirmationem requiri notitiã, tradunt inter alios Alexan. *Conſil.* 9. *nu.* 7 *lib* 3. Socin. iun. *Conſil.* 56. *num.* 24. *lib.* 2. Felin. *in Cap. Sicut. nu.* 33. *De re iud.* Afflict. *Deciſ.* 107.

3 Et proinde docent Doctores, quod quando pro alienatione rerum eccleſiaſticarum requiritur conſenſus Sũmi Pontificis, non pręſumitur talis conſenſus etiam poſt ſpatium triginta annorum, niſi probetur, quod Pontifex habuerit ſcientiam talis alienationis, quia non poteſt pręſumi conſenſus, vbi non fuit notitia. Ita Bald. *in l.* 2. C. *De legit. hæred.* Crot. *in l. Sciendum. num.* 25 *ver. Tertiò fallit. ff.* De *verbor. obligat.* Felin. *in Cap. Albericus. in fine.* De *teſtib.* & *in Cap. Illud. num.* 7. De *præſumpt.* & *in Cap. Sicut. nu.* 33. *ver. Benè fateor.* De *ſent. & re iud.* Alexand. *Conſil.* 9. *num.* 7. *lib.* 3. & *Conſil.* 17. *num.* 8. *lib.* 4. Ruin. *Conſil.* 35. *lib.* 3. & *Conſil.* 23. *num.* 19. *lib.* 5. Crauet. *De antiquo temp. par.* 3. *princip. init. n.* 18. Afflict. *Deciſ.* 107 *circa finem.* Capic. *Deciſ.* 4. *num.* 29. & 30. quos ſequitur Menoch. *lib.* 3. *præſũp.* 132. *num.* 71. Ripa *lib.* 2. *Reſpon. cap.* 22. *nu.* 11. teſtans de communi. Honded. *Conſil.* 31. *num.* 35. *lib.* 2. qui alios citat. Vnde cum Summus Pontifex non habeat notitiam conſtitutionum condendarum, non videtur, quomodo poſſit illas approbare.

4 Accedit etiam, quod cum voluntas Pontificis extinguatur morte *l. Cum hic ſtatus.* §. *fin ff.* De *donat. int. vir & vxor.* & Cap. *Si gratioſè.* De *reſcrip. in* 6. & proinde nihil poſſit operari, ſi quidem non entis nullæ ſunt qualitates *l. Nec vllam.* §. *Si quis abſentis. ff.* De *petit. hæred.* & Cap. *Ad diſſoluendum.* De *deſponſat. impub.* & per alia vulgata iura, non apparet, quomodo poſſit tribuere robur aliquod confirmando conſtitutiones, quæ poſt ipſius mortem conduntur.

5 In hac difficultate illud omnino certum eſt, quod iſta confirmatio non poteſt eſſe in forma ſpecifica, cum res confirmanda non ſit nota confirmãti ſecundum ſe, & in ſpecie, proinde non poſſit confirmatio eſſe ex certa ſcientia, cũ nõ poſſit eſſe maior confirmatio, quã ſit ſcientia operantis, ſiquidem voluntas non plus vult, aut operatur, quàm proponat intellectus. confirmatio autem ex certa ſcientia requirit in confirmante plenam notitiam. iuxta Cap. 1. *De tranſact.* ibi: *Pleniſſimæ notionis &c.* vbi Gloſ. & cõmuniter Doctores in *Cap.* 1. & *in Cap. Examinata.* De *confir. vtili, vel inut.*

6 Solum ergo *poteſt habere locum confirmatio in forma communi, quatenus per huiuſmodi priuilegium conceditur facultas delegata ad confirmandas dictas conſtitutiones*, ſi quidem, cum actus confirmandi ſit actus ſuperioritatis ſupra iuriſdictionem, qua ſit actus confirmandus, non poteſt prouenire à iuriſdictione ordinaria, quia eſt ſemper inferior iuriſdictione ſuprema, ſed debet prouenire à iuriſdictione propria confirmantis, & æquante poteſtatem ipſius, quæ non poteſt eſſe, niſi delegata, quæ eſt ipſa iuriſdictio propria delegantis. *l.* 1. §. *Qui mandatam. ff.* De *offic. euis. cui eſt man. iuris.*

7 Neque obſtat, quod delegatio expiret

piret morte delegantis, nam hoc valet tantum de iuriſdictione contentioſa; ſiquidem tex. omnes, ex quibus deſumitur, delegationem expirare morte delegantis, procedunt ſolum de delegatione iuriſdictionis contentioſæ, non autem de delegatione iuriſdictionis voluntariæ ex Cap. *Si cui nulla*. De *præbend. in* 6. vbi facultas conceſſa ad cōferēda beneficia non expirat morte concedentis. Quia nimirum delegatio talis iuriſdictionis eſt per modum gratiæ, quæ cum ſit perfecta, quia fit in fauorem conceſſionarij, nō expirat morte concedentis, vt communiter docent Gloſ. *in dict. Cap. Si nulla*. *not*. 1. & *verbo*. Moriatur. *De præben. in* 6. Archidiacon. *verbo*. Secus *facienda*. Decius *in Cap. Relatum. num*. 21. *in noua edit*. De *offic. delegati*. Ancharan. *in* Cap. Si *ſuper gratia. num*. 1. De *offic. Deleg. in* 6. Abbas *in Cap. Quoniam. num*. 12. De *offic. deleg*. Beroius *ibid*. Bald. *in l. fin. n*. 3. ver. *Sed pone Princeps. ff*. De *conſtit. Princip. in* 1. *Lectura*. Hieronim. Paulus *in Pract*. Cancellar. Tit. *Declar. ſuper propon. &c*. ver. *Præſtantiſſime doctor*. Gutierez *lib*. 1. *quæſt. Canon*. Cap. 15. *num*. 24. Rebuf. *in Concor*. Tit. *De mand. Apoſt*. §. 1. verbo. *Sui Pontificatus*. ver. *Licet quidā*. Nauar. *Conſil*. 2. *num*. 1. *De offic. deleg. in* 1. *edit*. & *Conſil*. 1. *num*. 1. *De priuileg*. Syluester *verbo*. Gratia. *quæſt*. 2. Sayr. *lib*. 7. *de cenſur. Cap*. 14. *n*. 6.

8 Imo non pauci hoc extendunt etiā ad gratiam nondum acceptatam tempore mortis ipſius concedentis, dūmodo tamen abſolutè conceſſa ſit. Ita Dominic. cum Lappo *in Cap. Si ſuper gratia*. *num*. 5. De *offic. deleg. in* 6. Franc. *num*. 2. Portius *Conſil*. 157. *num*. 3. Suarez *lib*. 8. *De legib cap*. 31. *num*. 21. Sanchez *lib*. 8. *de matrim. diſp*. 23. *num*. 43. Merol. *tom*. 2. *theol. moral. diſp*. 4. *cap*. 6. *num*. 490 ver. *Amplıatur verò*. Quia cum gratia dependeat ſolum à voluntate concedentis, & poteſtate, poſita ſemel poteſtate, & voluntate iam ſubſtitit, & facta cenſetur, quamuis non ſit acceptata.

9 Verum, quia huiuſmodi priuilegiū non dat facultatem confirmandi Cōſtitutiones, in quo caſu requireretur ſpecialis actus, quo conſtitutiones iam conditæ confirmarentur, quia quod nondum eſt, non poteſt confirmari, ſi quidem cōfirmatio ſupponit exiſtentiam, & validitatem rei confirmandæ, vt notant Menoch. *Conſil*. 351. *num*. 19. Surd. *Deciſ*. 53. *num*. 11. & *De alim. tit*. 8. *priuileg*. 22. *num*. 34. Molina *de Primogenit. lib*. 2. *cap*. 7. *n*. 7 Rota *Deciſ*. 11. *num*. 3. *apud Farinac. par*. 2. *Recent*. Sed dirigitur per ſe primo ad ipſas conſtitutiones, ad quas immediatè refertur, exercendo circa ipſas actum confirmationis; ideo adhuc vrget difficultas, quomodo hoc priuilegium ſortiri poſſit aliquem effectum, cum voluntas Pontificis non ſe extendat ad tempus, in quo condendę ſunt conſtitutiones.

10 Igitur ſolum remanet, quod dictæ Conſtitutiones eo ipſo, quod fiunt cenſeantur confirmatæ per fictionem iuris, ita vt ex vi dicti priuilegij concedatur iuris formentū pro ipſis, & obliget omnes, ad quos ſpectat, habere ipſas tanquam pro confirmatis ab Apoſtolica Sede, & iudicare de ipſis non ſecus, ac ſi eſſent confirmatæ. Cum enim poſſit Pontifex actum futurum fingere præſentem, & et vt talem irritare Cap. *Si motu proprio*. De *præben. in* 6. & Clement. *Paſtoralis. in fine*. De *re iud*. & notant Abbas *in Cap. Dilectis. num* 14. De *præben*. Felin. *in Cap. Cū acceſſiſſent. num*. 7. De *conſtit*. Oldrad. Cōſil. 319. *num*. 3. Caſſodor. *Deciſ*. 12. *n*. 4. *Ad Reg. Cancellar*. Gomez *ad Regul. de annal. quæſt*. 4. ver. *Nam decretum*. poterit etiam cōſtitutiones futuras fingere præſentes, & tribuere ipſis robur, & aſſiſtētiam propriæ auctoritatis, ita vt, quando fiunt, debeant haberi tanquam auctoritate Pontificia roboratæ, & conſeruatæ.

An prohibitio, quod nemo abſque licentia Ordinarij celebret in Eccleſijs Monialium, afficiat Epiſcopos alterius Diœceſis. Quæſt. 321.

S V M M A

1 *Aduena non ſunt de ſpeciali iuriſdictione loci*.

Epi-

2 *Epiſcopus poteſt, vt libuerit, decernere circa Eccleſias Monialium ſibi ſubiectarum.*
3 *Epiſcopus extra propriam diœceſim poteſt celebrare in Eccleſijs Monialium non obſtãte probibitione &c.*
3 *Epiſcopi ſunt ſpeciali nota digni.*
3 *Sunt Chriſti legati. Patres ſpirituales. Fratres Pontificis. Columna Eccleſia. Perſona egregiæ &c.*
4 *In generali probibitione non veniunt, quæ quis in ſpecie non eſſet probibiturus.*
4 *Argumentum à ſimili ad ſimile valet.*
5 *Sub diſpoſitione odioſa Summi Pontificis non comprehenduntur Cardinales, niſi exprimantur.*
5 *Valet argumentum à minori ad maius.*
5 *Sub probibitione Epiſcopi non comprehenduntur alij Epiſcopi.*
6 *In Epiſcopis ceſſat ratio finalis probibitionis celebrandi in Eccleſijs Monialium.*
7 *An probibitio alloquendi Moniales cõprebẽdat Epiſcopos alterius diœceſis.*
7 *Probitio alloquendi Moniales eſt de iure communi.*

---

1 QVamuis aduenæ non teneantur legibus loci, vt quam plures tradunt, Quos citaui in Praxi *Ieiunij*. *Deciſ.* 201. *num.* 4. & Deciſ. 203. *num.* 3. & aduenę non ſint de iuriſdictione ſpeciali illius loci, vt deſumitur ex *l. Debitor. ff.* De *pignor. & hypoth.* & Cap. *Licet*. *De foro Competenti*, & notant Gloſ. *in Cap. Qui contra. verbo.* Peregrini. *Diſt.* 8. niſi ex aliquo ſpeciali capite contrahant ſubiectionem. Hoc tamen nihil iuuat in præſenti caſu, quia non ſumus in lege, ſeu prohibitione, quæ dirigatur ad perſonas, & proinde requirat in ipſis ſubiectionem, vt effectum ſuum ſortiatur, ſed ſumus in diſpoſitione concernente conceſſionem vſus Eccleſiæ in ordine ad celebrandum.

2 Vnde cum dictæ Eccleſiæ Monialium ſubſint diſpoſitioni Ordinarij, quarum eſt moderator, poteſt de ipſis diſponere, vt libuerit *l. In traditionibus. ff.* De *pactis.* & *l. In re mandata. C. Mandati.* Et cum Moniales ſubſint ipſius iuriſdictioni, poteſt ipſis prohibere, ne concedant vſum Eccleſiarum in ordine ad celebrãdũ alicui, cui ipſi facultatem non conceſſerit, præſertim cum talis prohibitio reſpiciat bonum regimen.

3 Hoc tamen non obſtante, tenendũ eſt; *Poſſe non obſtante prædicta prohibitione Epiſcopum alterius Diœceſis celebrare in Eccleſijs Monialium abſque licentia Ordinarij*, nec dictam prohibitionem afficere Moniales, vt non concedant vſum ſuarũ Eccleſiarũ cuicunq. Epiſcopo volenti celebrare. Ratio eſt. Quia ſunt ſpeciali nota digni, nam, vt Clement. 1. *§. Nec ſuper.* De *pœnis* habetur, dicũtur *ſãctiſſimi, Chriſti legati exiſtunt, ſpirituales ſunt patres, noſtriq. Fratres* (nempe Põtificis) *& coepiſcopi, columna comprobantur Eccleſia.* Et habent præeminentiam dignitatis. *ibid.* & ſunt perſonę egregię. Gloſ. & DD. *in l. Ad egregias. ff.* De *iure. iur.* Et ideo cum non exprimantur in ſpecie, non cenſetur prohibitio facta Monialibus eſſe in ordine ad ipſos.

4 Et facit regula. Quod ſicut in generali conceſſione non veniunt, quę quis in ſpecie nõ eſſet veriſimiliter cõceſſuros. Cap. *In generali.* De *reg. iur. in* 6. ita etiã nec in generali prohibitione veniũt, quæ non eſſet quis in ſpecie prohibiturus. valet enim argumentum à ſimili ad ſimile, vt notant Euetar. *in Topica loco* 10. Andr. Gammar. *in Dialect. legali lib.* 2. *loco à Simili*. Pacian. *de probat. lib.* 2. *cap.* 13. *n.* 10. Maſcar. *de Probat. concluſ.* 1253. *num.* 4. & communiter. quia de ſimilibus eſtidẽ iudicium *l. Non poſſunt*, & *l. ſequenti. ff.* De *legib.* Eſt autem ſimilis imo eadem ratio de prohibitione, & conceſſione, quia vtraq. dependet ab intentione concedẽdentis, & prohibentis, nec extenditur vltra terminos eiuſdem intentionis. Non eſt autem veriſimile, quod ordinarius in ſpecie prohibeter, ne Moniales admittãt Epiſcopos ad celebrandum in proprijs Eccleſijs.

5 Facit etiam communis doctrina, quod ſub diſpoſitione odioſa ſummi Põtificis non comprehenduntur Cardinales, niſi de ipſis fiat ſpecialis mentio, vt tradunt Io. And. *in Cap.* 1. *De ſchiſmaticis. in* 6. Monach. Geminian. *ibid.* per illum text. Abbas *in Cap.* 1. *init.* De *exceſſib. prælat.* Oldrad. *Conſil.* 293. Barbatia *Conſil.* 23. *dub.* 3. *num.* 7. *vol.* 1. & *De*

præſt.

praſt. Card. par. 1. quæſt. 7. Iaſ. *Conſil.* 117. *vol.* 3. Roman. *Conſil.* 498. Ancharan. *Conſil.* 295. *num.* 5. Gomez *ad Reg. Cancel. De idiom. quæſt.* 3. & *Reg. De valore. q.* 1. teſtans de communi. Mandoſ. *Reg.* 19. *De infirmis. qu.* 2. Milis *in Repert.* verbo. *Cardinalis.* ver *Cardinalis non includitur.* Gigas *De penſion. q.* 9. *num.* 7. & *quæſt.* 59. *nu.* 13. & 14. aſſerens de communi. Bellencin. *De charitat. ſubſid. q.* 66. Rebuſ. *in Concor. Rubr. de Collat. §. Si quis verò.* verbo. *Cardinalatus.* Azor. *par.* 1. *lib.* 5. *c.* 11. *quæſt.* 5. Quod ſaltem valet, quando id, quod prohibetur non eſt iure naturali prohibitum iuxta limitationem Dominici. *in Cap. Nemo deinceps.* De *elect. in* 6. & Felin. *in Cap. Quod ſuper his. nu.* 12. De *fide inſtrum.* Vnde ſi diſpoſitiones Pontificiæ non comprehendunt Cardinales ob eminentiam perſonarum, niſi ſpecialiter exprimantur, à fortiori dicta prohibitio non erit in ordine ad Epiſcopos, cũ ſint æquales in dignitate, & gradu ipſi prohibenti; valet enim argumentum à minori ad maius Authen. *Multò magis.* C. De *ſacroſant Eccleſ.* & notat Euerar. *in Top. iur. loco* 65.

6 Denique cum dicta prohibitio ſit inſtituta ob vitãda inconuenientia, quæ contingere poſſent in præiudicium diſciplinæ monialium, ſi quemlibet indifferenter poſſent admittere ad celebrãdum in proprijs Eccleſijs, ceſſat cauſa, & ratio finalis adæquata prohibitionis in perſona Epiſcoporum, ad quos non ſe extendit, quia qualitas perſonę pręſumitur talis, vt nullum poſſit detrimentum afferre religioſæ diſciplinæ monialium; & ideo debet etiam ceſſare prohibitio, ita vt non extendatur in ordine ad ipſos. *l. In omni. ff.* De *adopt.* & *l. Adigere. §. Quamuis. ff.* De *iure patr.*

7 Et ſi obijciatur, quod prohibitio alloquendi Moniales comprehendit etiam Epiſcopos, vt docent Gratian. *Diſcept. forenſ. cap.* 392. *num.* 1. Tamburinus *De iure Abbatiſſ. diſp.* 25. *quæſito.* 2. *num.* 4. citans Abbatem *in Cap. Monaſteria. num.* 3. De *vita & honeſt. Cleric.* Lezana *in Sum. verbo.* Monialis. *num.* 17. Pellizzarius *de Monialib. cap.* 5. *ſect.* 5. *num.* 210. Quod etiam declarauit S. Congregatio *apud Nouar. in Sum. Bullar. verbo.* Clauſura, *& Acceſſus. nu.* 10. Reſp. Eſſe diuerſam rationem de prohibitione huiuſmodi, ac de prohibitione celebrandi in Eccleſijs Monialiũ; quia prohibitio accedẽdi ad monaſteria ad colloquẽdum cum Monialibus eſt de iure communi ex Cap. *Periculoſo.* De *Statu Regular. in* 6. ibi. *Nullique aliquatenus inhoneſtæ perſonæ, nec etiam honeſtæ (niſi rationabilis, ac manifeſta cauſa exiſtat, ac de illius, ad quem pertinuerit ſpeciali licentia) ingreſſus, vel acceſſus pateat ad eaſdẽ.* Et cum ſit generalis comprehendit omnes, qui ſub generali conſtitutione Pontificia comprehenduntur, atque adeo etiam Epiſcopos, ſi quidem ipſi quoque afficiuntur generalibus cõſtitutionibus. At prohibitio celebrandi in Eccleſijs Monialium eſt ſpecialis facta ab Epiſcopo, & ideo habet in ipſa locũ interpretatio, quod non comprehendat Epiſcopos. Quamquam ex Graſ. *lib.* 2. *de caſib. reſer. cap.* 5. *num.* 27. *&* 54. exiſtimet Diana. *p.* 3. *tra.* 2. *Reſol.* 48. ver. *Nota quinto. in fine.* poſſe Epiſcopos loqui cum Monialibus abſque Ordinariorum licentia teſtans etiam de praxi.

An occidens bannitum, & occultans, vt interim alium occidat, & poſtea per præſentationem capitis banniti veniam obtineat, fruatur beneficio indulti. Quæſt. 322.

S V M M A.

1 *Banniti hoſtes patriæ.*
1 *Occidenti bannitum præmium ſolet proponi.*
2 *Occidens bannitum, & poſtea delinquens, non obtinet veniam delicti, etiam ſi producat occiſionem.*
2 *Venia promiſſa occidenti bannitum reſpicit delicta commiſſa ante occiſionem.*
3 *Delinquens ſub ſpe indulti debet puniri.*
4 *Delinquens poſt publicationem indulti in fauorem occidentis bannitum, non gaudet indulto.*

Quia

1 QVia banniti ſunt inimici patriæ, & hoſtes improbi ciuitatis. *l.* 3. *§. Trāſfugas. ff.* Ad *leg. Cornel. De ſicar.* & *l. Amiſſione. §. Qui deficiunt. ff.* De *cap. dimin.* intereſt Reipubl. vt è medio tollantur, & proinde non ſolum concedi ſolet, vt impunè occidi poſſint, verum etiam, vt occidentes obtineāt remiſſionem alicuius delicti, vel pro ſe, vel pro alio iuxta. *l.* Non *omnes.* §. *fin. ff.* De *re milit.* ibi. *Qui transfugit, & poſtea latrones apprehendit, & transfugas demonſtrauit, poſſe ei parci,* D. *Adrianus reſcripſit*, & notat Bald. *in l.* 3. *§. fin. ff.* De *condit. ob tur. cau.*

2 At *venia prædicta non gaudere eum, qui occidit bannitum, & poſtea commiſit delictum, ex intentione, vt producendo dictam occiſionem indulgentiam delicti obtineret, ita vt dedita opera diſtulerit proferre, vt interim delinqueret, reſoluendum eſt.* Ratio autem eſt, quia quando occidentibus bannitos promittitur venia, & relaxatio alicuius delicti, intelligitur de relaxatione, & venia quò ad delicta iā perpetrata, nō autē còceditur, quod qui occiderit bānitū, poſſit impunè aliquod delictum perpetratre; quia gratia, & indultū non ſe extendit ad delicta futura, alioquin aperiretur via delictis, & quod propter bonum publicum concederetur, verteretur in ruinam ipſius, vt notant communiter, & inter alios Bart. *in l. Cum lex. ff.* De *legib.* Salycet. *in l.* 2. *C.* De *gener. abol.* per eundem text. Iacob. Butrigar. *in l. Caſtitati. C.* Ad *leg. Iul. de adult.* Imola. *in Cap fin. num.* 11. De *conſtit.* Angel. *Conſil.* 62. *dub.* 2. Alber. *in vlt. par. ſtat. quæſt.* 56. Bonacoſ. *Com. opin. crimin.* verbo *Gratiæ facta.* Nel. *de Bannit.* 3. *p.* 2. *temp. qu.* 10. *nu.* 38. Borel. De *preſt. reg. cap.* 38. *num.* 11. Farinac. *qu.* 6. *De inquiſit. nu.* 57. Clar. *in Practica quæſt.* 59. *nu.* 10. vbi Baiar. *nu.* 95. Vnde cum dictus occiſor banniti prius occiderit, & poſtea deliquerit, vſus eſt gratia principis pro futuro delicto, atque adeo non poteſt ipſi ſuffragari, quia eſt contra naturam indulti, & intentionem principis, quod foueantur delicta.

3 Accedit etiam, quod, qui delinquit etiam ante aſſequutionē gratiæ, vel publicationem indulti, ſub ſpe tamen gratiæ, & indulti, debet adhuc non obſtante gratia, & indulto puniri. Cap. *Quando.* 1. De *conſecrat. Diſt.* 4. & Cap. *Illud.* De *cler. excommun. miniſ. l.* 1. *§.* 1. *ff.* Si is, *qui teſt. lib. es. ius. fuer.* & notant Bart. *ibid.* Guillelmus de Benedict. *in Cap. Raynutius. verbo.* Mortuo *itaque teſtatore. n.* 115. De *teſtam.* Maſtril. *Ad indul. gener. cap.* 6. *nu.* 6. Menoch. *lib.* 5. *præſumpt.* 10. *nu.* 4. 5. & 12. Cum ergo quis occidit bannitum, & poſtea delinquit ſub ſpe veniæ, & indulti ob dictam occiſionem, non debet reportare veniam, ſed debet puniri non ſecus, ac ſi non occidiſſet bannitum.

4 Et in hanc reſolutionem à fortiori conſentiunt ij, qui docent, quod delinquens poſt publicationem banni, in quo conceditur indultum pro aliquo delicto, ſi bannitum occidat, non gaudet dicto indulto, quia nūquam intendit Princeps in conceſſione indultorum comprehendere, eos, qui poſt dictam conceſsionem delinquūt. ita Proſper Carauita *ad Pragmat.* 1. *De exulib. num.* 100. Vincent. de Franchis. *Deciſ.* 360. *num.* 1. & *Deciſ.* 468. aſſerens, ſic iudicatum fuiſſe in S. Conciſtorio Neapol. quos ſequitur Maſtril. *ad gener. Indul. cap.* 6. *num.* 12.

An, qui moritur incœpta cauſa, ſed nondum ſequuta ſententia, poſſit damnari, quia cum dolo exegerit à Monte pietatis notabilem ſummam pecuniæ ſupra depoſitatam. Quæſt. 323.

S V M M A

1 *Per mortem rei delictum diſſoluitur, nec tranſit ad hæredes quò ad pœnam.*
2 *Pœna corporis morte finitur.*
2 *Homo mortuus non eſt homo.*
3 *Hæres quò ad hæreditatem tenetur pro delicto defuncti.*
4 *Delinquens, & bona ipſius remanent obligata non ſolum parti offenſæ, ſed etiam reipublicæ.*
4 *Bona delinquentis tranſeunt cum hoc onere ad hæredes.*
5 *Hæres non tenetur ex delicto defuncti ſupra vires*

vires hæreditatis, ſi conficit inuentarium.
6 *Lite conteſtata hæres de iure ciuili tenetur ex delicto defuncti iuxta vires hæreditatis.*
7 *Quid ſignificet dictio,* Cœteris.
7 *Dictio,* Reliqua, *comprehendit omnia, præter excepta.*
7 *Quid importet dictio,* Alius.
7 *Repetit ſimilitudinem in qualitate, & ſubſtantia.*
8 *Text.* l. Ex iudiciorum. *ff.* De accuſat. *explicatur.*
8 *Non præſumitur, legem ſeipſam in continenti corrigere; imo correctio ſemper vitanda.*
9 *Pœna exigitur ab hærede pro defuncto, ſi præceſſit aliquid æquipollens ſententiæ.*
10 *Sufficit etiam litis conteſtatio.*
11 *Bona ſunt acceſſoria perſonæ.*
12 *Sublato principali non tollitur acceſſorium in criminalibus.*
12 *Doctores pro noſtra ſententia.*
13 *Quando per mortem rei ſoluatur iudicium.*
14 *Actiones ſemel in iudicio inductæ, nec morte, nec tempore pereunt.*
14 *Quomodo hæres non teneatur delicto defuncti, & actio delicti non tranſeat ad ipſum.*

---

1 NEgatiuè videtur reſpondendum quia per mortem rei iudicium diſſoluitur. *l. In ſenatuſconſult. §. Si propter mortem. ff.* Ad *Senatuſconſul. Turpil.* nec delictum etiam quò ad pœnam tranſit ad hæredes. *l. Sicuti pœna. & l. Pupillum. §. In hæredem. ff.* De *reg. iuris.* & notant Decius. *ibid.* Gigas *de crim. læſæ maieſt. lib.* 1. Tit. *Qualiter in crim. læſæ maieſ. q.* 20. *num.* 21. Aret. *in* §. *Pœnæ.* Inſtit. De *perpet. & temp. act.* Duen. *reg.* 13. *& reg.* 137.

2 Et quidem non poſſe puniri pœna perſonali certum eſt, quia pœna corporis finitur morte delinquentis. *l.* 3. & *l. Defuncto. ff.* De *pub. iud.* & *l. Crimen. ff.* De *pœnis.* & *l. fin.* C. Si *reus, vel accuſ. mor. fuer.* & notant Cin. *in l.* 2. *C.* Qui *teſtam. facere poſſ.* Alex. *ibid.* Bal. *in l. vnic. col.* 2. C. Ex *delict. defunc.* Angel. *ibid.* Quia cum homo mortuus non ſentiat, non eſt capax pœnæ corporalis, imo nec etiam eſt amplius homo. *l.* Si *homo mortuus. ff.* De *verbor. obligat.* & *l. Seruo manumiſſo. ff.* De *condit. indeb.* & *l.* Falſus. C. De *furt.* & ideo ſubtrahitur iudicio humano, atque adeo etiam pœnis infligendis per ipſum. Nec ſumus in caſu, in quo iura aliquid decernant contra cadauer.

3 Quod autem ſpectat ad pœnam, ſeu mulctam in bonis, ſi cauſa terminanda eſt ſecundum ius canonicum, reſpondetur, *poſſe condemnari in bonis in præiudicium hæredũ*, ita vt pœna debita delicto tranſeat ad hæredes, quia de iure canonico hæres tenetur pro delicto defuncti Cap. *In litteris.* De *reptor.* & Cap. *Parochiano.* De *ſepulturis.* & Cap. Si *Epiſcopum.* 16. *quæſt.* 6. vbi Gloſ. *verbo. Reddantur.* & in dict. *Cap. Parochiano.* & *in Sum. Cauſæ* 24. *qu* 2. & *in Cap. Eccleſia.* §. *Item peccato. verbo.* Conquiſita. *quæſt.* 4. Archidiacon. *ibid.* Butrius *in Cap. Quod Clericis:* De *foro compet.* Iaſ. *in l.* Si *eum.* §. *Qui iniuriarum. num.* 5. *ff.* Si *quis caut. etc.* Bald. *in l. vnicam.* C. Ex *delict. defunc.* Federicus de Senis. *Conſil.* 21. Rodericus Suarez. *allegat.* 26. *dub.* 2. Vaſquius *lib.* 3. *controuer. illus. cap.* 96. *num.* 27. ver. *Sexta limitatio.* Bart. *tract.* De *different. iur. ciuil. & can. n.* 178. Baptiſta à S. Blaſio *eodem trac. n.* 54.

4 Ratio autem eſt, quia delinquens remanet in conſcientia obligatus ad ſatisfactionem exhibendam nõ ſolum parti offenſæ, ſed etiam reipublicę, cui remanet obligatus ratione iuſtitiæ legalis ad ſoluendam debitam pœnam, quotieſcũque ab illa exigitur, & non ſolum perſona remanet obligata ratione delicti, ſed etiam bona ipſius, ita vt ex ipſis poſſit deſumi per mulctam, quicquid requiritur ab congruam ſatisfactionem. Vnde cum res tranſeat cum ſuo onere. *l. Is cui opus. ff* De *noui oper. nunc.* & *l. Si conuenerit.* §. *Si fundus. ff.* De *pignor. act.* & Cap. *Ex litteris.* De *pignoribus.* & Cap. *Paſtoralis.* De *decimis.* bona delinquentis tranſeunt ad hæredes cum huiuſmodi obligatione, cum ſit onus reale, ſi quidem ipſa obligata manent pro ſatisfactione, ſicuti obligata manent etiam apud hæredes, quando defunctus tenebatur reſtituere. Cum ergo ius canonicum regat etiam conſcientiam, reſpicit etiã ad obligationem, quæ ſolam conſcientiam afficit, & ideo, quamuis non ſit intentata, actio contra defunctum ratione delicti

proce-

procedit contra hæredes, quia dum obtinent bona delinquentis obnoxia ſatisfactioni, tenentur ratione ipſorum in cõſcientia ad ſatisfaciendum.

5 Hinc autem fit, quod hæredes non teneantur ex delicto defuncti ſupra vires hæreditatis, ſed poſſit ab ipſis exigi ſolū ea pœna, quam patitur hæreditas, vt habetur ex Cap. *In Litteris*. De *raptor*. & notat Gloſ. *ibid.* verbo. *Iuxta facultates*. Ancharan. *num.* 5. Bart. *in Rub. ff.* De *acquir. hæred.* Bald. *ibid.* Quod tamen intelligitur iuxta præfatos Doctores, ſi hæres confecerit inuentarium, nam ſi non confecerit inuentarium, tenetur in ſolidum iuxta *l. Sancimus. §. Sin autem.* & *§. ſequen.* C. De iure delib. Sed ſolum in foro externo propter præſumptionem; nam in foro conſcientiæ non tenetur vltra id, quod ex hęreditate percepit, quia in ipſo attenditur ſolum veritas rei.

6 De iure autem ciuili vt hæredes teneantur ad ſoluendam pœnam de hæreditate ob delictum defuncti, requiritur, quod lis contra ipſum conteſtata fuerit, nam tunc poteſt deueniri ad ſententiam, & hæredes tenebūtur ad pœnam ſecundum vires hæreditatis. *l. Omnes.* ibi. *Omnes pœnales actiones poſt litem inchoatam ad hæredes tranſeunt.* & *l Sciendum.* ibi. *Sciendum eſt ex omnibus cauſis lites conteſtatas, & in hæredem, ſimileſque perſonas tranſire. ff.* De *actionib. & obligat.* & *l. Ex iudiciorum. ff.* De *accuſat.* ibi. *Ex cæteris verò delictis* (vltra delictum repetundarum, & maieſtatis) *pœna incipere ab hærede ita demum poteſt, ſi viuo reo accuſatio mota eſt, licet non fuit condemnatio ſequuta.* vbi Gloſ. *verbo. Pœnæ.* & *in fine*.

7 Nec dici poteſt, quod intelligatur de cæteris delictis priuatis, non autem de publicis, quia dictio, *cæteris*, ſignificat, *reliqua*, vt in *l. Quæſitum. §. Idem reſpondet. ff.* De *fun. inſtruc. leg.* & *l. Cæterum. ff.* De *verbor. ſignificat.* & notat Gratus *de Dictio*n. verbo. *Cæterum.* Dictio autē. *Reliqua* comprehendit omnia præter excepta, vt notat Menoch. *Conſ.* 1020. *n.* 39. atque adeo non ſolum priuata, ſed etiam publica delicta. Rurſus, quando lex dicit. *Ex cæteris verò delict.s.* idem eſt, ac ſi diceret, *Ex alijs verò omnibus delictis, præter delictum maieſtatis, & repetundarum &c.* cum enim in his duobus delictis diſponat, quod etiam lite non conteſtata poſſit inſtitui actio contra hæredes, alia delicta ab his contradiſtinguit, quod in his non poſſit contra hæredes inſtitui actio, ſed ſolum pœna ad ipſos deriuet, ſi ante mortem deliquentis lis conteſtata ſit, ſeu inſtituta accuſatio. Vnde dictio, *Cæteris*, ſtat pro dictione, *Alijs*, & importat alia delicta, quæ non ſint maieſtatis, aut repetundarum. Dictio autem. *Aliis*, importat ſimilia præcedentibus, de quibus facta eſt mentio, ita vt repetat eaſdem qualitates. *l. Quidam relegatus. ff.* De *reb. dub.* & *l.* 3. C. De *ſeruis fugit.* vbi Gloſ. & Cap. *Sedes.* De *reſcript.* vbi Gloſ. *verbo. Alio quocunque modo.* imo non ſolum repetit eamdem qualitatem, ſed etiā ſimilitudinē in ſubſtantia, vt notant Felin. *in dict. cap. Sedes. num.* 6. ver. *Dictio, Alius.* De *reſcript.* Alexan. *Conſil.* 1. *nu.* 10. *lib.* 4. Ancharan. *Conſil.* 361. *nu.* 5. Socin. ſen. *Conſ.* 300. ver. *Tertio principaliter. lib.* 2 Honded. *Conſ.* 7. *n.* 11. *lib.* 2. Surd. *Conſ.* 21. *num.* 13. & 14. *lib.* 1. Cened. *Sing.* 4. *nu.* 8. Rota *Decif.* 839 *num.* 2. *De reſcrip. in Antiquis.* & *Decif.* 663. *num.* 8. & *Decif.* 327. *num.* 7. *par.* 1. *Recent. apud Farinac.* Vnde cum delicta maieſtatis, & repetundarū ſint publica, dictio *Cæteris* refertur etiam ad delicta publica.

8 Neque obſtat, quod init. dictæ legis habeatur. *Ex iudiciorum publicorum admiſſis non aliàs tranſeunt aduerſus hæredes pœnæ bonorum ademptionis, quàm ſi lis conteſtata, & condemnatio fuerit ſequuta.* & proinde videtur requiri, quod præceſſerit ſententia condemnationis. nā Reſp. quod non poteſt intelligi, quod præceſſerit ſententia condēnationis ante mortem delinquētis, quia in fine dictæ legis illam excludit, ibi. *Si viuo reo accuſatio mota eſt, licet non fuerit condemnatio ſequuta.* Vnde non eſt præſumendū, quod lex ſtatim, & in continenti ſeipſam corrigat. *l. Cum hic ſtatus. §.* 1. C. De *donat. inter vir. & uxor.* & *l. Præcipimus. in fine.* C. De *appellat.* Imo ſemper vitanda eſt cor-

correctio quoad fieri poteſt. *l. Si quando*, C. De *inoffic. teſt.* & Cap. 1. *De noui oper. nun.* & Cap. *Cum expediat*. De *elect.* in 6. & paſſim inculcant Doctores. Quare ad vitandam contrarietatem, debet intelligi de condemnatione ſequuta poſt mortem, quia cum hæredes poſſint proſequi cauſam defuncti, poſſunt etiam obtinere abſolutionem ipſius in iudicio, & ideo non tenebuntur ad pœnam, niſi ſequatur condemnatio, & ob hanc cauſam lex requirit, quod ſequatur condemnatio, vt pœnæ tranſeat ad hæredes, vt verò iudicium proſequi poſſit, ſufficit, ſi accuſatio ſit inſtituta, vt decernitur in fine eiuſdem legis.

9 Et ſi rurſus obijcias, ſupradicta habere locum, quando licet non ſit ſequuta condemnatio, adeſt tamen aliquid æquipollens, quod trahit ſecum cōdemnationem, vt quando adeſt confeſſio ſolemnis in iudicio, nam poteſt ex bonis defuncti exigi pœna, vt notant Specul. *Tit. De accuſat.* §. 1. ver. *Quid ſolutio*. Bart. *in l.* 1. *ff. De pœna delict.* Angel. *in l. vnicam.* ver. *Quid autem ſi reus*. C. Ex *delicto defunc.* Vaſquius *lib.* 3. *Controuer. illus. cap.* 96. *num.* 19. cum Gloſ. *in l.* 1. §. 1. *ff.* Si *ex nox. cau. aga.* Aut ſi ſit concluſum in cauſa, & liquidè probatum delictum, vt notant Bald. *in dict. l. vnicam*. C. Ex *delicto defunc.* Vaſquius *citat.* quia tūc ſententia veluti retrotrahitur argum. ex *l. Denique.* §. 1. *ff.* De *minor.* Alioquin cum per mortem delinquēs ſubtrahatur iudicio hominū, & tranſeat ad tribunal Dei, niſi ſaltem concluſum ſit in cauſa, non poſſunt contra ipſum proſequi actiones iudiciales, alioquin procederetur contra non ſubditum, & extenderetur iuriſdictio extra proprios limites.

10 Reſp. licet, quando interuenit aliquid æquipollens ſententiæ, vt eſt cōfeſſio ſolemnis, aut quando eſt concluſum in cauſa, pœna tranſeat ad hæredes, vt volunt citati Doctores, hoc tamen non eſt neceſſarium, ſed ſufficit conteſtatio litis præmiſſa, nec aliud requiritur, vt cōſtat ex teſtib. *num.* 6. allatis, & etiam *ex* §. *Non autem* - *in fin*. Inſtit. *De perpet. & tempor. act.* & ex *l. vnica. Poſt litis*. C. Ex *delictis defunc.* Vnde nec nos aliud requirere debemus. Nec officit, quod reus per mortem ſubtrahatur iudicio hominum, & ſiſtatur iudicio Dei, nam cum ſemel ſubiectus fuerit iudicio per litis conteſtationem, qua mediante iudex acquirit ius ad procedendum, per mortem ſubtrahitur ſolum quò ad perſonam, non autem quò ad bona, quæ relinquit poſt ſe, quæ adhuc ſubiecta manent iudicio.

11 Et ſi dicas, quod bona ſunt acceſſoria perſonæ. Authen. *Ingreſſi*. *C.* De *ſacroſanc. Eccl.* & l. Si *adoptauero*. *ff.* De *precario*, & ideo ſi ſubtrahitur iudicio ipſa perſona, debent etiam ſubtrahi bona, quia ſublato principali, tollitur acceſſorium. Reſp. Hanc regulam, quod principali ſublato tollatur acceſſorium, non habere locum in criminalibus. vt notat Bald. *in l. Tranſigere. in fine*. C. De *tranſact.* argum. ex *l. Denunciaſſe.* §. *Quæritur. ff.* De *adulter.* & *in l. Athletas. ff.* De *falſ.* & ſequitur Ferdinan. Vaſquez *lib.* 3. *Controuer. illus. cap.* 96. *num.* 17. & ideo licet perſona ſubtrahatur iudicio, non tamen ſubtrahuntur bona. Deinde per mortem perſona nō ſubtrahitur iudicio, ſicut nec etiam ſubtrahitur abſens, quia ſufficit, quod per accuſationem ſiſtatur, nam tunc fictione iuris habetur pro præſenti; ſed ſolum ſubtrahitur quò ad pœnam perſonalem, quia amplius in perſona puniri non poteſt.

12 Et ideo quod etiam de iure ciuili poſita litis conteſtatione poſſit procedi contra hæredes quò ad pœnam in bonis defunctorum tradunt Cin. Bart. Bald. Angel. Salycet. Caſtrenſ. Fulgoſ. Cuiac. & alij *in dict. l. vnicam*. C. Ex *delictis defunc.* Boer. *Deciſ.* 64. Socin. *Reg.* 491. *Fallent.* 3. Gomez *to.* 3. *Variar. c.* 1. *n.* 84. Couarruu. *lib.* 3. *Variar. c.* 3. *num.* 3. Rodericus Suarez *alleg.* 26. *dub.* 2. Enenchel. *De priuil. lib.* 3. *cap.* 2. *num.* 28. Myſing. *Centur.* 1. Obſeruat. 85. *reſ* 7. *num.* 35. & *reſpon.* ſi *n.* 22. Mandel. *Conſil.* 90. *per totum*. Harpprect. §. *Hæc actio. n.* 67. *in fine*. Inſtit. *De iniur.* Mundius *De diffamat. c.* 7. *nu.* 49.

13 Neque vrgent, quæ in oppoſitū *num.* 1. allata ſunt. nam in illa *l.* Senatus *conſul.* §. *Si propter mortem*. *ff.* Ad *Turpil. lian.*

han. ſicut etiam. *in l. Si is, quem. C. Si reus, vel accus. mor. fuer.* dicitur cum morte rei ſolui iudicium, & extingui crimen, quando accuſatio eſt ſolum incœpta, non autem completa, ita vt nondum accuſator produxerit, quæ faciunt contra delinquentem; & proinde nondum fiſcus habeat fundamentum ad procedendum contra delinquentem. In illis namque text. ſtatuitur, quod mortuo reo, accuſator nõ teneatur pœna deſertæ accuſationis, ſi illam non proſequatur peragendo rem, hoc eſt complendo, quod deeſt, vt accuſatus pro reo habeatur, quia morte ipſius iudicium ſoluitur, cum non ſit plenè cõſtitutus pro reo. Quando autem dicitur, quod pœna delicti tranſit ad hæredes, intelligitur, quando lis eſt conteſtata, ita vt accuſatus incipiat haberi pro reo, & poſſit fiſcus procedere. Quia nimirum actiones ſemel in iudicio inclu ſæ, ſaluæ permanent, nec morte, aut tempore pereunt. *§. Non autem. ver. Pœnalis.* Inſtit. *De tempor. & perpet. act.* & *l. Nõ omnes.* 139. & *l. Pœnalia.* 164. *ff.* De *reg. iur.* Harpprech. *§. Hæc actio. num.* 65. Inſtit. *De iniur.* Mundius *De diffamat. cap.* 7. *num.* 50.

14 In alijs autem tex. nihil habetur contra reſolutionem traditam; nam in *l. Sicuti pœna. ff. De reg. iur.* Solum habetur, quod hæres non tenetur pœna delicti defuncti, quia ſcilicet non punitur ipſe, nec in perſona, nec in bonis proprijs ob delictum defuncti: vnde tex. ex hoc infert, quod neq; ex eiuſdem delicto debet aliquid lucri facere; non autem dicitur; quod non teneatur quò ad bona hæreditatis. In tex autem. *l. Pupillum.* §. *In hæredem. eodem tit.* Sicut etiam. *in l. Eum qui. § Idem dicendum. ff. Si quis caut.* & *in l.* 1. *ff* De *priuat. delictis.* & in alijs huiuſmodi text. ſolum decernitur, quod actio delicti non tranſeat contra hæredem, quia, niſi lis conteſtata ſit contra defunctum, non poteſt actio inſtitui contra ipſos, vt explicatur in *§. Non autem.* Inſtit. *De perpet. & temp. act.*

An Abbatiſſa poſsit præcipere Monialibus in virtute obedientiæ, & ſub peccato mortali. Quæſt. 324.

S V M M A

1 *Abbatiſſa non habet ſpiritualem iuriſdictionem.*
2 *Quomodo Abbatiſſa non poſſit præcipere in virtute ſancta obedientia ſecundum aliquos.*
3 *An ad præcipiendum in virtute S. obedientia ſit neceſſaria iuriſdictio ſpiritualis.*
4 *Abbatiſſæ habent veram ſuperioritatem ſupra Moniales.*
5 *Religioſus transfert iura propria voluntatis in ſuperiorem, nec habet velle, aut nolle.*
5 *Quæ promiſſio interueniat in voto obedientia.*
6 *Obligatio obediendi ſuperioribus in religioſis ad quæ ſe extendat.*
7 *Abbatiſſa habet ſpeciale ius ad exigendam obedientiam à Monialibus.*
7 *Poteſt vti vinculo voti obedientiæ ad exigendam obedientiam à Monialibus.*
8 *Abbatiſſa poteſt præcipere Monialibus in virtute S. obedientia.*
8 *Poteſt conſtringere Moniales in virtute illius vinculi, quo tenentur obedire.*
9 *In quibus Moniales teneantur obedire Abbatiſſæ.*
10 *Abbatiſſa poteſt imponere Monialibus præcepta ſpiritualia in ordine ad finem ſpiritualem.*
10 *Religioſus tenetur acquirere perfectionem ſecundum taxationem regulæ.*
10 *In quo conſiſtat perfectio.*
11 *Cur ad præcipiendum in virtute ſancta obedientia non requiratur iuriſdictio ſpiritualis.*
12 *Monialis tenetur obedire Abbatiſſæ in virtute voti.*
12 *In correlatiuis quod diſponitur de vno, trahitur ad alterum.*

1 Conueniunt omnes, quod Abbatiſsa non habeat ſpiritualem iuriſdictionem in Moniales, nec poſſit habere ſaltem de iure ordinario, cum ſit incapax illius. Cap. *Noua.* De *pœnit. & remiſ.* & docent D. Th. *in* 4. *diſt.* 19. *q.* 1. *ar.* 1. *quæſtiun.* 3. *ad* 4. Sylueſter. *verbo.* Abba-

Abbatiſſa. *init.* Tabiena *num.* 5. Armilla *num.* 2. Durand. *in 4. diſt. 19. qu. 1. ad vlt.* Turrecrem. *in Cap. Verbum Dei. ar. 2 nu.* 10. De *pœnit. Diſt.* 1. Suarez 3. *par. tom.* 5. *diſp. 2. ſect. 2. num.* 4. Azor. *par. 3. lib. 11. cap.* 19. *queſt.* 18. Leſſius *lib. 2. De iuſt. & iure. cap. 40. dub. 13. n.* 107. Sotus *in 4. diſt. 20. q. 1 ar* 4. Ledeſ. *in Sum. tract. De clauib. difficul. 4. dub. vlt.* Sayr. *lib. 6. Theſauri. cap.* 11 *num.* 94. Bartholom. à S. Fauſto *lib. 6. Theſauri Religioſ. quaſt.* 92. Tamburin. *De iure Abbatiſſ. diſp. 32. q. 1. & 2. num.* 1. Angles *in Florib. quaſt de clauib. ar. 1. difficul.* 5. Henriquez *lib. 14. Sum. cap. 8. num.* 6. Valent *tom. 4. diſp. 9. q. 4. punc. 1. in fin.* Coninch. *De cenſur. diſp. 40. dub,* 10. *num.* 94. Bonac. *De ſacram. diſp. 8. q. vn. p. 5. num.* 5. Sanchez *lib* 6. *Decal. cap. 1. nu.* 17. Miranda *De Monial. q. 6. ar. 5. concluſ.* 3. Lezana *tom. 1. Quaſt. Regul. cap. 26. num.* 8. Pelizzar. *De Monial. cap. 10. ſect. 2 ſubſect. 2. n.* 117. & Canoniſtæ *in Cap. Dilecta.* De *maior. & obedient.* Ex quo ſequitur, quod non poſſit præcipere Monialibus in virtute ſanctæ obebientiæ iuriſditionali mo, do, ſeu exercendo in ipſas ſpiritualem iuriſdictionem.

2 Et ex hoc motiuo docent quamplures, non poſſe Abbatiſſam præcipere Monialibus in virtute S. Obedientiæ, & ideo intelligendi ſunt, quod non poſſit tali modo præcipere exercendo ſpiritualem iuriſdictionē. Ita Sot. *in 4. diſt. 20. q. 1. ar. 4.* ver. *Hinc fit, quod Abbatiſſę.* Ledeſ. 2. *par. 4. quaſt. 20. ar. 4. ſol. 310. col. 1.* Vgolin. *De cenſur. tab. 1. cap. 2. §. 7.* Sayr. *lib. 5. clauis Reg. cap. 10. num.* 26. Sanchez *lib. 6. ſum. cap. 1. num.* 21. Victor. De *poteſt. Eccleſ q. 2. nu.* 4. Lopez 2. *par. Inſtruct. Cap.* 1. De *clauib.* Valent. *tom. 4. diſp. 7. q. 16. punc.* 3. Merol. *tom. 2. theol. moral. diſp. 4. c. 4. difficul. 14. num.* 126. Portel. *in dub. Regular. verbo.* Abbatiſſa. *num.* 1. Baldel. *tom. 1. theol moral. diſp. 6. num.* 1. Bartholom. à S. Fauſto *lib. 6. theſauri Religioſ. q.* 92. Tāburin. *De iure Abbatiſſar. diſp. 12. q. 5. n.* 1 Pellizzarius *De monial. cap. 10. ſect. 2. Subſect. 2. num.* 125. Diana *par. 5. tract. 9. reſol.* 16. Mirand. *De monial. q. 6. ar. 5. concluſ.* 3.

3 At non eſſe neceſſariam iuriſdictionem ſpiritualem ad præcipiendum in in virtute ſanctæ obedientiæ, & ideo poſſe tali pacto Abbatiſſam præcipere Monialibus, tenent Azor. 3. *par. lib. 13. cap. 10 q.* 7. Rodriquez *par. 1. Sum. Cap. 3. num.* 9. Corneius *in 3. par. tract. 5. de excom. diſp 2. dub. 5. q. 2. num.* 2. Naldus *in Sum. verbo* Abbatiſſę. *num.* 4. Lezana *tom. 1. Quaſt Regular. cap. 26. num.* 10 Suarez *tom. 3. de relig. lib. 10. cap. 11. num.* 20. Palaus. *tom. 3. oper. moral. tract. 16. de ſtatu relig. diſp. 4. de Voto relig. obedien. par. 2. num* 3. Pellizzarius reuocans priorem ſententiam. *in Manual. Prælat. tract. 4. cap. 4. ſect. 4. n.* 143. ver. *Reſp. Quod quamuis.*

4 Hanc *poſteriorem ſententiam veram puto, & omnino tenendam* pro cuius confirmatione præmittendum eſt. Quod Abbatiſſæ habent veram ſuperiotatem ſupra Moniales, & poteſtatem dominatiuam, qua regere poſsūt Monaſterium, & ordinare ea, quæ ſecundum regulam pertinent ad bonum illius cōmunitatis. Ita cōmuiter Sotus *in 4. diſt. 20. queſt. 1. ar. 4.* ver. *Hinc fit.* Ledeſma 2. *par. 4. q. 20. ar. 4. ſol.* 310. Bartholom. Ledeſma 2. *par. 1, Sum. tract. de clauib. difficul. 4. dub. vlt.* Henriquez *lib. 6. de pœnit. cap. 2. num. 3. &* 4. Victoria *in Sum. Sacram.* vbi *de clauib. nu.* 325. Angles *in Florib. par. 2. quaſt. vn. de clauib. difficul. 5. concluſ.* 3. Lopez 2 *par. inſtruct. tract. de clauib. cap.* 1. Rodriquez *tom. 1. Quaſt. Regular. q. 12. ar. 2. in fine.* & *quaſt. 15. ar.* 1. Miranda *de Monial. q. 6. ar. 5. concluſ.* 2. Sanchez *lib. 6. ſum. cap. 1. num.* 17. Hieronim. Rodriquez *in compen. Queſt. Regular. Reſol. 2. num. 2 &* 16. Tamburin. *De iure Abbatiſſar. diſp. 32. q. 1. num.* 3. Lezana *tom. 1. queſt. Regular. cap. 26. nu.* 8. Pellizar. *de Monial. cap. 10. ſect. 2. ſubſect. 2. num.* 117. & alij citati *num. 1. &* 2.

5 Rurſus præmittendum eſt. Religioſum per votum obedientiæ ſubijcere propriam voluntatem ſuperiori, & transferre iura propriæ voluntatis in voluntatem ſuperioris, ita vt ipſi non relinquatur aut velle, aut nolle proprium. Cap. *Non dicatis. 12. Queſt.* 2. & Cap. 2. De *teſtam. in* 6. & Cap. *Religioſus.* De *elect. in* 6. Et quo fit, quod in omnibus debeat de-

pen-

pendere à ſuperiore, & remaneat adſtrictus ad obediendum præceptis ipſius. Hæc autem obligatio contrahitur à religioſo ratione voti obedientiæ ſolemnis, quia per ipſum nō ſolum promittit Deo obedire ſuperiori, ſed etiam ſe tradit in poteſtatem illius, & ipſi promittit obedientiam ſecundum regulam: vnde non ſolū interuenit promiſſio facta Deo, ſed etiam promiſſio facta ſuperiori, vt inter alios notant D. Th. 2.2.*q.* 88.*ar.* 5. *ad.* 3. Suarez *tom.* 3. *De relig. lib.* 10. *cap.* 2. *nu.* 13. Palaus *par.* 3. *oper. moral. tract.* 16. *De ſtatu relig. diſp.* 4. *de voto relig. obed. pun.* 1. *num.* 1. Vnde promiſſio facta homini eſt obiectū voti, quod fit Deo, & per ipſum confirmatur. Hinc plures ex religionibus in forma, qua profeſſionem emittunt, ſpecialiter exprimunt promiſſionem obediendi ſuperioribus.

6 Hęc autem obligatio, quam contrahit religioſus ad obediendum ſuperioribus, extenditur ad omnia præcepta eorumdem, quæ fieri poſſunt quò ad ea, quæ ſunt ſecundum regulam, ſiue directè, & explicitè: ſiue indirectè, & implicitè, vt communiter docent D. Th. *quodlib.* 10. *ar.* 10. & *in* 2. *D. ſt.* 44. *q.* 2. *ar.* 3. Durand. *ibid. q.* 4. *num.* 5. Caiet. 2.2. *q.* 88. *ar.* 8. *dub. vlt.* ver. *Ad primum dicitur.* Corduba *in reg. D. Franciſ. cap.* 10. *q.* 2. *dicto.* 6. Roſella *verbo* Obedientia *num.* 10. Angelus. *verbo.* Religioſus. *num.* 29. Syluester. *verbo* Religio. 6. *qu.* 6 Leſſius *lib.* 2. *de iuſt. & iure. cap.* 41. *dub.* 9. *num.* 77. Vaſquez 1.2. *diſp.* 154. *num.* 20 Sanchez *lib.* 6. *Sum. cap.* 2. *nu.* 9. D. Antonin. 3. *par. tit.* 16. *cap.* 1. *§.* 16. *in fine.* Suarez *tom.* 3. *de relig. lib.* 10. *cap.* 8. *num.* 5. Palaus *par.* 3. *oper. moral. tract.* 10. *de ſtat. relig. diſp.* 4 *de voto. relig. obedien. punc.* 4. *num.* 4. Azor *par.* 1. *lib.* 12. *cap.* 4. *q.* 2. Rodriquez *par.* 2. *Sum. cap.* 8. *nu.* 13. Tapia *Authent. Ingreſſi. verb.* Ipſo ingreſſu. *cap.* 1. *num.* 44. *et* 59. C. De *ſacroſanc. eccleſ.* Vecch. *in Praxi Nouitur diſp.* 13. *dub.* 2. *nu* 9. Rota *Deciſ.* 216. *n.* 10. *par.* 2. *Diuer.* & habetur ex Clemen. *Exiui §. Cum igitur.* ver. *Declaramus, et dicimus.* De *verbor. ſignificat.* Ratio eſt, quia, cum fiat promiſſio obedientiæ ſecundum regulam, iam conſurgit obligatio obediendi in ijs omnibus, quæ concernunt ad regulæ conſeruationem.

7 Ex his autem ſequitur, quod Abbatiſſa præter illam ſuperioritatem, quam habet ſupra Moniales, de qua dictum eſt ſupra *num.* 4. habeat etiam ſpeciale ius ad exigendam obedientiam à Monialibus in ijs, quæ regulam concernunt, vt ſpecialiter notat Suarez *tom.* 3. *de religione. lib.* 10. *cap.* 8. *nu.* 1. Cum enim Monialis ſe tradat per profeſſionem religioni, & promittat Abbatiſſæ obedientiā ſecundū regulā, acquirit ius ad exigendam hanc obedientiam tanquā ſibi debitam. Rurſus cum hæc traditio, & promiſſio ſit confirmata per votū obedientiæ, ſecundum cuius menſuram profitēs ſe tradit regulandam, & regendā religioni, cōſurgit in Abbatiſſa ex vi huius voti ſpeciale ius, per quod vti poteſt illius obligatione, qua ſe Deo obligauit, in ordine ad regendam monialem. Si quidem votum ita eſt promiſſio facta Deo, vt tamen etiam addicat voluntatem religioſi ad ſequendum præceptum ſuperioris, & importet vinculū ſpeciale, quo ſuperior voluntatem ſubditi ligatam teneat, & ipſo vti poſſit ad eam regulandam, quia vnuſquiſque habet ius vtendi illis vinculis, & titulis, quibus habet ſubiectas alienas voluntates. Et hoc à fortiori valet, quia, quando Sūmus Pontifex approbat aliquam religionem, cenſetur concedere ſuperioribus facultatem regendi ſubditos ſecundum regulam, quam profitentur, vt notant Vaſquez 1.2. *diſp.* 165. *cap.* 4. *n.* 28.

8 Hinc ex duobus principijs omnino certis deducitur, quod Abbatiſſa poſſit præcipere Monialibus in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub mortali, quando ita expedire cenſuerit. Quorum primū eſt, quod poteſt Abbatiſſa exigere à Monialibus illam obedientiam, quæ ſibi debita eſt, & eo modo, quo ſibi debita eſt, hoc eſt in virtute illius vinculi, quo habet vinculatam voluntatem ſubditarum; atque adeo poteſt imponere pręcepta, quando ita cenſuerit expedire, quò ad omnia, in quibus ſubditę tenentur obedire. Habet enim vnuſquiſque ius ad exigenda

ea omnia, quæ ſibi debita ſunt; & ſi debita ſint ab iis, ſupra quos exercet ſuperioritatem, poteſt auctoritate propria ea ſibi vindicare; & conſtringere ſubditos in virtute illius vinculi, quo ipſi obligantur, ad ea exhibenda, quia habet potentiam coercitiuam, qualis eſt etiam in Abbatiſſa reſpectu Monialium in ordine ad exigendam obſeruantiam regulæ.

9 Alterum principium eſt, quod Moniales tenentur ad obſeruantiam Regulæ, & obedire Abbatiſſæ, quò ad ea, quæ regulam concernunt directè, vel indirectè, vt conſtat ex ſupradictis *num.* 6. & talem obedientiam tenentur exhibere ratione voti, cum per ipſum promiſerint Deo obedire abbatiſſæ, ita vt ſint per votum alligatæ Abbatiſſæ in ordine ad præſtandam obedientiam.

10 Ex his ergo fit, quod Abbatiſſa vtens iure ſuo, & propria ſuperioritate poſſit imponere præcepta monialibus in virtute ſanctæ obedientiæ, ita vt, ſi non obediant, peccent mortaliter contra votum obedientiæ, quia poteſt exigere ab ipſis, vt obediant in virtute voti, quo obſtrinxerunt ſe Deo ad ipſi obediendum; nam præcipere in virtute ſanctę obediētiæ non eſt aliud, niſi exigere illam obedientiam ex vi illius vinculi, quo obligatæ ſunt ad obediendum, quod eſt votum emiſſum de obediendo. Rurſus etiam fit, quod poſſit imponere pręcepta ſpiritualia in ordine ad finem ſpiritualem animæ, quia tã ampla eſt poteſtas ipſius in præcipiendo, quã ampla eſt obligatio, qua Moniales ſe obligarunt ad odediẽdũ ipſi; ſe obligarunt autem ad obediendũ quò ad ea, quæ concernunt regulam directè, vel indirectè, quia promiſerũt obedientiam ſecundum regulam. Vnde cũ regula pręſcribat, quę cõcernunt ad acquirendã perfectionem, quæ conſiſtit in charitate, vt docet D.Th. 2.2. *queſt.* 184. *ar.* 1. *in corpore*, quia religionis ſtatus, vt ait idem. D.Th. *ibid. q.* 186 *ar.* 1. *ad* 4. eſt principaliter inſtitutus ad acquirendam perfectionem per exercitia, quibus tollũtur impedimenta perfectę charitatis, & proinde religioſus tenetur operam dare, vt habeat perfectam charitatem per ea exercitia, quæ ſunt ei taxata ſecundum regulam, quam profeſſus eſt, vt habet. *ar. ſequenti. in corpore*, ſequitur quod, dũ tenetur obedire ſecundum regulam, teneatur obedire etiam quò ad illa exercitia, quæ conducunt ad perfectionem, atque adeo in ordine ad finem ſpiritualem, & conſequenter quod poſſit etiam Abbatiſſa imponere præcepta ſpiritualia in ordine ad finem ſpiritualem, cum poſſit imponere, quò ad omnia, in quibus Moniales tenentur ipſi obedire ex vi voti, & ſtatus religioſi.

11 Ex quibus ſequitur, quod ad pręcipiendum in virtute ſanctæ obedientiæ non requiritur iuriſdictio ſpiritualis, cum non ſit actus iuriſdictionis, ſed tantum vſus illius vinculi, quo monialis ſe alligauit voluntati Abbatiſſæ quò ad ea, quę concernunt regulam in ordine ad obſeruantiam illius, & ad acquirendam perfectionem, quod eſt tantum iuxta exigentiam muneris proprij exercere nudum miniſterium circa obligationem iam præexiſtentem ratione voti, exigẽdo in virtute eiuſdem voti id, ad quod tenetur, Si etiam iudex inferior, quamuis nõ poſſit imponere leges, nec habeat iuriſdictionem quò ad hoc, poteſt tamẽ exigere in virtute legis à ſubditis id, ad quod tenentur ratione earumdem legũ

12 Quod rurſus declaratur. Monialis namque tenetur obedire Abbatiſſæ in virtute obedientię, quia tenetur obedire, quatenus ſe obligauit; vnde cum ſe obligauerit obedire per votum obedientiæ, ſi quidem vouit Deo obedire ſecundum regulam Abbatiſſę, tenetur obedire in virtute voti obedientiæ, quod eſt obligari in virtute ſanctę obedientię ſeu in virtute obedientiæ Deo promiſſę. ergo etiam Abbatiſſa poteſt præcipere in virtute ſanctæ obediẽtiæ, exigendo obediẽtiã eo titulo, quo ſubdita tenetur obedire, quia obedire, & pręcipere correlatiua ſunt, & de correlatiuis eſt idem iudiciũ, & quod diſponitur de vno, trahitur ad alterum. *l. fin, ff. De acceptilat.* & *l. Si quis ſeruo*. C. De *furt*. et *l. fin*. C. De *indict. viduit. tollen.*

An Monialis, & quilibet alius religioſus habens propoſitum ſeruandi regulam, quò ad ea ſolum, ad quæ ſub mortali tenetur, & non quò ad alia abſolutè, ſit in ſtatu peccati mortalis. Quæſt. 325.

SVMMA.

1 *Religioſus proponens non ſeruare regulam, quò ad ea, quæ non obligant ſub mortali, eſt in ſtatu perdito.*
2 *Contemnit virtualiter, & interpretatiuè regulam.*
2 *In quo conſiſtat contemptus regulæ.*
3 *Nolle ſeruare regulam in ijs, quæ non obligant ad mortale affert perniciem religioni.*
4 *Velle transgredi regulam vniuerſaliter, quando non obligat ad mortale, eſt peccatum mortale.*
4 *Quando plures materiæ paruæ vniantur in vnam grauem.*
5 *Proponens non ſeruare regulam, quando non obligat ad mortale, eſt in periculo tranſgrediendi, quando obligat ad mortale.*
5 *Propoſitum committendi omnia venialia, quæ occaſio obtulerit, eſt peccatum mortale.*
6 *Quomodo conſurgat obligatio grauis ad ſeruandas regulas, quæ grauiter non obligant.*

1 Abſolutè tenendum eſt, *eſſe in ſtatu peccati mortalis*, ita docet communiter, nec vidi aliquem oppoſitũ ſentire. Quamuis enim doceant, quod non ſit peccatum mortale non obſeruare regulam, quãdo non obligat ad mortale: attamen volunt, quod vniuerſale propoſitum non ſeruandi regulam vniuerſaliter, quando non obligat ſub mortali, ex alio capite ſit peccatum mortale, quod ex diuerſo titulo deducunt. Ita præcipuè Doctores infra allegandi.

2 Eſt ergo peccatum mortale, quia continet contemptum regulæ ſaltẽ virtualem, & interpretatiuũ. Conſiſtit enim contemptus regulæ in eo, quod quis nolit ſe ſubijcere ipſi, vt docet D. Th. 2.2. q. 186. *ar.* 9. *ad* 3. Qui autem habet vniuerſale propoſitum non ſeruandi regulam, quando non obligat ad peccatum mortale, non vult ſe ipſi ſubijcere, quò ad hãc partem; atq. adeo quò ad hanc partem illam contemnit. Subiectio namque ad regulã conſiſtit in voluntate, quatenus illam acceptat tanquam normã, ſecundum, quam dirigat ſuas actiones, vnde vniuerſale propoſitum non ſeruandi reijcit talem normam, & non vult ipſa vti, & proinde ſubtrahit voluntatẽ à ſubiectione, quod dicit ſaltem interpretatiuum contemptum. Et ita docent Abbas *in Cap. Non concupiſcientiam. num.* 4. & 5. De *conſtit.* Felin. *ibid. num.* 11 *in fine.* Tabiena *verbo.* Religio. *quæſt.* 4. Carthus *De reformat. clauſt. lib.* 5. & 6. D. Antonin. 3. *par. tit.* 16. *cap.* 1. §. 9. cum Io. de Neapol. Valent *tom.* 3. *diſp.* 10. *quæſt.* 4. *punc.* 5 ver. *Atq. ita eſt.*

3 Secundò peccat mortaliter religioſus nolens vniuerſaliter ſeruare regulares obſeruantias, quæ non obligant ad mortale, quia fit tali pacto grauiter perniciosus religioni, & ita perturbat regularem obſeruantiam, vt inde religio graue damnum patiatur, & ſuo exẽplo inducit alios ad relaxandam regularem obſeruantiam, & proinde eſt cauſa relationis, imo diſſipationis regularis diſciplinæ. In quo graue detrimentum cõmunitati affert, & proinde tale propoſitum eſt virtuale propoſitum de pernicie, & deſtructione ipſius. Atque ex hoc capite aſſerũt peccare mortaliter Sanchez *lib.* 6. *Sum. cap.* 4. *num.* 18. Laiman. *lib.* 4. *theol moral. tract.* 5. *cap.* 8. *num.* 9. *ver. Dico quarto.* Palaus *par.* 3. *oper. moral. tract.* 16. *de ſtatu relig. diſp.* 4. *De voto relig. obedien. punc.* 3. *num.* 7. Lezana *tom.* 1. *Quæſt. Regul. cap.* 8. *n.* 18.

4 Tertiò. peccat mortaliter ratione obiecti, quia licet tranſgreſſio cuiuſcunque regulæ in ſpeciali non ſit ratione obiecti peccatum mortale, illa tamen voluntas non ſeruandi vniuerſaliter, quaſcunque regulas, quæ non obligant ad mortale, habet pro obiecto aliquid graue, quod determinat voluntatem, vt ſit mortaliter peccaminoſa; nam omnes illæ tranſgreſſiones, quamuis ſingulæ de ſe ſint leues, coniũgũtur tamen in vnicam materiam grauem: ſicut con-

re

tingit in pluribus furtis leuibus, quæ cõſtituunt, quando vniuntur, vnicam materiam grauem, quę ſit obiectum peccati mortalis. Tunc enim plures materiæ leues vniuntur in vnam grauem, quando moraliter vniuntur, ita vt pro vna habeantur, aut quando vniuntur effectus ab eis relicti, vt ſi quis in die ieiunij ſumat plures paucas materias, quæ ſimul ſint materia grauis, quia vniuntur in ordine ad effectum cibandi, & nutritionis. Ita docent cõmuniter. & ſpecialiter Vaſquez 1. 2. *quæſt.* 88. *diſp.* 146. *cap.* 2. *num.* 3. & 4. Sanchez *lib.* 1. *Sum. cap.* 4. *num.* 9. Suarez *lib.* 3. *de leg. cap.* 28. *nu.* 11. Reginal. *lib.* 15. *Praxis fori pœnit. cap. vlt. num.* 67. Molfeſ. *par.* 1. *Sum. tract.* 3. *cap.* 8. *num.* 7. Palaus *par.* 1. *oper. moral. tract.* 2. *diſp.* 2. *punc.* 9. §. 4. *num.* 4. Quando autem quis habet propoſitũ non ſeruandi quaſcunque regulas, quæ non obligant ad mortale, materiæ illæ, quæ à ſingulis regulis pręſcribũtur, vniuntur in vnicam materiam grauem in ordine ad vniuerſale propoſitum tranſgrediendi, quia nõ ſolum tendunt ad eũdem finem ex natura ſua relaxationis diſciplinæ regularis, ſed etiam, quia continuantur ad inuicem moraliter tum in ratione damni, quod inferunt diſciplinæ regulari, tum in vulneratione regulæ, quæ cenſetur grauiter lædi, dum læditur in omnibus obſeruantijs, quę non obligant ad mortale, & ideo vniuntur iſtæ tranſgreſſiones in eodem ſubiecto. tum etiam quia notabiliter deformatur clauſtralis vita per talem tranſgreſſionem, quia tollitur ab ipſa ille ordo, ſecundum quem dirigitur.

5 Quartò ex eo quoq. capite peccat mortaliter, quod ſe exponit euidenti periculi tranſgrediendi regulam in ijs, quæ grauiter obligãt ſub mortali. Sicut enim propoſitum vitandi ſola mortalia peccata, & committendi omnia venialia, quotquot præſentauerit occaſio, continet peccatum mortale, quia obiectum huius propoſiti continet in ſe periculum peccandi mortaliter Cap. *Tres ſunt. De pœnit. Diſt.* 1. & notant Gloſ. *ibid.* dicens contemptum multorũ venialium efficere mortale Alenſ. *par.* 4. *quæſt.* 65. *memb.* 3 *ar.* 1. §. 1. Sotus *in* 4. *diſt* 15. *quæſt.* 2. *ar.* 1. *ad* 1. Sanchez *lib.* 1. *Sum. cap.* 5. *num.* 2. Ita etiam propoſitũ vniuerſale tranſgrediendi omnes regulas, quæ non obligant ad mortale continet manifeſtum periculum tranſgrediendi etiam, quæ obligant ad mortale.

6 Dices. In tota multitudine regularum nulla adeſt obligatio ſub mortali, quia quælibet ſpecialis regula habet ſuã ſpecialem obligationem ſibi propriam, nec adeſt vna communis obligatio pro tota regula collectiuè ſumpta. ergo cum ſint regulæ diuerſarum rationum, non cõſurget vna obligatio grauis. Reſp. neg. conſequentiam. Tum quia licet non cõſurgeret per ſe tanquam ex obiecto, conſurgeret tamen per accidens ratione periculi, in quod ſe conijcit religioſus; ratione damni, quod infert religioni relaxando regularem diſciplinam; & ratione contemptus interpretatiui, vt in ſuperioribus explicatum eſt. Tum quia conſurgit etiam per ſe ex obiecto quia licet illæ regulæ ſint diuerſarum rationum, vniuntur tamen ad conſtituendam diſciplinam regularem: vnde etiam tranſgreſſiones vniuntur in relaxatione, & deformatione eiuſdem diſciplinæ, quod ſufficit, vt conſtituant vnam grauem materiam, cum ſint omnes in eodem genere. Sic ſi quis furaretur alicui in paruitate materiæ pecuniam, vinum, oleum, triticum &c. ita vt peruenirent omnia ſimul ad materiam grauem, peccaret mortaliter, quia hæc bona, licet diuerſa, ſunt tamen in eodem genere, & ideo vniuntur in in vnam grauem materiam, & in effectu damnificationis.

An prælati, & cæteri ſuperiòres procedere poſſint contra ſubditos, qui non ſeruant, quæ communiter à Populo ex libera voluntate ipſius introducta ſunt. Quæſt. 326.

SVMMA.

1 *Prælatus non poteſt punire non ſeruantes cõmuniter introducta, ſed liberè, à populo.*
1 *Quando habeat locum iuſtitia punitiua.*
2 *Quæ ſunt meræ voluntatis, & liberi arbitrij, per nullum tempus præſcribuntur.*
2 *Actus merè liberi arbitrij non pariunt ius in fauorem alterius.*
2 *Conſuetudo debet legitimè eſſe præſcripta.*
3 *Quæ ſunt meræ facultatis, non poſſunt præſcribi.*
4 *Facultatiua quænam ſint.*
4 *Non pariunt ius deducendum in iudicium.*
4 *Tempus non eſt modus inducendi obligationem.*
5 *Quando factum tanto tempore, cuius initij nõ ſit memoria, præſcribatur.*
5 *Facultatiua nec poſt tempus immemorabile præſcribuntur.*
6 *Cur conſuetudo præſcribat contra leges.*
6 *Quando ſuperiores poſſint præſcribere contra ſubditos ea, quæ ab ijs introducuntur.*

1 CAſus contingere poteſt in obſeruatione feſtorum, in ieiunijs, & in alijs huiuſmodi, quæ ex deuotione populi introducta ſunt, vel ex aliquo alio libero motiuo. Et reſpondendum eſt, *quod non poſſint procedere.* quia. vt procedãt debent habere ius ad exigenda ea, quæ omittuntur, cum in tantum habeat locum iuſtitia punitiua, in quantum violatur ius legale, ſecundum, quod regitur cõmunitas, nõ violatur autẽ, quãdo non aſſiſtit ad exigendũ, quod omittitur. Nõ aſſiſtit autem ad exigendum à ſubditis, quæ liberè à populo introducta ſunt, etiam ſi obſeruantia ipſorum valde diuturna fuerit.

2 Quæ enim dependent à libero arbitrio, & ex mera voluntate, non poſſũt præſcribi, etiam per longiſſimum tempus, vt notant Gloſ. *in l. 1. verbo*. Communi diuidundo. C. *De ann. excep.* Bart. *ibid.* Bald. *in l. Cum notiſſimo. in fine princip.* C. De *præſcrip. trigint. annor.* Alexan. *ibid. in Apoſt. ad Bart.* Io. Andr. *in Cap. Nõ eſt.* De *conſuet.* in 6. Barbat. *Conſil.* 51. ver. *Præterea adduco. vol.* 2. & ideo nec acquiri aliquod ius ad ipſa exigenda, quamuis tempore valde diuturno continuentur. Quæ enim ſunt meræ voluntatis, & liberi arbitrij, explicant ſolum, quid ſit in poteſtate operantis, qui ea ad libitũ exercens, ponit tantum in eſſe, quod placet, ita tamen vt poſſet non ponere, & ideo actus huiuſmodi non habent vim pariendi ius aliquod in fauorem alterius. nec inducunt veram conſuetudinem, quia hæc, vt obliget, debet eſſe legitimè præſcripta Cap. *fin.* De *conſuet.*

3 Hinc communiter docent, quod, quæ ſunt meræ facultatis, non poſſunt præſcribi iuxta tex. *l. Viam publicam. ff.* De *via publ.* vbi Gloſ. & Bart. & Cap. *Poſſeſſiones. 16. Q. 1.* & notant Gloſ. *in l. Solent. in gloſ. fin. in fin. ff.* De *offic. proconſ.* & *leg.* Cin. *in l. 1.* C. De *ſeruit. et aqua.* vbi & cœteri Doctores & *in l. 2.* C. *Quæ ſit long. cõſuet* Bart. *in l. Cũ de in rẽ ff.* De *vſur.* & *in l. Solent. §. 1. ff* De *offic Proconſul.* Angel. *in l. Si certis annis.* C. De *pactis* Panormit. *in Cap. Abbate S. Syluan.* De *verbor. ſignificat.* vbi latè & *in Cap. Ex parte* De *conceſ. præbend.* & in Cap. *Piſanis, in fine.* De *reſtit. ſpoliat.* & *in Cap. Inter cæteras. circa fin.* De *reſcrip.* & *in Cap. Ioannes.* De *cler. coniug.* Io. Andr. *ibid.* Innocent. *in Cap. Cum Eccleſia Sutrina.* De *cauſa poſſeſ.* Præpoſitus *in Cap. Significante.* De *appellat.* vbi & communiter Canoniſtæ per illum tex. Ancharan. *in cap. Sine poſſeſſione in fine.* De *reg. iur. in* 6. Geminiã. *in Cap. Conſuetudo. Diſt. 1.* Archidiacon. *in Cap. Seruitutum. 18. Quæſt. 2.* Felin. *in Cap. Cum acceſſiſſent.* ver, *Secundo declaratur.* De *conſtit.* Cepol. *tract.* De *ſeruit. vrb. præd. c. 2. Rubr. de furno. q. 2.* Iaſ. *in Repet. l. Quominus.* ver. *Tertiò principaliter. ff.* De *Flumin.* vbi latè Iacob. de S. Georg. *in tract. Feud. in gloſ.* ver. *Et cum molendinis.* Bald. *De præſcrip. par. 4. par. 5 princip. quæſt. 1. num. 1.* Angel. *Conſil.* 55. *nu.* 3.

nu3. Barbatia *Conſil.* 51. *col.* 10. *lib.* 2. Aretin; §. *Actionum. num.* 54. *Inſtit De actionib.* Corneus *Conſil.* 305. *circa fin. lib.* 3. Vueſembec. *Conſil.* 2. *num.* 49. Crauet. *De antiquo temp. partic.* 4. *par.* 4. *princip. num.* 79. *&* 85. Ruin. *Conſil.* 61. *num.* 11. & *Conſil.* 175. *num.* 6. *lib.* 1. Ripa *in Cap. Cum Eccleſia Sutrina. num.* 40. De *cauſa poſſeſ et propriet*, Curt. *iun. in l. Si certis annis. n.* 11 C. De *pact.* Marſil, *Singul.* 192. Cardin. *Conſil.* 38. ver. *Secundo quia.* Roland. à Valle *Conſil.* 21. *num.* 14. *lib.* 2. Menoch. *Conſil.* 143. *num.* 3. Boer. *quęſt.* 1.75. *num.* 6. Neuizan. *Conſil.* 43. *n.* 7.

4 Cum enim ea facultatiua ſint, quæ pendent à noſtra libera voluntate *l. Si conſtante*, §. *Si maritus*. *ff.* Soluto *matrimonio*. & *l. In re mandata.* C. *Mandati*. & notant Archidiacon. *in Cap. Cum aliquib.* De *reſcriptis in* 6. Menoch. *Conſil.* 143. *num.* 2. & proinde circa ipſa libertas conceſſa ſit à iure, ita vt nulla nobis detur actio, aut exceptio contra aliquem, nec alteri contra nos, ſequitur, quod no pariant aliquod ius deducibile in iudicium, vt notat Menoch. *Conſil.* 201. *num.* 61. & *Conſil.* 748. *num.* 29. etiam ſi per lōgiſſimum tempus exerceantur, quia non habent cauſam præcedentem, ex qua oriatur obligatio, & tempus non eſt modus inducendi obligationem. *l Obligationum fere* §. *Placet. ff. De act. & obligat.* Et ideo nullo vnquam tempore præſcribi poſſunt *l Et habet* §. *Hoſpites. ff.* De *precario.* & *l. Si mulieri. ff.* Quib. *mod. vſufr. amit.*

5 Et quamuis aliqui limitent hanc doctrinam, vt non habeat locum, quando aliquid factum eſt tanto tempore, cuius initij non extet memoria vt Io. Andr. *in Cap Peruenit.* De *cenſib.* Felin. *in Cap. Cum M. Ferrarienſ.* ver. *Tertia declaratio.* De *conſtit.* Angel. *in l. Si certis annis.* C. De *pact.* Bart. *in l. Cum de in rem verſo. ff.* De *vſuris.* Balb. *De præſcrip. par.* 4. *par.* 5 *princip. q.* 1. *n.* 5. debet tamen hæc limitatio ita accipi, quando poteſt præſumi aliquis titulus, in quo fundari potuerit præſcriptio; Secus autem, quando ex natura ſua actus eſt talis, vt declaret proceſſiſſe ex mera facultate. Si enim tempus non habet vim de ſe ad inducendam obligationem, vt dictum eſt *n. præcedēti* etiam ſi ſit adeo longum, vt nō extet memoria initij, non habebit vim inducendi, & proinde ſemper relinquet actum in eſſe facultatiuo. Et proinde quod nullo vnquā tempore, quantūuis immemorabili, quæ ſunt meræ facultatis præſcribātur, habetur ex doctrina Baldi *in l. Licet. num.* 5. C. De *iure delib.* Angeli *Conſil.* 55. *num.* 3. Angel. Aretin. §. *Actionum. num.* 54. Inſtit. *de action.* Corn. *Conſil.* 305. *lib.* 3. Menoch. *Conſil.* 201. *num.* 62. vbi alios citat. Cepol. *De ſeruit. vrban. Prædior. Rubr. De ſeruit. Aquæduc. col.* 23.

6 Dices poſſunt ſubditi præſcribere contra leges, vt habetur ex Cap. *fin.* De *conſuet.* vbi communiter Doctores; ergo poterunt etiam ſuperiores præſcribere contra ſubditos, quò ad ea, quæ ipſi introducunt. Reſp. poſſe præſcribere, quando ea, quæ introducunt, ſunt præſcriptibilia, quæ autem ſunt meræ facultatis, & liberæ voluntatis non ſunt præſcriptibilia, vt conſtat ex ſupradictis. Quod autem ſubditi præſcribant contra legem, inde prouenit, quia lex eſt præſcriptibilis, & quia, vt conſuetudo præualeat legi, debet eſſe rationabilis per dict. Cap. *fin. De conſuet.* quando autem cōſuetudo eſt rationabilis, quia deriuat à lege naturali, ſiquidem eſt ſecundum regulas rationis, habet ius naturale ſibi aſſiſtens, & dans vim ad præſcribēdum.

An, qui rationabiliter timet, ſe occidendum à bannito, poſſit, abſque eo, quod contrahat irregularitatem, augere premium, vt magis inducat ad ipſum occidendum. Quæſt. 327:

S V M M A

1 *Duplex irregularitas ex homicidio.*
1 *Occidere bannitum non continet delictum.*
1 *Irregularitas ex homicidio iuſto defectu lenitatis in quibus habeat locum.*
2 *Occidens bannitum auctoritate iudicis, occidit vt publicus miniſter, & fit irregularis.*

Oc-

2 *Ocidens bannitum ignorans, eſſe talem, non excuſatur à culpa.*
3 *An bannitus occidi poſſit in alienò territorio, & an ratione defenſionis.*
4 *Augens præmium occidenti bãnitum eſt executor mandati iudicis.*
5 *Si ſit clericus contrahit irregularitatem ex delicto.*
6 *Clericis interdicitur ſe immiſcere in cauſa ſanguinis.*
6 *Iudex laicus mandans occidi bannitum, non diſpenſat cum clericis, vt poſſint occidere.*
6 *Inferior iuriſdictio non poteſt aliquid circa ea, quæ ſuperior decernit.*
6 *Laicus non poteſt aliquid decernere circa ea, quæ iure canonico ſtatuta ſunt.*
7 *Eccleſiaſticus procedens in cauſa ſanguinis vtitur iuriſdictione laica.*
7 *Iuriſdictio eccleſiaſtica non eſt iuriſdictio ſanguinis.*
8 *Augens præmium pro occiſione banniti, à quo iuſtè timet occidi, ſi ipſe non occiditur, an incurrat irregularitatem.*
9 *Occidens bannitum ex cauſa priuata, non occidit vt miniſter iuſtitiæ, nec gaudet beneficio ſtatuti &c.*
9 *Etiamſi occidat ad propriam defenſionem.*
10 *Quis veniat nomine aggreſſoris.*
10 *Minæ, & terror armorum faciunt aggreſſorem.*
10 *Iuſtè timens inuaſionem poteſt præuenire.*
11 *Hortans ad ſui defenſionem ad homicidium iuſtum an fiat irregularis.*
11 *Clericus an fiat irregularis, ſi faciat, quod de iure poteſt, ſi inde media iuſtitia ſequutura ſit mors.*
11 *Clericus habens iuriſdictionem poteſt in ſpecie delegare cauſam ſanguinis.*
11 *Poteſt hortari, vt reus occidantur ob ſui defenſionem.*

---

1 AFfirmatiuè reſpõdendum videtur, quia ex duplici tantum capite contrahitur irregularitas ratione homicidij, vel ex delicto, quando nimirum homicidium eſt iniuſtum, & culpabile; vel defectu lenitatis, quando homicidiũ eſt iuſtum iuxta Cap. 1. *Diſt.* 51. & Cap. *Epiſcopus*. Ne *clerici, vel Monachi. in* 6. & Cap. *Prælatis*. De *homicid. in* 6. In caſu autem præſenti ex neutro capite habet locum irregularitas. Nõ ex delicto, quia homicidium non eſt iniuſtum, ſi quidẽ fit auctoritate iudicis in exequutionem ſententiæ, vt ſupponitur. Et proinde non continet delictum, vt notant Bald. *in l. Decuriones*. C. Ex *quib. cauſ. inf. irrogat*. Conrad. *in Temp. om. iud. lib.* 1. *cap.* 1. *De imper.* §. 4. Tit. *De delinquen. etiam &c. num.* 4. Non ex defectu lenitatis, quia iuxta probabilem opinionem, quam cũ Vaſquez tradunt Turrian. *lib.* 9. *De cenſur. diſp.* 66. *dub.* 3. Gaſpar Hurtad. *De cẽſur. Diſp.* 2. *de irregularit. difficul.* 11. *n.* 40. Cœleſtin. *in Compen. Theol. mor. tr.* 4. *c.* 5. *quæſt.* 1. Diana *par.* 3. *tract.* 5. *reſol.* 79. & *in* 2. *Addit. Reſol.* 15. & *par.* 5. *in Addit. ad tract.* 5. *Reſol.* 46. ver. *Sed ego puto*. Baunius *par.* 2. *theol. mor. tract.* 11. *qu.* 23. *dub.* 11. Machad. *De perfecto confeſ. to.* 1. *lib.* 1. *par.* 3. *tract.* 18. *docum.* 5. *nu.* 5. Palaus *par.* 6. *Oper. mor. diſp.* 6. De *cenſur. punc.* 14. *nu.* 1. ſolum huiuſmodi irregularitas habet locum in iudice, & aliis officialibus, & publicis miniſtris, quia de his ſolum eſt ſermo *in citatis, & alijs huiuſmodi textib.*

2 Verum ex hoc capite nõ poteſt ſaluari, quod non contrahatur irregularitas Nam dato, quod irregularitas ex defectu lenitatis non habeat locum niſi in miniſtris, & publicis officialibus, adhuc tamen contrahitur ab eo, qui occidit bannitum. Nam quando lex, aut ſententia dat cuilibet facultatẽ occidendi bannitum, conſtituit ipſum miniſtrũ ad exequendam iuſtitiam, & pœnam mortis, quam ipſe iudex per ſuos miniſtros exequeretur, ſi bannitũ capere poſſet. Vnde occidens procedit tanquam publicus miniſter auctoritate publica deſtinatus, & ideo ſtante etiam dicta opinione habet locum irregularitas ex defectu lenitatis, cum habeat locum ſecundum ipſum in omnibus miniſtris publica auctoritate concurrentibus ad homicidium. Vnde qui occidit bannitũ, ignorans eſſe bannitum, non excuſatur à culpa, quia, vt notat Lancellot. Conrad. *in Templo om. iud. lib.* 1. *Cap.* 1. *De imperat.* §. 4. Tit. *Ius diuinum ex cau. limit. num.* 3. non occidet vt miniſter Reipublicæ.

3 Hinc eſt, quod bannitus nõ poteſt occidi in aliena iuriſdictionem iuxta opinionem magis communem, quam tradunt Cephal. *Conſil.* 35. *num.* 19. Peregrin. *lib.* 3. *De iure fiſci. tit.* De *bannitis. n.* 28. Arnonus *Singul.* 27. Taſſon. De *anteſat.*

ver.

ver. 12. obſeruat. 1. num. 55. Tapia *tom. 5. de iure regni. Conſtit. Pœnam eorum. n. 26.* Marin. *Reſolut. quotidianar. cap.* 116. *n.* 8. & alij infiniti, quos citat, & ſequitur Iulius Cartar. *Deciſ. criminal.* 1. *n.* 121. Quia nimirum non poteſt exerceri iuriſdictio in alieno territorio. Et qui volunt, poſſe occidi, cum hoc ſaluare non poſſint ratione iuriſdictionis, in cuius exequutionẽ fit occiſio, reducunt ad defenſionem, quia cum bannitus turbet ciuitatem, poteſt titulo defenſionis occidi. Ita Savr. *lib. 7. clau. reg. cap.* 11. *num.* 14. Danza *De pugn. Doct. tit. De armat. per campan. cap.* 7. *nu.* 33. Quod an verum ſit, relinquo conſiderandum, præſertim quando bannitus nullam inferret moleſtiam reipublicæ.

4 Dices. Non concurrere vt miniſtrũ iuſtitiæ, quia non occidit, ſed ſolum auget præmium occidenti. Verum neque per hoc tollitur, quin ſit miniſter iuſtitię, ſi quidem augmentum prę mij tendit ad exequutionem mandati, quo iudex vnicuique committit exequutionem iuſtitiæ, vnde cum concurrat ad exequendũ mandatum iudicis, adhuc ſe habebit, vt miniſter iuſtitiæ, cum ij omnes ſint miniſtri, qui concurrunt ad exequendam iuſtitiam à iudice.

5 Imo ſi augens præmium pro occiſione banniti ſit clericus, contrahet irregularitatem ex delicto, quia peccabit proponens huiuſmodi augmentum. Quando enim bannitus ritè non occiditur, committitur delictum, vt inter alios notant Marſil. *in l. De minore. §. Plurimum. num.* 102. *ff.* De *quæſt.* & *in l.* 1. *num.* 7. *ff.* Ad *leg. Cornel. de ſicar* Conrad. *in Templo om. iud. l b.* 1. *cap.* 1. De *imperat. §.* 4. Tit. *Ius diuinum &c. num.* 3.

6 Cum ergo clericis interdictum ſit, non ſolum occidere, ſed etiam ſe intermiſcere in effuſione ſanguinis Cap. *Reos.* 23. *Qu.* 5. ibi. *Nec effuſionis ſanguinis particeps fiat.* & Cap. *In Archiepiſcopatu.* De *raptorib.* & Cap. *Clericum. Diſt.* 50. & Cap. *Suſcepimus*; & Cap. *Sicut dignum.* & Cap. *De cætero.* & Cap. *Ioannes.* De *homicid.* & Cap. *Sententia ſanguinis.* Ne *cler. vel Monachi* & alibi paſſim. Sequitur, quod clericus in virtute ſtatuti, ſeu mandati iudicis non poſſit concurrere ad occiſionem banniti, & proinde, ſi concurrat, non ritè occidet, ſed transgreſſor erit canonum, & contrahet irregularitatem. Mandatum namque iudicis laici, ſeu ſtatutum laicale, licet det facultatem occidendi bannitum, & conſtituat quemlibet exequutorem iuſtitiæ, non tamen ſe extendit ad diſpenſandos clericos, vt poſſint occidere, ſed adhuc manent obſtricti ſacris canonibus; quia cum nõ ſubijciantur laicæ iuriſdictioni, nõ poſſunt per ipſam eximi ab obligationibus canonicis; quia inferior iuriſdictio non poteſt aliquid circa ea, quæ poteſtas ſuperior decernit *l. Nam & magiſtratus. ff.* De *arbitr.* et laicus non poteſt aliquid decernere contra ea, quæ iure canonico ſtatuta ſunt. Cap. *Conſtitutiones* 1. & Cap. *Conſtitutiones.* 2. & Cap. *Lege Imperatorum.* & Cap. *Non licet. Diſt.* 10. & Cap. *Eccleſia S. Mariæ.* De *conſtit.* & decernit Leo X. ſacro approbante Concilio Lateranenſi *ſeſſ. 9. in Bulla*, quæ incipit. *Supernæ diſpoſitionis.* De *reformat. curia* etc. ibi. *Et cũ à iure tàm diuino, quàm humano laicis nulla poteſtas in eccleſiaſticas perſonas attributa ſit.*

7 Et hoc habet locum, etiam ſi facultas occidendi bannitum conceſſa ſit per iuriſdictionem perſonarum eccleſiaſticarum, quia adhuc eſt cõceſſa per iuriſdictionem temporalem, & laicalem, quæ reſidet in perſona eccleſiaſtica, non autẽ per iuriſdictionem ſpiritualem, & eccleſiaſticam. Quando enim perſona eccleſiaſtica procedit in cauſis ſanguinis procedit in virtute iuriſdictionis temporalis, non autem in virtute iuriſdictionis eccleſiaſticæ. Quia cum iuriſdictio Eccleſiaſtica ſit iuriſdictio ſpiritualis reſpiciens bonum animæ, nõ eſt iuriſdictio ſanguinis Cap. *Reos.* 23. *Quæſt.* 5. & ideo non debet ſe immiſcere in cauſis ſanguinis, ſed debet relinquere iuriſdictioni laicali Cap. *In archiepiſcopatu.* De *raptorib.* Et quando in eadem perſona concurrit, & vnitur eadem iuriſdictio, debet iuriſdictio temporalis quò ad cauſas ſanguinis, alijs delegari Cap. *Epiſcopus.* Ne *clerici*, *vel*

vel monachi in 6. Iuriſdictio autem temporalis,cum ſit ſemper inferior eccleſiaſtica, non poteſt relaxare , quæ per ipſam ſtabilita ſunt .

8 Remanet ergo , *quod ſolum ab irregularitate , & peccato excuſari poſſit ratione d.ſenſionis*, ſi nimirum ſtante iuſto timore concurrant ta les circumſtantię,vt non poſſit eſſe ſecurus, niſi dictus bannitus è medio tollatur ; tunc enim ſubintrat diſpoſitio Clem en. *vnica* , De *homicid.* in qua declaratur, quod occidens alium ob iuſtam, & neceſſariam defenſionem nō incurrit irregularitatem, & augmentum præmij, quod promittit occiſori,ordinatur ad propriam defenſionem, & propoſitum ipſius erit tantū inducere aliquem,vt miniſtrū iuſtitię ad homicidium iuſtum,& quod ab ipſo iuſtè peragi poteſt .

9 Vnde eum inducat ad occidendū ex cauſa priuata, non cōcurrit ad homicidium,vt miniſter iuſtitiæ, ſicut qui occidit bannitum ex cauſa priuata , non cenſetur occidiſſe tanquam miniſter iuſtitiæ , & proinde non gaudet beneficio ſtatuti concedentis , bannitum occidi,vt docent Bald. *in l. Decuriones , num.* 3. *C. Quibus ex cau.infam. irrog.* Felin.*in Cap. Si perfodiens.n.2. De homicid.* Grat.*Conſil.* 44. *num.*34. *lib.*2. Fortunius Garzia *in Repet.l.Conuentionum.num.* 14.*ff. De pactis.* Marſil. *Conſil* 9. *num.*28.& *Conſil.*10. *num.*41 & 43. Io. de Atnono *Soliloq.* 40.Girald. *Singul.* 14. *nu.* 4. & 10. alios citans,Cabal.*caſu* 274.*num.*12.Farinac. *in Praxi. Quæſt.*103 . *num.*199. Menoch. *Conſil.*1189.*num* 30. Danza *De pugna Doctor.* Tit. *de arma.t. per campan.cap.*7. *num.* 31. Quod valet,etiamſi occidat ad ſui defenſionem , quia adhuc occidit ex cauſa priuata, vt notant Coſta *Deſcient. & ignoran. iur. & fa ct. Diſt.*44.*n.*4. Danza *num.*36. *cap. modo citati .*

10 Obijci tamen poteſt, quod in dicta Clemen. *vnica*, De *homicid.* ſolum declaratur,eum non incurrere irregularitatem , qui occidit aggreſſorem, cum aliter euadere non poſſit.Bannitus autem, licet meditetur mortem , non eſt adhuc aggreſſor . Reſp. Nomine aggreſſoris venire , nedum eum , qui actu vim infert , ſed etiam, qui paratus eſt inferre, quando primum commoditas tulerit, quia minæ ſolæ, vel terror armorum faciunt aliquem aggreſſorem,vt notant Bart. *in l.*1.*§. Cum arietes. ff.Si quadrupes paup.feciſ. dic.*Florian. de S. Petro *ibid. num.* 4. Georg. *Euerhar.Conſil.*35. *num.*19. *vol.*1. Siquidem ſolus timor armorum dicitur offenſa , vt notant Gloſ. *in l. Metum* . C. Quod *metus cauſa*. Bart. *in l. De pupil.§. Si quis ipſi pratori. ff.* De *oper. no. nunc.* Bal. *in Cap.*1. Quod *metus cauſa* . Et proinde, quando iuſtè timetur , quod quis inuadat, poteſt iure naturalis defenſionis præueniri, quia licet non aggrediatur, eſt tamen aggreſſor præparatus, ſeu eſt aggreſſor quo ad animum, & præparationem aggrediendi , atque adeo vim infert , iuxta doctrinam, quam tradunt Gloſ. *in l.Si de poſſeſ.* C. *De vi* . Iaſ.*in l.*3. *nu.*9.*ff.* De *iuſt.& iure.* Imola *Conſil.*103. *vol.*1.Bald.*in Conſil.Schiſmatis.poſito in Rubr.*C.*Si quis. vbique teſt.probib.*Carrer. *in pract. crimin.* Tit. *De homicid. §. Circa tertium. num.*4. Thomas Grammat.*Conſil.*18. *num.* 2. Bart. *in l.* 1.C.*Vnde vi.* Io. Andr. *in Cap. Inſinuante.*Qui *cler vel vouen.*Abbas. *ibid.* & *in Cap.fin. not.vlt.*ver. *Sed quaro .* De *his, que vi met.cauſ. fiunt.* Zoanet.*in Repet.l.*3.*par* 2. *num.*45.*ff.*De *iuſt.& iure.* Felin. *in Cap. Suſcepimus*,De *homicidio.* Iulius Clar.*lib.*5.*ſentent.nu.*32. Boſſius *Tit. De homicid. num.*86.Dec. *in l. Vt vim. n.*35.*ff.* De *iuſt.& iure.* Rimiral. *Conſil.*44. *nu.*12. Alexan.*Conſil.* 109.*n* 4. *lib.*1. Vueſemb. *Conſil.*19.*num.*16. *vol.*1. Mynſing.*Conſ* 27.*nu.*3.4. & 7. Decad.3. Voltz. *Ad leg.Cornel.de ſicar.cap.*7. *n.*119. Obrecht. *De deſenſ. neceſſar. cap.*2. *nu.*19. Afflict. *ad Conſtit. Neapolit. par.* 1. *lib.* 1. *Rubr.*1 *t.n.*21.Sayr.*lib.*7. *Clau.reg.cap.*10. *num.* 18. ver. *Secunda eſt.* Beia *p.* 2. *Caſu* 21. Sotus *lib.*5 *De iuſt. & iure.qu.*2.*ar.*8. Petrus Nauar. *De reſt.lib.*2.*cap.*3 *nu.*349. *Leſſius lib.* 2. *De iuſt. & iure cap.* 9. *dub.*8. *num.*44. Facundez *lib.*5. *in* 5. *pracep.De.cal. cap.*6.*num.*2.

11 Accedit etiam, quod non poteſt habere locum irregularitas ex delicto; ſi quidem augens ſtipendium occidenti banni,

baunicum, à quo iuſte timet mortem ſibi inferendam, nullum committit delictum; nam inducit ad homicidium iuſtum, & iuſto modo exequutioni mandandum, quod eſt inducere ad exercendam punitiuam iuſtitiam contra malefactorem, quod eſt bonum aliquod peragere, & ideo non delinquit, quia inducat ad malum; nec etiam, quia inducendo ipſe malè agat, nam nec male agit ex fine, cum ex iuſto homicidio intendat propriam defenſionem; nec ex obiecto, quia habet pro obiecto actionem iuſtam, & iuſtè ab alio exercendam. Nec etiam irregularitas ex defectu lenitatis, quia etiam clericis non interdicitur facere aliquid, quod de iure facere poſſunt, etiamſi inde ſequatur mors infligenda per alium mediante iuſtitia, dummodo non concernant agitationem cauſæ ſanguinis, ſi quidem ipſis ſolum in erdicitur tales cauſas agitare. Cap. *Epiſcopus*. Ne *clerici, vel monachi in* 6. Vnde quando habent iuriſdictionem temporalem, poſſunt abſque metu irregularitaris delegare cauſas ſanguinis, vt *ibid.* Poſſunt iudici exhibere ſigna, vnde reus morte dignus, aut mutilatione dignoſcatur Cap. *Tua nos*. §. *Ad vltimum*. De *homicid.* Et proinde ex cauſa iuſta priuata, qualis eſt propria defenſio, ſi quis hortetur, vt iam per iudicem morti deſtinatum occidat, non contrahet irregularitatem, ſi quidem, vt deſumitur ex Cap. *Sententiam ſanguinis*. Ne *cler. vel monachi*, ſolum ij actus habent annexam irregularitatem, qui per ſe concurrunt iudiciali modo ad ſententiam ſanguinis.

An audiens iniuriam contra aliquem coram paucis prolatam, inferat iniuriam, ſi eam propalet ijs, qui non fuerunt præſentes. Quæſt. 328.

S V M M A

1 *Nouam iniuriam infert, qui coram paucis auditam alijs propalat.*
1 *In quo conſiſtat contumelia.*
1 *Contumelia eo grauior, quò plures ſunt præſentes.*
2 *Propalans verba iniurioſa auget dehonorationem*
2 *Inueniens libellum famoſum, ſi manifeſtet; cenſetur auctor.*
3 *Ad iniuriam requiritur animus iniuriandi*
4 *Si verba ſunt iniurioſa præſumuntur prolata animo iniuriandi.*
5 *Propalans iniuriam, licet non adſit animus iniuriandi, infert detrimentum.*
6 *Audiens iniuriam contra abſentem prolatam, quid ſi eam ipſi referat coram alijs.*
6 *Verba contumelioſa correptionis cauſa an ſint peccatum.*
7 *Referens abſenti iniuriam contra ipſum prolatam nullo præſente; quando ipſum iniuria officiat, & quando non.*
7 *Intereſt peccatum nocentum cognoſci, & corrigi, & læſis ſatiſfieri.*

1 NOuam *iniuriam inferre tenendum eſt*; quia infert nouum damnum quo ad honorem. Cum enim iniuria, ſeu contumelia in eo conſiſtat, quod id, quod eſt contra honorem alicuius deducatur in notitiam aliorum, vt docet D. Th. 2.2. *quæſt.* 72. *ar.* 1. *in corp.* ex eo, quod verba iniurioſa contra aliquem prolata coram paucis, propalentur ijs, qui non fuerunt præſentes, ſequitur, quod id, quod eſt contra honorem alicuius, deducatur in notitiam aliorũ, atque adeo inferatur de nouo iniuria. Vnde contumelia eſt grauior, vt notat D. Th. *citat ad* 1. quando coram multis huiuſmodi verba proferuntur.

2 Quod etiam ex eo deducitur, quia dum propalat alijs huiuſmodi verba iniurioſa, propagat dehonorationem, quã inferunt talia verba, & ideo multiplicat

etiam detrimentum honoris : vnde licet non ſit auctor horũ verborum , ſeu iniuriæ, eſt tamen propagator ipſius . & proinde eodẽ crimine tenetur iuxta id, quod de famoſis libellis ſtatuitur *l. vnica*. C. De *famoſ. libel.* nimirum, quod inueniens huiuſmodi famoſos libellos, ſi eos manifeſtet, cenſetur tanquam auctor ipſorum . ibi. *Si verò non ſtatim eaſdem Chartulas vel corruperit, vel igni cũſumpſerit, ſed vim earum manifeſtauerit, ſciat, ſe quaſi auctorem huiuſmodi delicti capitali ſententia ſubiugandum.*

3 Nec prodeſt, ſi dicatur, quod propalantur abſque animo iniuriandi, atq. adeo, quod non inferatur iniuria, quia ad iniuriam requiritur animus iniuriandi. *l. Iniuriarum. §. Si quis de honoribus. in fine.* & *l. Item apud. §. Si quis ſeruo.* & *§. penult. ff.* De iniur. & *l.* Si *non conuitij* & *l. Liberos.* cum *l. ſequent.* C. De *iniurijs.* & *l. Qui iniuriæ. ff.* De *furt.* Imo requiritur etiam dolus, vt deſumitur ex *l. Qui ſeruũ. init. ff.* De *obligat. & act.* & *l. Illud relatũ. §. 1.* & *l. Lex Cornelia. §. Si quis librum* & *l. Non ſolum. init. ff.* De *iniur.* & *§. 1. ver. Vel ſi quis, & §. Non ſolum.* Inſtit. *De iniur.*

4 Nam reſp. quod, quando aliquod verbum eſt ex natura ſua iniurioſum, cẽſetur dictum, atque adeo etiam promulgatum animo iniuriandi, niſi contrariũ oſtendatur. *l. Si non conuitij.* C. De *iniur.* vbi Gloſ. verbo. *Probare poteſt.* Bald. & communiter Doctores. & *l. Eum, qui. § Si iniuria. ff.* De *iniurijs.* & *l. Non aliter. init. ff.* De *legat. 3.* & Cap. *1. De præſumpt.* & tradunt Vueſembec. *in parat. ad ff* De *iniur. num. 8.* & *Conſil. 22. num. 29. par 1.* Socin. ſen. *Conſil. 146. num. 7.* ver. *Circa tertiam. vol. 1.* Pariſ. *Conſil. 149 num. 19.* ver. *Illud etiam certum. vol. 4.* Ludouic. Peguer. *Deciſ. crimin. 13. num. 7.* Menoch. *lib. 5. Præſum. 3 num. 47.* Clar. *lib. 5. recep. ſentent. §. Iniuria. num. 12.* Maſcard. *De probat. concluſ. 902. num. 6 vol. 2.* Sichar. *Ad l. Dolum. num. 6.* C. De *dolo malo.* Gail. *lib. 2. obſeruat. 106. num. 1.* Farinac. *in Praxi Criminal. lib. 3. q. 105. num. 17.* & communiter.

5 Et dato, quod non adſit animus inferendi iniuriam, non per hoc tamen tollitur, quia inferatur detrimẽtum quò ad honorem. Vnde, cum verba ex natura ſua ſint læſiua honoris, tenetur quiſq. hoc aduertere, & ab illorum propalatione abſtinere, aliàs ipſi imputatur, etiam ſi non interueniat dolus, aut intentio dãnificandi *l. Sed & ſi. §. 1.* & *ſequenti.* & *l. Idem iuris.* & *l. In lege. ff.* Ad *leg. Aquiliam.* & ideo non ſolum peccat mortaliter, ſi verba inferant graue detrimentum, ſed etiam tenetur ad reſarciendum damnũ iuxta regulas commutatiuæ iuſtitiæ. Quod etiam notat D. Th. *2. 2 q. 72. ar. 2. in corpore.*

6 Ex his autem colligitur, eum, qui audit verba iniurioſa coram paucis prolata cõtra abſentem, ſi ea ipſi referat coram alijs, inferre ipſi nouam iniuriam, etiam ſi non interueniat mala intentio, quia adhuc lædit honorem ipſius apud illos, qui eum referentem audiunt; nam licet non inferat iniuriam formaliter, infert tamen materialiter, quatenus infert læſionem honoris. & poteſt læſio honoris eſſe ita grauis, vt interueniat peccatũ mortale, vt notat D. Th. 2 *2. quæſt. 72. ar. 2. in corpore.* de eo, qui correptionis cauſa dicit verba contumelioſa.

7 Si verò illi ſoli, contra quem verba iniurioſa prolata ſunt, manifeſtet, attendendus etiam modus, & finis, cum quo manifeſtantur, nam ſi manifeſtantur, vt tacitem perſtringatur, non eſt dubium, quin iniuria inferatur, vt deſumitur ex *l. Lex Cornelia. §. Si quis librum.* & *§. Eadẽ pœna. ff.* De *iniur.* & tradunt Bart. *in l. Itẽ apud. §. Cui. ff.* De *iniur.* Penna *in l. Errat.* C. De *caſtrenſ. pecul.* Iaſ. *in l. Turpia. init. num. 10. ff.* De *legat. 2.* Alberic. *in tract. 2. par. ſtatut. quæſt. 10.* Ludouici. Schrader. *tract. ſeud. par. 9. cap. 4. num. 108.* Si autem manifeſtet ad eum finem, vt noſcat dãnum ſibi illatum, & in ordine ad tollendam læſionem, & inæqualitatem iniuſtitiæ, & reſtituendam debitam æqualitatem, tunc non ſolum iniuriam non inferat, ſed nec etiam peccabit, quia operabitur zelo iuſtitiæ, & charitatis; intereſt enim, quod peccata nocentum nota ſint, & corrigantur, & offenſo ſatisfiat. *l.*

Eum, qui. ff. De iniur. & famoſ. libel. Hoc tamen cum magna prudentia præſtandum, & expendendæ circumſtantiæ, an expediat manifeſtari, ne, dum vni malo mederi volumus, maius cauſemus.

An legato toto auro, & argento cenſeatur legatum moniale ex Margaritis; & quid ſi aliqua ornamenta ex auro interpoſita ſint. Quæſt. 329.

SVMMA.

1 *Legato argento, & auro, non cenſetur legatū monile ex margaritis.*
1 *Margarita contradiſtinguuntur ab auro, & argento.*
2 *In legatis attenditur ſpecies nedum naturalis, ſed etiam artificialis.*
2 *Legato argento facto, non cenſetur legatum argentum fractum, & colliſum.*
2 *Legato argento infecto, non cenſetur legatum, quod cœptum eſt fabricari.*
3 *Legato argento, & auro non debetur pecunia.*
3 *Margaritæ non veniunt appellatione gemmarum, et lapillorum.*
3 *Argumentum à minori ad maius.*
4 *Legato argento, & auro non venit monile habens oramentum auri &c.*
4 *Ornamentum cedit rei ornatæ.*

1 Legato auro, & argento *non eſſe legatas margaritas, ex quibus cōficitur monile, aut quid aliud ſeorſim ab alio,* omnino certum eſt. Quia nomine auri, & argenti non veniunt, quæ ſunt diuerſi generis, quales ſunt margaritæ; vnde paſſim in iure margaritæ contradiſtinguuntur ab auro, vt in *l. Si quis legauerit. ff. De auro argento &c. legatis.*

2. Quod amplius ex eo concluditur, quod in legatis attenditur ſpecies rei legatę non ſolum naturalis, ſed etiam artificialis, ita vt legatum nō excedat illam ſpeciem: vnde legato auro; & argento facto, non cenſetur legatum fractum, & colliſum *l. Quintus Mucius* §. *Cui aurum. ff. De aur. et argent. leg.* Et legato argento in fecto, non comprehenditur ſub appellatione ipſius argentum, quod cœptum eſt fabricari *l. Et ſi non ſunt.* §. *Infecti autem ff. eodem.* & ſimilia alia exempla habentur in illo *tit.*

3 Rurſus ſi relinquatur alicui titulo legati aurum, & argentum, non debetur ipſi pecunia ſiue aurea, ſiue argentea, vt decernitur in *l. Cū aurū.* & *l. Quintus Mucius.* §. *An cui. ff. De auro, et arg. leg.* & notāt Dec. *Conſil. 381. n. 1.* Alciat. *in l. Singularia num. 15 ff Si cert. pet.* Plus autem diſtant margaritæ ab auro, & argēto, quā pecunia aurea diſtet, vel argentea. Similiter margaritæ non veniunt appellatione gemmarum, aut lapillorum, & tamē ab ipſis minus diſtant, quàm ab auro, & argento. *l. Et ſi nō ſunt.* §. *Margaritas. ff eodem.* Si ergo legato auro, et argento non debetur pecunia, et legatis gemmis, et lapillis non debentur margaritæ, multo minus legato auro, et argento debebuntur margaritæ; valet enim argumentum à minori ad maius Authent. *Multo magis. C. De ſacroſanc. Eccleſ.* et declarat Euerat. *in Topica loco 65.*

4 Sed quid, ſi dictum monile conſtās ex margaritis habeat aliquid auri intermixtum? Reſp. neq. adhuc contineri ſub legato auri, et argēti; quia huiuſmodi aurum non trahit monile, vt veniat nomine auri, ſed debetur pro ornamento ipſi ſuperaddito ſo ornamentum namque cedit rei, quæ ornatur *l. Et ſi non ſūt.* §. *Peruenıamus.* et §. *ſequenti.* et § *Auro legato.* et *l. Cum aurum.* §. *Simili modo. ff. De auro, et argent legat.*

An regulares poſſint acceptare Epiſcopatum abſq. licentia ſuorum Prælatorum. Quæſt. 330.

SVMMA.

1 *Priuilegium, quod Regulares non poſſint acceptare Epiſcopatum abſq. licentia ſuorum ſuperiorum.*
2 *Hoc priuilegium non habet locum, quando Epiſcopatus confertur à Summo Pontifice.*
2 *Poſtulatio ſi ab inferiori apud ſuperiores.*
2 *Verbum ſubſequens declarat antecedens.*

Qua

3 *Quæ prohibeat Pontifex in dicto priuilegio.*
3 *Regula relatiuorum eſt regula parium.*
4 *In omni diſpoſitione, et ſermone generali non comprehenditur perſona loquentis.*
5 *Religioſus præſentatus ad Epiſcopatum ab aliquo Principe, poteſt conſentire ſine licentia ſuorum ſuperiorum.*
6 *Poſtulatio eſt de perſona ineligibili.*
6 *Priuilegia non ſunt extendenda vltra verborum ſignificationem.*
6 *Non extenduntur vltra ſenſum verborum*
6 *Nec vltra ea quæ diſertè expreſſa ſunt.*
7 *Summus Pontifex ſummus Generalis omnium religionum.*
8 *Cur Religioſus non poſſit aſſumi ad dignitatem extra religionem ſine conſenſu ſuperiorum, niſi à Summo Pontifice.*
9 *Priuilegium, quod religioſus non poſſit aſſumi ad dignitatem extra religionem &c. quid concedat.*

---

1 NEgatiuam ſententiam tradunt Io. à Cruce *lib.* 1. *De Statu relig. cap.* 6. *dub.* 7. *concluſ.* 5. Lezana *tom.* 5. *Sum. ſeu in Mari Magno Carmelit. num.* 480. ex Priuilegio Alex. IV. conceſſo Miniſtro Generali Ordinis Minorum apud Rodriquez *Conſtit. IV. huius Pontificis* vbi ita habetur. *Auctoritate præſentium de ſpeciali gratia inhibemus, vt nulli præfati Ordinis Fratres, ſi eos in Epiſcopos eligi, aut poſtulari contigerit, electioni, ſeu poſtulationi de ſe factæ audeant conſentire, nec alius Archiepiſcopus, ſeu quicunq. alius prælatus, vel etiã legatus Sedis ipſius, niſi fuerit Cardinalis, di tos Fratres, niſi tua, vel ipſorum Fratrum Prouincialium Miniſtrorum, qui pro tempore fuerint, licentia, & aſſenſu, aut Sedis Apoſtolicæ eiuſdem ſpeciali mandato ad Epiſcopatus, vel alias dignitates extra dictum Ordinem aſſumere, vel Ordinare præſumant. Nos autem decernimus irritũ, & inane, quicquid contra inhibitionem huiuſmodi à quibuſcunq. contigerit attentari.* Et Io. à cruce *citat.* aſſerit in Conſtitutionibus Prędicatorum *lib.* 2. *cap.* 13. *in gloſ.* haberi, quod tres Summi Pontifices idem conceſſerint Ordini Prædicatorum.

2 Verum non obſtante dicto priuilegio tenendum eſt, quod *Regulares non indigeant licentia ſuorum Prælatorum pro acceptando Epiſcopatu, quando ipſis confertur à Summo Pontifice.* Quod conſtat ex tenore dicti priuilegij, ſi rectè ponderētur verba ipſius. Procedit enim priuilegium, quando contingit Regulares *Eligi, aut poſtulari* ad epiſcopatus, et proinde procedit de electionibus, et poſtulationibus, quę fiunt ab inferioribus, quales olim ſolebant fieri à Capitulis Cathedralium. Poſtulatio namq. fit ab inferiori apud Superiorem, et proinde intelligitur etiam de electione facta ab aliquibus inferioribus Papa. verbum enim *Poſtulare* ſubſequens ad verbum *Eligere* declarat, de quanam electione intelligat Pontifex, et coarctat ad electionē, quæ fiat ab ijs, à quibus etiam fit poſtulatio. *l. Vtrum. ff. De petit. hæred.* et *l. Qui filiabus. init.* et *l.* Si *ſeruum.* §. *fin. ff. De legat.* 1. et notant Imola *Conſil.* 85. *init.* Caſtrenſ. *Conſil.* 74. vet. *Tertia regul. lib.* 2. Roman. *Conſil.* 328. *nu.* 5. *ver. Tertiò.*

3 Rurſus ex verbis ſubſequentibus dicti priuilegij hoc ipſum deſumitur. Duo enim ibi prohibet Pontifex. Primũ, quod fratres Minores non poſſint aſſentiri ſine licẽtia ſuorum Prelatorum electioni, aut poſtulationi de ſe factæ in ordine ad Epiſcopatus. Alterũ, quod non poſſit quis abſque dicta licentia, etiam ſi ſit legatus Sedis Apoſtolicæ, dũmodo non ſit Cardinalis, eos aſſumere ad Epiſcopatus, vel aliàs dignitates extra religionem. Cum ergo aſſumi, et conſentire electioni, vel poſtulationi ſint correlatiua, et prohibitio Pontificis dirigatur ad vtrumq. correlatiuum, non debet eſſe magis ampla in vno, quàm ſit in alio Regula enim correlatiuorum eſt regula parium. *l. Iulio.* §. *Si procurator ff. De act. emp* et declarat Bertazzol. *in Repet l. Si quis maior. nu.* 801. C. De *tranſact.* Et ſi excipit Cardinalem legatum, à fortiori dicendum eſt, quod Pontifex non intelligat de aſſumtione, quæ per ſe ipſum fit.

4 Addo etiam, quod licet Pontifex abſolutè conceſſiſſet, quod non poſſit quis aſſumi ad Epiſcopatum abſq. ſuorũ Prælatorum licentia, neque adhuc priuilegium haberet locum, quando quis aſſumeretur à Summo Pontifice. In omni enim diſpoſitione, et ſermone generali non comprehenditur perſona loquentis

Cap. *Quiſquis*, De *praben*. & *l. Inquiſitio*. C. De *ſolut.* vbi Cinus & alij Doctores. Ruin. *Conſil*.42.*num*.15 *lib* 4. & *Conſil*. 83.*circa fin*.*lib*.5. Brunus *Conſil* 35.*n*.16. Alexan.*in l.Frater à fratre*.*num*.7.*ff* De *condit.indeb*. Barbat.*Conſil*.32.*lib*.4. Bald. *in l.Cum acutiſſ*.*num*.6.C.*De fideicom*. Alciat. *De præſump reg*.1.*Præſump*.27. Tiraquel.*De pœn.leg.&c.Cauſa* 51.*nu*.79. qui alios citat. Menoch.*lib*.3.*Prǽſump*.44. Gozadin.*Conſil* 76.*n*.14.& *Conſil*.101.*n* 20. Natta *Conſil*.44.*n*.2.*lib*.1. Rolan. à Valle *De lucro dot.q*.84. Surd.*Conſil*.47.*num*.90. Phanut.*De lucro dot.Gloſ*.1.*in fine*. Mancin *par*.4.*De iuramen.effec*.196.*n*.10. Et proinde ſolum intelligeretur de electionibus, & poſtulationibus, quæ ab alijs fieri poſſent.

5 Maior difficultas eſt, an ſtante dicto priuilegio ſit neceſſaria licentia Prælatorum regularium, quando religioſus ab aliquo Principe præſentatur Summo Pontifici. Nō procedit autem difficultas de licentia pro conſenſu in electionem, quando Summus Pontifex admittit præſentationem, quia quò ad hoc militat eadem ratio allata. Sed pro conſenſu in præſentationem. Et negatiuè reſoluendum puto. primo quidem, quia praxis obtinuit, vt talis licentia non petatur.

6 Deinde allatum priuilegium loquitur tantum de conſenſu in electionem, vel poſtulationem, non autem de præſentatione; quæ cum non ſit electio, vt per ſe conſtat, nec etiam poſtulatio, ſiquidem poſtulatio eſt de perſona ineligibili Cap. 3. §. *Adpendentes*. De *poſtulat. Prǽlat*. Abbas *in Rubr*.*n*.2. Io.Andr. *in Cap*.2.*num*. 8. ver. *Sed melius*. *eodem* Tit. Lotter. *De re beneſ.lib*.3.*q*.17.*n*.221. atq. adeo eſt ab ijs, qui aliàs poſſent eligere. Priuilegia autem non ſunt extendenda vltra verborum ſignificationem, quia vltra ipſam generaliter non fit extenſio *l.Non aliter*.*ff* De *legat*.3.& *l*.1.§.*Si is, qui nauem*.*ff*. De *exer.act*.& *l*. *Proſpexit*.*ff*. Qui, *& à quib*.& docent communiter Tiraquel. *in l.Si vnquam.verbo. Libertis*.*nu*. 45.C.De *reuocan.donat*. alios citans. Suarez *lib*.6.*de legib*.*cap*.1.*n*.7 Salas *diſp*.21.*de legib*.*ſect*.3.*n*.4. Azor.*par*.1.*lib*.5.*cap*.16.*q*.9. Rodriquez *tom*.1. *Quęſt regular*.*quęſt*. 11. *ar*.6. ver. *Tertia regula*. Et in priuilegijs verba non operantur pluſquam ipſa ſonant, & proinde reſtringuntur ad ſenſum verborum Cap. *Ex tuarum*. De *auct: et vſu pal*. Alexan. *Conſil* 86.*n*.2.*lib*.1. Seraph. *Deciſ*.605.*n*.3. Franc.*in Cap.Valentes n*.2.*De priuil.in* 6.& in Cap. *Per exemptionem*. *n*. 5. *eod.tit*. Iaſ.*in l*.1.*n*.4.*ff*. De *conſtit.Princip*. Rota *Deciſ*.324.*n*.12.*par*. 5. *Recent*. Et proinde non extenduntur vltrà ea, quæ diſertè expreſſa ſunt *l.Si non ſortem*.§.*Libertus*.*ff*.*De condit.indeb*.& Cap. *Cum Capella*. De *priuileg*. & notant Caballin.*De euict*.§.*Vt emp.ag.poſ*.*n*.104. Mūdius *Conſil* 33.*n*.5.*vol*.2.

7 Ratio autem eſt, quia cum huiuſmodi præſentatio fiat ad Summum Pōtificem, & non poſſit habere effectum aliquem, niſi ipſe eam admittat, eſt quædam tacita petitio licentiæ pro conſenſu religioſi, & ideo quando religioſus prius conſentit præſentationi de ſe faciendæ, cenſetur conſentire pro illa tacita impetratione licentiæ, ſi quidem cenſetur cōſentire in totum id, quod importat illa præſentatio. Quando autem Pontifex annuit præſentationi, cum approbet totum factum, cenſetur etiam concedere facto ipſo omnes licentias neceſſarias. Quia cū ſit ſummus Prǽlatus omniū religionum, vt notant Suarez *tom*.4 *De relig*.*lib*.3.*cap*.17.*n*.1. Rota *Deciſ*.461.*nu*. 5. *par* 5. *Recent*. etiam attenta regulari diſciplina, diſponens aliquid circa religioſos, cenſetur concedere omnes facultates requiſitas ad illum effectum.

8 Imo quando religioſus eſt aſſumendus ad aliquam dignitatem extra religionem à Summo Pontifice, ex natura rei non eſt neceſſaria licentia ſuorum Prælatorum, etiam ſi aliàs ſit neceſſaria. Ideo enim eſt neceſſaria, quādo aſſumitur extra religionem, quia religioſus ſe tradidit religioni per profeſſionem, nec habet velle, & nolle ad ſe ſubtrahendum ſeruitio religionis, vt deſumitur ex Cap. *Si Religioſus*. De *elect.in* 6 hoc autem nō militat reſpectu ſummi Pontificis, cum habeat plenum ius ſupra religiones, atq. adeo nō indigeat conſenſu ſuperiorum,

vt poſſit ſubtrahere religioſos ſeruitio ipſius.

9 Ex his colligitur, quod in præfato priuilegio nihil amplius conceditur, quã ſancitum antea fuerit à Bonifacio VIII. in dicto Cap. *Si religioſus.* De electione in 6. Ibi enim Pontifex declarat, quod non poteſt religioſus conſentire electioni ad prælationem aliquam extra religionem ſine licentia ſuorum ſuperiorũ; & ſi abſque ipſa conſentiat, in pœnam præſumptionis irritat conſenſum, & electionem ipſo facto. Et hoc ex natura rei eſt neceſſarium; nam, cum religioſus per profeſſionem ſe tradiderit in manus religionis, & illius ſeruitio ſe addixerit, non poteſt amplius abſque ſuperiorum facultate ſe ſubtrahere, ſe addicendo alicui muneri extra religionem, niſi ab eo aſſumatur, qui habet plenam poteſtatem ſupra eamdem religionem. Vnde prædictum priuilegium eſt ex illis, quæ non concedunt nouam poteſtatem, aut actionem, quæ iure communi non concedatur, ſed tantum nouum modum, ac ſpecialem titulum, vt notant Suarez *lib. 8. de legib. cap. 22. num. 3.* Merolla *tom. 3. theol. moral. diſp. 6. cap. 6. dub. 1 n. 3.*

An regulares poſſint independenter à ſuis ſuperioribus vti priuilegijs ſingularibus perſonis conceſſis à Summo Pontifice. Quæſt. 331.

S V M M A.

1 *Religioſi poſſunt vti priuilegijs omnibus, & ſingulis conceſſis independenter à ſuis ſuperioribus.*

2 *Quid, ſi in religione adſit ſpecialis conſtitutio in oppoſitum.*

2 *Pontifex concedendo priuilegia non præſumitur velle derogare conſtitutionibus religionis, & n. 7.*

3 *Conſtitutio, quod religioſi non vtantur priuilegijs ſibi conceſſis à Pontifice ſine licentia ſuperiorum, an ſubſiſtat. & quid ſi ſit confirmata à Summo Pontifice. n. 4. & 5.*

3 *Inferior non poteſt modificare, quæ fiunt à ſuperiori.*

4 *Confirmatio in forma communi non dat ius de nouo, ſed antiquum fouet, nec inualidis dat valorem.*

5 *Confirmatio in forma ſpecifica non ſe extendit ad inualida.*

6 *An religio poſſit renunciare priuilegijs omnibus, & ſingulis conceſſis abſque conſenſu omnium, & ſingulorum.*

6 *Quod noſtrum eſt, ſine facto noſtro auferri non poteſt.*

8 *Superiores religionis, & Capitulum Generale an poſſit limitare vſum priuilegiorum omnibus, et ſingulis conceſſorum.*

8 *Veritas præualet præſumptioni.*

1 Pars *affirmatiua tenenda eſt*, quam tradunt Horat. Mandoſ. *De priuileg. ad inſtar. gloſ. 7. num. 38.* Merol. *tom. 3. Theol. moral. diſp. 6. cap. 3. dub. 11. n. 157.* Quia cum priuilegia ſint conceſſa ſingulis regularibus à Summo Pontifice, ſinguli acquirunt ius ad illorum vſum immediatè ab ipſo Pontifice, atq. adeo independenter à ſuperioribus religionis, quia hi tanquam inferiores non poſſunt ſe ingerere circa conceſſiones Summi Pontificis factas proprijs ſubditis. Clem. *Ne Romani.* De elect.

2 Limitat Merolla *citat.* allatam doctrinam. Niſi in religione adſit ſpecialis conſtitutio, qua diſponatur, vt non poſſint ſingulares perſonæ vti huiuſmodi priuilegijs abſq. conſenſu ſuorum prælatorum. Quia Pontifex per generalem cõceſſionem priuilegiorum non præſumitur velle derogare ſpecialibus conſtitutionibus religionis. Cap. *Si propter.* De reſcript. & tradunt Horat. Mandoſ. *De priuileg. ad inſtar. gloſ. 8. n. 4.* Rodriquez *tom. 1. Quæſt. Regul. quæſt. 55. ar. 22.* Suarez *lib. 8. de legib. cap. 17. n. 3.* Porrel. *in Dub. Regular. verbo.* Communicatio priuileg. *n. 8.*

3 Sed hæc limitatio non poteſt ſubſiſtere. Quia huiuſmodi conſtitutio eſſet directè contra ius Summi Pontificis, ſi quidem impediret, ne fauores ipſius conſequerentur ſuum effectum, niſi dependenter ab aliena voluntate, & ſuperiores regulares iudicarent de conceſſionibus Summi Pontificis, & de priuilegijs ab

Apoſ-

Apoſtolica Sede conceſſis, ſi quidem decernerent, an eſſet exequutioni mandāda, an non, contra tex Cap. *Cum veniſſent. De iudic* & proinde talis conſtitutio non ſubſiſteret, vt potè non ſundata in debita iuriſdictione, & poteſtate. Et ſicuti prouincialis, aut Superiores locales, non poſſunt impedire, ne ſubditi fruantur gratijs conceſſis à Generali, aut Capitulo generali, quia tanquam inferiores non poſſunt præualere contra volunta. ſuperiorum, ita nec etiam Prælati regulatium, cum ſint inferiores Pontifice, poſſunt ſubditis ſuis prohibere, ne fruantur gratijs ab ipſo Summo Pontifice conceſſis. Quia inferior nec etiam modificare poteſt, quæ fiunt à Superiori, vt notant Federic. de Senis *Conſil.* 12. *num.* 2. ver. *Item videtur.* Oldrad. *Conſil.* 159. *nu.* 6. ver. *Tamen ad iura.* Tuſc. *littera I. cōcluſ.* 119. *n* 10. Surd. *Conſil.* 558. *n.* 3. Giurb. *ad Conſuet. Meſſanen cap* 2. *Gloſ.* 1. *n.* 20.

4 Quod locum habet, etiam ſi conſtitutiones religionis ſint confirmatæ à ſūmo Pontifice in generali, ita vt dicta cōſtitutio claudatur ſub confirmatione generali; nam huiuſmodi confirmatio generalis eſt confirmatio in forma communi, quæ, cum nullum ius de nouo cōferat, ſed tantum antiquum conſeruet, & foueat, nec etiam inualidis tribuit valorem, ſed relinquit in ſua nullitate Cap. *Quia diuerſitatem.* De *conceſſ. præben.* & Cap. *Ex parte.* De *priuilegijs.* & Cap. *Cū dilecta.* §. *Nos igitur.* verbo. *Nolentes.* De *confir. vtili, & inut* & Cap. *Intentionis.* De *priuileg.* & Cap *Inter dilectos.* §. *Cæterum. De fide inſtrument* Et ideo cum dicta cōſtitutio ex ſui natura ſit inualida defectu poteſtatis, relinquetur in ſua inualiditate.

5 Imo etiam ſi conſtitutiones confirmatæ ſint ex certa ſcientia, & in forma ſpeciali. Quando enim confirmantur ex certa ſcientia plura ſimul ſtatuta, ſeu cūſtitutiones, tunc confirmatio refertur tātum ad valida, non autem ad inualida, vt probat tex. Cap *Dudum.* §. *Nos igitur.* De *decimis.* vbi deciditur confirmationē Pontificis factam ſuper donatione cuiuſdam Hoſpitalis cum decimis ad ipſum pertinentibus ſubſiſtere tantum quò ad donationem Hoſpitalis, non quò ad decimas, quia fuit nulla; & tamen dicta cōfirmatio fuit ex certa ſciētia, & in ſpecie, quia fuit ſuper re vna, & determinata, & expreſſa in ipſa confirmatione. & ita notant Butr. per hunc tex. *ibid. n.* 15. Alexand. *Conſil.* 39. *n.* 10. *vol.* 4. Cabedo *Deciſ.* 3. *n.* 5. *par.* 2. Surd. *Conſil.* 47. *nu.* 19. Tuſch. *Littera C. concluſ.* 340. *n.* 42. Rota *Deciſ.* 11. *n.* 3. *par.* 2. *Recent.* Si autem talis conſtitutio in ſpecie, et ſeorſim ab aliis eſſet confirmata, quia ex ſe non haberet aliquem vigorem, et eſſet contra ius cōmune, haberet rationem priuilegii, quo Summus Pontifex concederet tali religioni, ne priuilegia Pontificia poſſent reduci ad praxim ſine conſenſu ſuperiorum.

6 Ex quibus deducitur. Quod ſi aliqua religio etiam in Capitulo generali renunciaret aliquibus priuilegijs Pontificijs, adhuc ſubditi poſſent ijs vti, ſi eſſent conceſſa omnibus, & ſingulis, neq. ſubſiſteret renunciatio. Cum enim per talem conceſſionē omnes, & ſinguli acquirant ius ad vſum priuilegiorum, atq. tale ius non ſubijciatur ſuperioribus religionis, vt pote conceſſum à Summo Pōtifice, atque adeo foueatur voluntate ipſius, non poteſt Capitulum generale tollere tale ius, ſicut non poteſt ire contra voluntatem Summi Pontificis. Et quamuis poſſit quiſque fauori ſuo renūciare, non tamen valet renunciatio, niſi ab omnibus, & ſingulis fiat, cum agatur de eo, quod ad omnes, & ſingulos pertinet iuxta regulam Cap. *Quod omnes.* De *regulis iur. in* 6. et *l. Si per fundum. ff.* De *ſeruit. ruſt præd.* & *l.* 1. et *l. fin.* C. De *auct. præſt.* et *l. Nam ita diuus. ff* De *adop* Quia nimirum, quod noſtrum eſt, ſine facto noſtro auferri non poteſt *l. Id. quod noſtrum. ff.* De *re iudic.*

7 Neque obſtat, quod pro ſua limitatione affert Merolla ſupra *num.* 2. Nam quando dicitur, quod Pontifex per conceſſionem priuilegiorum non præſumitur velle derogare conſtitutionibus religionum, intelligitur de ijs conſtitutionibus, quæ concernunt bonum ſtatum religio.

igionis, & rationabiles ſunt, & validæ, atq; adeo in ſufficienti iuriſdictione ſundatæ. non autem de ijs, quæ nullæ ſunt, & excedunt facultatem religionis præcipuè ſi tangant ius ſummi Pontificis; nam hæ ex natura ſua corrũut, & proinde nō poſſunt impedire effectum priuilegij, atque cenſentur ſtatim reiectæ ab ipso Pontifice, cum per ius communi reijciantur.

8 Hinc autem fit, quod nequeant Superiores religionis, aut etiam Capitulum Generale limitare, aut reſtringere vſum priuilegiorũ, ſi omnibus, & ſingulis conceſſa ſint cōtra id, quod docent Mirand. *in Manual. tom. 2. quæſt. 43. ar. 4.* Portel. *in dub. regul. verbo.* Priuilegium *num. 7. 8.* Rodriquez *tom. 1. quæſt. regul. quæſt. 17. ar. 5.* Lezana *tom. 1. Sum. cap. 18. num. 56.* Neque valet ratio in oppoſitum, quod non ſit præſumendum, quod Pontifex vt zelator obſeruantiæ regularis velit, quod ſubditus vtatur priuilegijs contra voluntatem ſuperiorum; quia cum veritati cedat præſumptio *l. Nuptura. ff.* De *iure dot.* & *l. Cum de ind bito. ff.* De *probat.* & conſtet de voluntate Pontificis, quod ſubditi habeant proprium ius ad vſum priuilegiorum, dum omnibus, & ſingulis concedit, atque adeo perſonaliter, non eſt inducenda præſumpta voluntas cōtraria; præſertim, quia non eſt cōtra regularem obſeruantiam, quod ſubditus vtatur gratijs maiorum ſuperiorum independente, & contra voluntatem minorum, cum minores debeant ſe conformare maioribus, non minus, quàm ſubditi immediatis ſuperioribus.

Nec priuilegia ſunt contra regularem diſciplinam, ſi non contineant abuſum.

An priuilegium conceſſum aliquibus, quod ſubditi non poſſint vti priuilegijs Pontificijs abſque licentia ſuorum ſuperiorum, ſe extendat ad omnia priuilegia. Quæſt. 332.

S V M M A

1 *Priuilegium, quod ſubditi non vtantur priuilegijs ſine conſenſu ſuperiorum reſpicit conceſſa.*
2 *Non extenditur ad concedenda.*
2 *Communicatio priuilegiorum ſe extendit tantum ad conceſſa.*
3 *Priuilegia nondum conceſſa, non poſſunt reſtringi aut modificari.*
3 *Conceſſio priuilegij ad inſtar non ſe extendit ad futura.*
4 *Diſpoſitio reſtringitur ad tempus præſens.*
4 *Legato auro, intelligitur de eo, quod exiſtit teſtamenti tempore.*
5 *Quid, ſi dictum priuilegium loquatur etiam de concedendis.*
5 *Vltima voluntas præualet.*
5 *Vltima derogant prioribus.*
6 *An præſumendum, Pontificem non derogare dicto priuilegio concedendo omnibus & ſingulis. &c.*
7 *Secundum priuilegium ſpeciale derogat generali, etiamſi non faciat de ipſo mentionem.*
7 *Cauſa ſpecialis eſt potentior generali.*
8 *Quando concurrunt duo priuilegia, quodnam præualeat.*

1 QVod ſe extendat ad omnia priuilegia conceſſa, nulli poteſt eſſe dubium; quia etiam ſi conceſſa ſint omnibus, & ſingulis, ita vt ſinguli habeant proprium ius pro vſu ipſorũ, attamen, quia Summus Pontifex poteſt reuocare dicta priuilegia, poteſt etiã à fortiori modificare vſum ipſorum, & facere, quod ſit dependens à voluntare prælatorum regularium. Solũ difficultas eſt, an huiuſmodi priuilegium ſe extendat ad priuilegia concedenda.

2 Et *negatiuè reſpondendum eſt*, iuxta illorum doctrinam, qui volunt, quod quando Pontifex concedit communicatio-

tionem priuilegiorum, talis conceſsio ſe extendat ſolum ad priuilegia conceſſa, non autem ad concedenda in futurum. Ita Horat. Mandoſ. *De priuileg. ad inſtar gloſ.* 14. *num.* 7. Suarez *lib.* 8. *de legib. c.* 15. *num.* 3. & alij.

3 Ratio autem eſt, quia dictum priuilegium continet modificationem aliorum priuilegiorum, & reſtrictionem ipſorum, ſi quidem reſtringit vſum, vt non ſit liber vnicuiq; ſed dependeat ab aliena voluntate. modificatio autem, & reſtrictio dicit ordinem ad id, quod iam exiſtit, quia cum non entis nullæ ſint qualitates *l. Pomponius.* 6. *fin. ff.* De acquiren. *poſſeſs.* quod non eſt, non, poteſt recipere qualitatem modificationis, & reſtrictionis. Hinc communiter docent, quod conceſſio priuilegiorum ad inſtar non ſe extendit ad futura, quia eſſe ad inſtar ſupponit exiſtere id, ad cuius inſtar ſit. Ita Bald. *in l. Omnia*, C. De Epiſcop. *& cler.* Panot. *in Cap. fin. n.* 5. Ne *clerici, vel Monachi*. Afflict. *in Cap. vnicum. verbo* Portus. *num.* 6. Quæ *ſint regal.* Alexan. *in l.* 1. *ff* De *legat.* 1. Corſet. *in Sing. verbo. Meus.* circa init. Mandos. *De priuileg. ad inſtar. gloſ.* 14. *num.* 10. *quæſt.* 9.

4 Quod inſuper confirmatur. Quando aliquid de præſenti tempore diſponitur, ex natura diſpoſitionis fit reſtrictio ad tempus præſens, ita vt comprehendat, quæ tantum de præſenti ſunt. *l. Si ita eſſet. ff.* De *duro arg nto & c. leg.* vbi ſi quis legat aurum, intelligitur de eo, quod exiſtit teſtamenti tempore, niſi aliud addatur. ibi. *Id legatum videtur, quod teſtamenti tempore fuiſſ t, quia præſens tempus ſæpe intelligeretur ſi aliud comprehenſũ non eſſet*, ergo quando conceditur, ne quis vtatur priuilegijs abſq; licentia ſuorum ſuperiorum intelligitur de ijs, quæ de præſenti habent, non autem de futuris.

5 Maior difficultas eſt, ſi dictum priuilegium loquatur ne dum de priuilegijs conceſſis, ſed etiam de cõcedendis. Quo non obſtante; adhuc exiſtimo, poſſe ſubditos vti priuilegijs conceſſis poſt dictũ priuilegium, ſi omnibus & ſingulis conceſſa ſint. Ratio autem eſt, quia voluntas Pontificis eſt efficax circa conceſſionem priuilegii, atque adeo habet vim ipſum perducedi cum effectu ad ſtatum perfectum, & conſumatum, atque adeo ad conferendum ius omnibus, & ſingulis expeditum pro vſu ipſius, ſi quidem ad omnes, & ſingulos dirigitur, & ſolum reperit obſtaculum voluntatis ſui prædeceſſoris, quod huiuſmodi ius non ſit expeditum, niſi accedat conſenſus Prælatorum regularium. Hoc autem obſtaculum vincitur ab efficacia concedentis, quia cum ſit æqualis poteſtatis, & poſſit auferre, quæ ex voluntate illius ſubſiſtũt, corruunt quæcunque obſtant voluntati efficaci ipſius, quia cum ſint voluntates contrariæ, præualet vltima, vt notãt Abbas *Conſil.* 94. *num.* 3. & 4. *lib.* 2. Tuſch. *littera C. concluſ.* 1011. Scaccia *De commer.* § 6. *gloſ.* 1. *num.* 77. Robles de Salzedo *lib.* 2. *De repræſent. cap.* 28. *num.* 28. Et quia ſemper vltima derogant prioribus *l. Sed & ſi poſterioris. ff.* De *legib.* & *l. Si vnus.* §. *Pactus, ne peteret. ff.* De *pactis.* & *l. Pacta nouiſſima.* C. De *pactis*.

6 Dices. Nõ præſumi, quod ſummus Pontifex concedendo. aliquod priuilegium velit derogare prædicto priuilegio: & proinde præſumi, quod concedat cum illa dependentia à ſuperioribus regularibus, quam poſuit eius prædeceſſor. Hoc tamen non poteſt ſubſiſtere; quia habetur expreſſa voluntas efficax, & abſoluta Pontificis concedentis priuilegium direc tũ ad omnes, & ſingulos, atque adeo ponens in omnibus, & ſingulis abſolutè, & efficaciter ſuum effectum, ergo non poteſt præſumi, quod ponat cum dependẽtia à voluntate ſuperiorum regularium, quia preſũptio nõ habet locũ, quãdo cõſtat de veritate. *l. Nuptura filio. ff.* De *iure dot.* & *l. fin. init. ff.* Quod *metus cauſa*. & *l. Cum de indebito. ff.* De *probat.* Hic autem conſtat de voluntate abſoluta, & efficaci Pontificis, quod omnes, & ſinguli fruantur tali priuilegio.

7 Et hoc ex eo quoque confirmatur, quod ſecundum priuilegium ſpeciale derogat priori generali, etiam ſi de ipſo non fiat aliqua mentio, vt tradunt Abbas *in Cap.* 1. *n.* 10. De *reſcrip.* Barbat. *ibid. n.* 35.

Felin.

Felin. *n.* 3. Ripa *nu.*49. Aretin.*Conſil.*76. *nu.*4. Dec. *Conſil.*147. *nu* 4. ver. *His præmiſſis*. Et deſumitur ex dicto Cap. 1. *De reſcrip.* & Cap. *Quamuis.* 2. & Cap. *Dudum* §. *Nos igitur.* De *præben in* 6. vbi notanda illa verba. *Conſiderantes quoque, quod nos expoſito nobis de poteſtate prædicta nihilominus litteras gratioſas daremus in dictis partibus non habita mentione de ipſa, quia foret abſurdum, ſi tam lata noſtra impediretur poteſtas; & ſi in omnibus prouiſionum noſtrarum litteris, quas concederemus in partibus ſupradictis, oporteret, nos de ſupradicta poteſtate ſpecialem facere mentionẽ.* Ratio autẽ eſt, quia cauſa ſpecialis eſt potentior generali. *l. Si ſeruis vrbanis.* §. *fin. ff.* De *legat.* 3. Priuilegium autem, quod quis nõ vtatur priuilegijs Põtificijs, eſt priuilegiũ generale, & habet cauſam generalem, nẽpe volũtatem generalem, quæ generaliter facit vſum priuilegiorũ dependentem à voluntate ſuperiorum, quando autem Pontifex concedit de nouo aliquod priuilegium omnibus, & ſingulis, eſt priuilegium de aliquo ſpeciali actu, atque adeo ſpeciale priuilegium, & habet cauſam ſpecialem, nempe voluntatem ſpecialem de actu ſpeciali, vnde debet præualere, & derogare generali, etiam ſi de illo non fiat mentio. Et ideo non poteſt præſumi, quod ſummus Pontifex cõcedat cum eadem dependentia, imo quod prædicto priuilegio quò ad hoc deroget, vt habetur ex hucuſque allatis, & præſertim ex teſtib. *citatis*.

8 Hinc quando concurrunt duo priuilegia, illud præualet, quod eſt magis ſpeciale, vt tradunt Dec. *in Cap.* 1. *num.* 7. ver. *Eſſet tamen.* De *reſcrip.* Ripa *ibid. n* 65. & 67. Beroius *num.* 49. rurſus Dec. *Conſil.* 147. ver. *Non obſtat.* Bald. *in l. Hac cõſultiſſima n.* 1. ver *Tu vero.* C. Qui *teſtam. fac. poſ.* Bart. *in Extrauag. Ad reprimendam. verbo.* Non obſtantibus. *num.* 9. Iaſ. *Conſil.* 12. *num.* 13. *lib.* 3. Ruin. *Conſil.* 98. *num* 4. *vol.* 4. Menoch. *lib.* 6. *Præſumpt.* 40. *num.* 21. Giurba *Conſil. crimin.* 65. *nu.* 41. Syluester *verbo.* Priuilegium. *qu.* 10. Moneta *de commut. vltim. volun. cap.* 8. *n.* 129. Suarez *lib.* 8. *De legib. cap.* 39. *nu.* 7. Quia nimirum ſpecies derogat generi quò ad illam ſpecialem partem, quæ contrariatur ſpeciei *l. In toto iure ff* De *reg. iur.* & Cap. 1. *De regul. iur. in* 6. Cum igitur priuilegium conceſſum omnibus, & ſingulis concedat ius ſpeciale independenter à quocunque ad aliquem actum, derogabit priuilegio, quod generaliter facit vſum priuilegiorum dependentem ab alio.

An in generali communicatione priuilegiorum veniat priuilegium conceſſum alicui religioni, quod ſubditi nequeant vti priuilegijs Apoſtolicis ſine conſenſu ſuorum ſuperiorum. Quæſt. 333.

SVMMA

1 *In communicatione priuilegiorum non venit priuilegium, quod ſubditi, nequeant vti priuilegijs ſine conſenſu ſuperiorum.*

1 *Communicatis priuilegijs non communicatur reſtrictio, quæ fit intuitu alicuius religionis.*

2 *Quod ſubditi non poſſint vti priuilegijs &c. non eſt verum priuilegium.*

2 *Priuilegium continet fauorem.*

3 *Quod ſubditi nequeant vti priuilegijs &c. detrahit de priuilegijs.*

4 *Communicatio priuilegiorum nedum eſt fauor religionis, ſed etiam ſingulorum.*

4 *Quod ex fauore conceditur, non debet retorqueri in odium.*

5 *Per communicationem priuilegiorum non trahuntur conceſſa ex ſpeciali cauſa alicui religioni.*

5 *Cauſa conceſſionis priuilegij, & priuilegium inuicem ſunt connexa.*

1 NEgatiuè *reſpondendum eſt* iuxta doctrinam, quam tradunt Rodriquez *tom.* 1. *Quæſt. regular. quæſt.* 55. *ar.* 17 Suarez *lib.* 8. *De legib. cap.* 17. *n.* 5. Merol. *tom.* 3. *Theol. moral. diſp.* 6. *cap.* 4. *dub.* 2. *num.* 16. Quod ſcilicet communicato priuilegio, non communicatur illa reſtrictio, quæ intuitu alicuius religionis facta eſt; quia non eſt reſtrictio priuilegij ſecundum ſe, nec facta in fauorem inſti-

tuti

tuti religioſi. Prædictum autem priuilegium importat quamdam generalem reſtrictionem omnium priuilegiorum, vt mox dicetur. Et ita in terminis tenẽt Hieronim. Rodriquez *in Comp. n. Reſol.* 16. *n.* 50. Quintanaduen. *tra.* 4. *Append. dub.* 5. *num.* 3.

2 Ratio autem eſt, quia communicatio omnium priuilegiorum eſt priuilegium priuilegiorum continens maximũ fauorem, & ideo debet trahere ſecum priuilegia alijs conceſſa, quatenus fauores ſunt, non autem, quę potius odia sũt, aut ſaltem denegatio fauoris. Prędictum autem priuilegium non eſt propriè, ſed abuſiuè priuilegium, quia non aliquid concedit, ſed quod conceſſum eſt, modificat, & reſtringit; ſiquidem reſtringit vſũ priuilegiorum conceſſorum, vt non ſit liber, ſed alligatus alienæ voluntati, & ideo detrahit de fauore, non autem addit, vnde non eſt verè priuilegium, cum de ratione priuilegij ſit, quod aliquid indulgeat, & conferat fauorem aliquem. Cap. *Abbate.* §. *Contra quod.* ver. *Nec eſſet.* De *verbor ſignificat.* & notant Gloſ. *in Rubr. De reſcrip. in* 6 Rebuſ. *in Praxi.* Tit. *Different. int. reſcrip.* Syluester *verbo.* Priuilegium *quæſt.* 3. Viguer *c.* 17. *inſtit. Theolog.* §. 2. *ver* 2. Azor. *par.* 1. *lib.* 5. *c.* 22. *quæſt.* 2.

3 Nec dici poteſt, quod præfatũ priuilegium aliquid concedat ſuperioribus nempe facultatem concedendi ſubditis vſum priuilegiorum. Quia cum ſubditi habeant talem facultatem ex vi ipſorum priuilegiorum, quæ omnibus, & ſingulis ſunt cõceſſa, tribuerè ſuperioribus, quod vſus priuilegiorum ſit ab ipſis dependẽs, non eſt aliquid concedere, ſed detrahere priuilegio, & proinde non eſt priuilegiũ, ſed coarctatio priuilegiorum facta in gratiam ſuperiorum; ſicut non eſſet priuilegium, ſi ad inſtantiam ſuperiorum Pontifex reuocaret aliqua priuilegia.

4 Et inſuper ex eo quoque colligitur. Quod communicatio priuilegiorum facta alicui religioni continet fauorem nedum omnium, ſed etiam ſingulorum, quia priuilegia cõceſſa alijs religionibus omnibus, & ſingulis ex vi communicationis trahuntur ad omnes, & ſingulos habentes communicationem. Si autem dicta communicatio traheret etiam priuilegium, quod ſubditi non poſſent vti priuilegijs ſine conſenſu ſuperiorum, nõ eſſet in fauorem omnium, & ſingulorũ, ſed retorqueretur in odium, contra regulam, quod id, quod ex fauore cõceditur, non debet retorqueri in odium. *l. Nulla iuris ratio. ff.* De *legib.* & *l. Quod fauore.* C. De *legib.* & Cap. *Quod ob gratiam.* De *reg. iur. in* 6.

5 Denique priuilegium, quod ſubditi non vtantur priuilegijs Pontificijs ſine conſenſu ſuperiorum, eſt conceſſum ex ſpeciali ratione, quæ militat in religione, cui eſt conceſſum, vt notat Rodriquez *tom.* 1. *quæſt. Regular. qu.* 55. *art.* 17. Priuilegia autem, quæ ex ſpeciali ratione alicui conceduntur, non trahuntur per communicationem, vt notant Merol. *t.* 3. *theol. moral. diſp.* 6. *cap.* 4. *dub.* 8. *nu.* 74. quia nimirum ceſſat ratio finalis conceſſionis in alijs religionibus, quæ eſt, per talem conceſſionem fouere totalem ſubordinationem ſubditorũ ad ſuperiores, & ideo ſicut per communicationẽ priuilegiorũ nõ trahitur cauſa cõceſſionis, ita nec priuilegiũ ob cõnexionẽ, quã habẽt ad inuicem cauſa conceſſionis, & priuilegium. Cap. *Generaliter.* 160. *Quæſt.* 1. & Cap. *Tua.* De *cler. non reſiden.* & Cap. *Abbate. in fine.* De *verbor. ſignificat.*

An, qui putat, ſe iuraſſe, cum tamen non iurauerit, periurus fiat non obſeruando, quod promiſit. Quæſt. 334.

S V M M A.

1 *Non ſeruans, quod ex conſcientia erronea putat verum iuramentum, fit periurus.*
1 *Animus paratus ad peierandum facit periurum.*
2 *Quid, ſi cognoſcens non eſſe verum iuramentum, quod emiſit, non ſeruet & n.* 4.
3 *Inducens Deum in teſtem cum fraude, fit periurus non ſeruando, quod iurauit*
4 *Periurium non committitur, niſi violetur verum iuramentum*
5 *Sola intentio iurandi ſufficit ad iuramentum.*

Quid

5 *Quid ſi intentio nec expreſſe tendit in Deum, nec expreſsè excludit, & verba non contineat iuramentum,*

---

1 OCcurrere poteſt, quod quis volens iurare, proferat aliqua verba, quæ reuera non contineant iuramẽtum, putet tamen, quod contineant, atque adeo putet iurare, licet re vera non iuret, dubitatur ergo, an ſit periurus, ſi nõ ſeruet, quod tali pacto promiſit. Et quidem eſſe periurum in foro conſcientiæ, ſi retineat conſcientiam erroneam, quod iurauerit, & non ſeruet, quod promiſit, certum omnino eſt. quia, quantũ eſt ex ſe, & ſecundum intentionem facit contra iuramentum, & eſt animo præparatus ad violandum iuramenrum, quod ſufficit, vt quis fiat periurus Cap. *Qui peierare*. 22. *Quæſt*. 5. & inter alios notat Vigel. *in Meth. ad Conſtit. Caroli. V. cap*. 10. *reg*. 11. *except*. 16. Et ſequitur ex illo generali principio, quod peccat, qui operatur contra conſcientiam erroneam. Dubitatur ſolum, an ſi cognoſcat, ſe reuera non iuraſſe, quia verba non continebant iuramentum, fiat periurus, ſi non ſeruet, quod promiſit.

2 Quod autem fiat periurus, ſi non ſeruat, quod promiſit, tradunt Vigel. *in Meth. ad Conſtit. Carol. V. Cap*. 10. *reg*. 11. *excep*. 13. Martin. Benechenforſius *ad Seraphin. De priuil. iuram. priuileg*. 174. *n*. 6. quando nimirum verbis fraus aliqua adhibetur, & afferuntur. Cap. Hoc *videtur*. *§. fin*. Cap. *Quacunque*. Cap. *Ecce dico*. Cap *Humanæ*. *§. Item obijcitur*. Cap. *Qui peierare*. §. *Ex his omnibus*. 22. *Quæſt*. 5. Et abſolutè violari iuramẽtũ, deſumitur ex doctrina Caietani. 2. 2. *q*. 89 *ar*. 1. Sa *verbo* Iuramentum. *num*. 1. Azor. *par*. 1. *Inſtit. lib*. 11. *cap*. 3. *quæſt*. 1. Sanchez *lib*. 3. *in Decal. cap*. 2. *num*. 7. *in fine*.

3 Verum ex his textibus nihil colligitur ad hoc propoſitum; nam ſolum habetur, quod peccatur adhibendo fraudem in verbis, & quod interueniat periuriũ, quando cum huiuſmodi fraude Deus inducitur teſtis, quia nimirum fit illi iniuria, dũ illius auctoritate vtimur ad fraudes noſtras confirmandas, vt conſtat ex cit. Cap. *Quacunque*. ibi. *Dupliciter autem reus fit, quia & Dei nomen in vanum aſſumit, & proximum dolo capit*. & ex Cap. *Ecce dico*. ibi. *Sed numquid non ante Deũ?* vnde allati textus procedunt in caſu, in quo reuera iuratur, & Deus inducitur teſtis; non autem in caſu, in quo verba non contineant iuramentum.

4 Itaque *quamuis interueniat fraus, & dolus in ſic iurante, & proinde ex hoc capite peccet mortaliter, vel venialiter iuxta grauitatem, vel leuitatem materiæ, non tamen fit periurus non ſeruando, quod promiſit*. Ita Facundez *lib*. 2. *in* 2. *Pracep. Decal. cap*. 1. *num*. 16. Ratio autem eſt, quia periurium non committitur, niſi violetur iuramentum *l. fin. ff*. Qui *ſatisdare cog*. & *l. Quoties*. vbi Gloſ. C. De *dignitatibus*. & *Cap. Tua*. De *iureiur*. & notant Bald. *in Cap*. 1. §. *Porro*. Quæ *fuit prima cau. benef. amit*. Grammat *Deciſ*. 66. *num*. 11. Afflict. *Deciſ*. 30. *num*. 5. Bart. *in dict. l. Quoties*. C. De *dignit*. Io. de Platea. *ibid*. Panorm. *in* Cap. 1. De *iureiur*. Couar. *Cap. Quamuis. par*. 1. §. 6. *num*. 10. De *pactis*. Tiber. Decian. *tract. crimin. lib*. 6. *cap* 10. *num*. 10. Feder. de Sen. *Conſil*. 300. Vnde. cum in caſu noſtro non interueniat verum iuramentum, nec etiã aderit violatio ipſius, ſi non ſeruetur, quod promiſſum eſt.

5 Dices. Quando quis putat, ſe iurare, quamuis non interueniat verũ iuramentum, habet intentionem iurandi, ſola autem intentio ſufficit ad iuramentũ, quia per ipſam obligatur fides cum habitudine ad Deum, vt tradunt tanquam certũ Azor. *par*. 1. *lib*. 11. *cap*. 2. *quæſt*. 4. Ledeſma *tom*. 2. *Sum. cap*. 1. *dub*. 2. Suarez *tom*. 2. *de Relig. lib*. 1. *De iuramen. cap*. 1. *n*. 4. Sanchez. *lib*. 3. *in Decal. cap*. 1 *num*. 2. & cõmuniter; & habetur ex Cap. *Quacunque* & Cap. *Ecce dico*. & Cap. *Humanæ aures*. 22. *Quæſt*. 5. Reſp. Id eſſe verum, ſi intentio feratur in Deum aduocando ipſum in teſtimoniũ expreſsè; ſecus autẽ, ſi nec expreſsè includit, nec expreſsè excludit habitudinem ad Deũ, hoc eſt ſi nõ habet expreſſam intentionem inducen- Deum in teſtimonium: nam tunc intentio eſt conformis verbis, ita vt iurans in-

terdat præſtare, quod ex ſe verba inducunt, quæ cũ non contineant verum iuramentum, nec etiam ratione intentionis interuenit, licet ex errore putetur interuenire.

An poſſit Epiſcopus concedere facultatem erigendi in ciuitate Congregationem præsbiterorum ſæcularium contra priuilegia Regularium abſque ipſorum conſenſu, ſi ipſi aliàs conſtet, quod non ſit futura detrimento eiſdem Regularibus. Quæſt. 335.

S V M M A

1 *Quid requiratur, vt poſſint erigi, aut de nouo recipi Eccleſia, conuentus &c.*
2 *Epiſcopus non poteſt concedere erectiones, aut receptiones de nouo contra priuilegia regularium.*
2 *Ius, quod habent Regulares ex priuilegijs quo ad nouas erectiones &c. ab alijs faciendas num manet.*
3 *Regulares poſſunt impedire ne infra centum quadraginta cannas prope ipſos erigantur, aut recipiantur de nouo Eccleſia &c.*
4 *Hoc priuilegium eſt declaratiuum iuris communis.*
5 *Conſtat de poſitiuo vſu ipſius.*
6 *Non vſus talis priuilegij per aliquod monaſterium non præiudicat.*
6 *Non poteſt particulare monaſterium renunciare dicto priuilegio.*

1 SAcra Congregatio *Sub die 27. Auguſti* 1621. Habito viuæ vocis oraculo Gregorij XV. ſtatuit, quod impoſterum non poſſint in aliquo loco erigi Cõuentus, Monaſteria, Domus &c. niſi habita facultate Epiſcoporum, qui tenentur vocare Regulares pro præſtando cõſenſu, qui niſi conſenſerint, poſſunt adhuc Epiſcopi concedere talem facultatẽ, ſi ipſis conſtet, quod cõgruè de nouo introducendi ali, & ſubſtentari poſſint abſque detrimento cœterorum ibi. *Vel alias Ordinarijs locorũ conſtiterit, Religioſos Monaſterij, Conuentus, ſeu Domus Regularis ſic erigendi, ſeu erigenda abſque detrimento Religioſorum in Monaſterijs, ſeu domibus antea in ciuitatibus, ſeu locis huiuſmodi erectis degentium ibi numero duodecim commodè, & congruè manuteneri, & ali poſſe.* Quod fuit etiam innouatum, & confirmatum ab Vrbano VIII. *in ſua Conſtitutione*, quæ incipit. *Romanus Pontifex.* Sub *die* 28. *Auguſti* 1624. Cum autem comprehendantur ſub hac conſtitutione etiam Congregationes Clericorum ſęcularium ob identitatem rationis, & extenſionem comprehenſiuã, vt dixi *Quæſt. 160. num. 5. & ſequent. Centur. 2. Quæſt. moralium canonicar.* videtur reſoluendum, quòd poſsit Epiſcopus concedero facultatem illas erigẽdi nõ obſtantibus priuilegijs Regularium, ſi ipſis cõſtet, quod poſſint abſque ipſorum detrimento commodè ali, & manuteneri.

2 Sed *oppoſitum tenendum eſt*. Quia licet dicta Conſtitutio habeat locũ etiã, quò ad dictas Congregationes, vt citato loco dictũ eſt, quando agitur de ipſis erigendis, non tamen derogat priuilegijs Regularium, nec iuri, quod ex ipſis ijs competit cõtra quaſcunque perſonas ecclesiaſticas circa recipiendas, & erigendas eccleſias de nouo, & ideo ſaluum manet huiuſmodi ius iuxta doctrinam, quam tradunt Bald. *in l. 1. §. fin.* C. De *lat. libert. tollen.* Roman. *Conſil.* 17. *n.* 1. & 2. Mant. *Deciſ.* 104. *nu.* 5. Rora *Deciſ.* 103. *n.* 5. *par.* 2. *Recent.* & *Deciſ.* 289. *n.* 7. *part.* 3. & in Ianuenſi *Priuilegiorum*. 24. *Maij* 1647. *coram Rotas.* & ideo non poteſt quiſquam, præter Summum Pontificem, ire contra huiuſmodi ius.

3 Ex quibus deducitur, quod cum Regulares habeant priuilegium, ne alii religioſi, aut quæuis perſonæ eccleſiaſticę, ſiue pia loca poſſint intra ſpacium centum quadraginta cannarum erigere eccleſias, aut erectas de nouo acquirere per Sixtum IV. apud Sorb. in *Compendio Priuilegiorum, verbo.* AEdificare. *n.* 19. non poterit quiſquam, præter Summum Pontificem, concedere facultatem, quod à Præsbiteris ſæcularibus, aut alijs regularibus, etiam ſi commodè manuteneri poſſint, erigantur, aut de nouo recipian-

tur

tur Eccleſiæ intra dictum ſpatium centum quadtaginta cannarum.

4 Neq. contra prædictum priuilegiũ opponi poteſt, quod non ſit in vſu. ſiquidem eſt priuilegium declaratiuum iuris communis. Eccleſia namq. de iure communi non poteſt fundari in loco, vbi alteri Eccleſiæ prius conſtructæ præiudicet Cap. *Quacunque.* & Cap. *Eccleſię* 17. *Quaſt.* 1. & Cap. *Cum dicat.* De *Eccleſ. ædifican.* & notant Cardin. *Conſil.* 8. *nu.* 13 Rota *in Ciuitatenſi conſtructionis Capella.* 1588. *coram Seraphino.* Vnde cum ius commune ſemper loquatur *l. Ariani. C.* De *hæreticis*, dictum quoque priuilegium tanquam legis declaratiuum ſemper loquitur; & obligat ad ſui manutentionem, neq. haberi poteſt pro amiſſo per non vſum.

5 Imo conſtat de poſitiuo vſu ipſius, ſi quidem quando huiuſmodi fundationibus, erectionibus, & receptionibus de nouo ſe opponunt Regulares in Curia Romana, manutenetur dictum priuilegium, vt notant etiam Lezana *in Summa verbo.* Monaſteria Regularium. *nu.* 20. *impreſſionis vltimę Venetæ.* & in *Mari magno Carmelit. num.* 432. vt in ſpecie manutentum fuit, et iudicatum à Sacra Congregatione Epiſcopor. & Regular. cõtra Præsbiteros ſæculares S. Caroli ciuitatis Neapolitanæ *die* 16. *Februarij*, 1643. inſtantibus Theatinis ſimul cum Dominicanis, & Franciſcanis.

6 Imo cum priuilegium ſit conceſſum toti, Ordini, non præiudicat ipſi non vſus, aut contrarius vſus alicuius monaſterij Cap. Si *dilecti.* De *foro compet.* & tradunt Mirand. *tom.* 1. *Manual q.* 33. *ar.* 3. alios citans. Barboſa *De poteſt. Epiſcopi. alleg.* 26. *num.* 10. Burat. *Deciſ.* 704. *n.* 9. & 10. Rota *Deciſ.* 240. *nu.* 5. *par.* 4. *Diuerſ.* & *Deciſ.* 72. *n.* 9. *par.* 1. *Recent.* & *Deciſ.* 73. *n.* 10. *par.* 5. Quia non eſt in poteſtate particularis Monaſterij præiudicare toti Ordini, & ideo cum ius Monaſtrij ſit implicatum cum iure totius ordinis, non poteſt ipſi renunciare, vt conſtat ex ijs, quæ dixi *Quaſt.* 138. *n.* 1. *Cent.* 2.

An, qui promiſit cum iuramento fideiubere pro alio, teneatur, ſi is deueniat ad talem ſtatum, vt impotens fiat ad præſtandum id, pro quo exigit fideiuberi. Quæſt. 336.

SVMMA.

1 *Iurans fideiubere non tenetur, ſi is, cui promiſit, deueniat ad ſtatum, in quo non poſſit ſoluere.*
1 *Iuramentum deſinit obligare ex mutatione, quæ ſubſequitur.*
2 *Iuramentum habet in ſe tacitam conditionem, niſi interueniat iuxta cauſa non ſeruandi.*
2 *Actus non operatur vltra intentionem agentium.*
2 *Actus fundatur in voluntate agentis.*
2 *Iurans ſecundum intentionem fertur tantum in res ſic ſtantes.*
3 *Si promiſſarius fiat non ſoluendus, mutatur ſubſtantia promiſſionis fideiubendi.*
3 *Conditio, quandiu pendet, facit, quod res non habeat propriam ſubſtantiam.*
4 *Quæ de nouo emergunt, indigent nouo remedio, & conſilio.*
4 *Actus voluntarij non extenduntur, vltra quam geruntur.*

1 PRomiſit quis Titio, ſe fideiuſſurũ pro ipſo pro ſumma mille aureorum, & promiſſionem firmauit iuramẽto, ſed eo tempore, in quo potẽs erat Titius ad ſoluẽdam dictam ſummam, ſed antequam veniat tempus fideiubendi, fit impotens ad ſoluendam dictam ſummam pro tempore debito. Quæritur, an teneatur ſtare promiſſis, & adhuc fideiubere. Reſp. *Non teneri, quantumuis iurauerit*, quia iuramentum deſinit obligare ex mutatione ſubſequuta in promiſſario iuxta doctrinam, quam de obligatione iuramenti tradunt D. Th. 2. 2. *quęſt.* 110. *ar.* 3. *ad* 5. Henriquez *lib.* 11. *De matrim. cap.* 14. *num.* 1. *in fine* Sanch. *lib.* 4. *in Decal. cap.* 2. *num.* 20. Leſſius *lib.* 2 *De iuſt. & iure. cap.* 42. *dub.* 4. *n.* 22. Bonac. *tom.* 2. *diſp. De pręcep. Decal q.* 1. *punc.* 16. *n.* 1. Vil-

1. Villalob. *par.* 2. *Sum tract.* 36. *difficul.* 5 *num.* 14. Trulliench. *lib.* 2. *in Decal. cap.* 1. *dub.* 14. *n.* 1. Sà. *Verbo.* Iuramentum. *num.* 16. Facundez *in Decal. precep.* 2. *lib.* 2. *cap.* 14. *n.* 3. & communiter Iuriſtæ Socin. *Conſil.* 129. *circa fin. vol.* 1. Corneus *Conſil.* 186. *col.* 8. *vol.* 2. Crauet. *Conſil.* 264. ver. *Nec ſi dicatur.* Menoch. *Conſil.* 17. *num.* 48 Paris. *Conſil.* 21. *n.* 21. Dec. *in l. In ambiguis.* §. *fin. in fin. ff.* De *reg. iur.* Grat. *reſponſ.* 44. *n.* 22. *lib.* 2. Tiraquel. *in Præfat. l.* Si *vnquam. n.* 166. 167. *&* 130. C. *De reuocan. donat.* Riminal. Iun. §. 1. *n.* 257. Inſtit. *De donat.* Salicet. *in l. fin.* C. De *pact.* Roman. *in l. Pactum dotali.* C. De *collat.* Abbas *in Cap. Cum acceſſiſſent. De conſtit.* Gutierez *De iuramen. par.* 1. *cap.* 29. *num.* 6. & *cap.* 71. *num.* 6. qui & alios refert. Seraphin. *De priuileg. iuram. priuileg.* 73. *num.* 5. Caſtrenſ. *in l. fin. ff.* Qui *ſatiſdare cog.* Hering. *De fideiuſ. cap.* 19. *n.* 121. Clar. *lib.* 5. *Recep. ſent.* §. *fin.* verbo. *Periurium.* ver. *Item excuſatur.* Vigelius *ad Conſt.* 1. *Caroli V. cap.* 10. *reg.* 11. *excep.* 1. Alciat. *in Cap. Si contingat. n.* 38. De *iureiur.* Mancin. De *iuram par.* 4. *effectu.* 1. *q.* 6. *n.* 2. *&* 5.

2 Ratio autem eſt, quia iuramentum habet in ſe tacitam conditionem, niſi iuſta interueniat cauſa, nõ ſeruandi promiſſa. *l. fin. ff.* Qui *ſatiſdare cog.* vbi Gloſ. *verbo.* Non *videtur.* & *l. Imperatores init. ff.* Ad *Municip.* & *l. Si conuenerit. ff.* Pro *ſocio* & *l. Quod Seruit. ff.* De *condit. ob cau.* & Cap. *Beatus Paulus.* & Cap. *fin.* §. *Probatur.* 2. 2. *Quæſt.* 2. & Cap. *Ex parte* De *cler. non. reſid.* & Cap. *Cum. P* De *renunciat.* & Cap. *Breui.* & Cap. *Quemadmodũ.* De *iureiur.* vbi Gloſ. Cum enim actus nõ operetur vltra intentionem agentium *l. Obligationum ſubſtantia. ff.* De *actionib. & obligat.* & *l. Non omnis ff.* Si *cert. pet.* & *l. In traditionibus. ff.* De *pactis.* Si quidem actus fundatur in voluntate agentis, vt notant Gloſ. *in l. Si filia.* C. De *donat. ante nupt.* & *in Cap. Super Abbatia.* De *offic. deleg.* Socin Iun. *Conſil.* 95. *n.* 4. *lib.* 3. Rolan. *Conſil.* 10. *n.* 8. *lib* 3. Menoch. *lib.* 1. *Præſump.* 80. *n.* 11. non poteſt extendi vltra id, quod eſt in intentione agẽtis: vnde cum intentio agentis reſpiciat tãtum præſentẽ rerum ſtatum, quia futurus tãquam ignotus non cadit ſub conſideratione, ſequitur, quod iuramentum obliget ſolum rebus ſic ſtantibus, quia iurãs fertur ſolum ſecundum intentionem in res ſic ſtantes, & proinde intendit ſe obligare ſecundum id, quod conſiderat, & non ſecundum id, quod ſuperuenire poteſt.

3 Quando autem is, pro quo fideiubendum eſt, fit impotens ad ſoluẽdum, fit talis mutatio, vt afferat cauſam iuſtã, & rationabilem, ob quam fideiuſſor poſſit recedere à promiſſione iurata, nam variat ſecundum ſubſtantiam rem promiſſam, & obligationem ſuſcipiendam à fideiuſſore, nam promittens fideiubere, quando promiſſarius eſt in ſtatu ad ſoluendum, promittit ſolum, ſe ſuſcepturum periculum ſoluendi, ſi ipſe non ſoluat: & quando promiſſarius eſt factus impotens ad ſoluendum, ſtante hac impotentia idem eſt fideiubere, ac ſuſcipere in ſe obligationem ſoluendi abſolutè. Vnde fit mutatio de obligatione incerta, & conditionata ad abſolutam, & certam. conditionatum autem, & abſolutũ differunt ſecundum ſubſtantiam, quia conditio ita ponit rem in ſuſpenſo, vt quamdiù illa pendet, res non obtineat ſuam ſubſtantiam *l. Pecuniam quam. ff.* Si *cert. pet.* vbi Alexand. *n.* 4.

4 Et cum ea, quę de nouo emergunt, nouo indigeant remedio, & conſilio *l. De ętate.* §. *Ex cauſa. ff.* De *interrogat. act.* & *l. Iure decedens. ff.* De *inoffic. teſt.* & Cap. *fin.* De *in integr. reſtit.* ſequitur, quod pro fideiubendo pro eo, qui factus eſt impotens ad ſoluendum, opus ſit nouo conſilio, & proinde hoc non cadet ſub præcedenti deliberatione de fideiubẽdo pro tempore, in quo erat potens ad ſoluendum, aliàs etiam pro ipſo deliberatum eſſet, nec opus eſſet nouo conſilio; & cõſequenter iuramentum de fideiubendo non ſe extendet ad caſum ſuperuenientis impotentiæ ad ſoluendum, quia non ſe extendit vltra deliberationem iurantis fideiubere, cum actus voluntarij non extendantur vltra quàm gerantur *l. Si certis annis.* C. De *pactis*, vbi Doctores,

Bart. *in l. Titium, & Mauium. §. Altero. ff.* De *adminiſt. & peric. tut.* Corneus *Conſil.* *196. poſt init. vol. 3.*

An, qui ex vi alicuius ſtatuti non poſſunt acceptare onera perpetua miſſarum, poſſint eſſe perpetui procuratores ad exigendam certam ſummam pecuniæ, vt celebrent, aut faciat celebrare miſſam perpetuam. Quæſt. 337.

S V M M A

1 *Qui non poſſunt aſſumere onera perpetua miſſarum, an poſſint eſſe perpetui procuratores ad exigendam pecuniam, vt faciant miſſas celebrare.*
1 *Procurator aliena negocia mandato domini adminiſtrat.*
1 *Vbi non accõmodantur verba legis, nec etiam poteſt accommodari prohibitio.*
2 *Quod directè prohibetur, non poteſt fieri per indirectum.*
2 *Quando fiat fraus legi.*
3 *Prohibito antecedenti eſt etiam prohibitum conſequens, et quando.*
4 *Stipendium perpetuum pro miſſis celebrandis quando fiat manuale.*
5 *Finis declarat, et regulat totam diſpoſitionem.*
6 *Procurator habet ſolum adminiſtrationem.*

1 NOn obſtare prædictum ſtatutum, *quominus poſſint eſſe perpetui procuratores ad exigendã, pecuniam deſtinatã pro celebrãda miſſa perpetua ſiue poſtea ipſi celebrẽt ſiue faciãt celebrare dictã miſſam*, certũ omnino exiſtimo. Aliud eſt enim onus celebrandi miſsã perpetuã, & aliud onus perpetui procuratoris ad exigendã pecuniam pro celebratione miſsæ, vt ex ipſis terminis conſtat, ſiquidem procurator aliena negocia mandato domini adminiſtrat. *l. 1. ff. De procurat.* Qui verò habet onus perpetuum, quod ſibi proprium eſt, exequitur; vt proinde etiam laicus, poſſit aſſumere huiuſmodi onus procuratoris; ſolus autem ſacerdos poſſit aſsumere onus celebrandi miſsam perpetuam. Vnde cum verba ſtatuti ſpectata quacunque ſignificatione non poſſint accommodari, vt comprehendant huiuſmodi onus procuratoris, nec etiam poterit accommodari prohibitio. *l. Conſtitutum. ff.* De *milit. teſt.* et *l. Ita autem. init ff.* De *adminiſt. tut.* et *l. Nos accuſare. §. Omnibus. ff.* De *accuſat.* et *l. Adigere. §. Quamuis ff.* De *iurepatr.* et Cap. *Indemnitatibus. §. Sed cum eas.* De *elect. in 6.*

2 Nec dici poteſt, quod fieret fraus legi, ſi quidem, quod directò prohiberetur, fieret per indirectum contra *l. Seius, & Augerius. ff.* Ad *leg. Falcid.* et *l. Scire oportet. §.* Si *mater. ff.* De *tut & curat. dat.* & *l. Cum quid. ff.* De *reg. iur. in 6.* Si quidẽ poſsent procuratores celebrare per ſe dictam miſsam; vnde conſurgeret idem effectus, qui conſurgeret, ſi fuiſset acceptatum onus perpetuum celebrandi miſſam. Hoc namque non ſubſiſtit, quia tunc ſolum fit fraus legi, & indirectè fit, quod directè fieri prohibetur, quando per viam obliquam inducitur illud ipsũ, quod cadit ſub prohibitione, quod non contingit in caſu præſenti, in quo est directè prohibitum onus perpetuũ miſſarum, quod nullo modo inducitur: ſed inducitur aliud onus, quod nullo modo eſt prohibitum, nempe procuratoris.

3 Nec obſtat quod ſequatur idem effectus quò ad perceptionem ſtipendii, & proinde cenſeatur prohibitus etiàm talis effectus, quia prohibito antecedenti, cenſetur prohibitum etiam conſequens argumen. à cõtrario ſenſu *l. 1. §. 1. ff.* Si *vſufruc. pet.* et *l. 3. §. Qui habet. ff.* De *ſeruit. ruſt. prædior.* et *l. Reflexionis gratia.* vbi Gloſ. ff. *Commun. prædior.* et *l. 2. ff* De *iuriſdict. omn. iud.* Nam hoc tunc ſolum valet, quando conſequens, ſeu effectus per ſe, & neceſsariò conſequitur ex tali antecedenti, ſeu cauſa, quia tunc ſicut conceſso antecedenti cẽſetur conceſsum etiam cõſequẽs, ita etiam illo prohibito, hoc quoque cenſetur prohibitum, ſecus autem, quando non conſequitur neceſſariò per *l. 1. §. fin. ff.* De *vſuf.* et *l. Obligationũ. §. Placeat. ff.* De *act. & obligat.* et no-

tant Surd. *Conſil.* 91 *num.* 4. Ferer. *Ad Cõſtit. Cathalon. Gloſ.* 5. *num.* 78. *&* 82. Vnde cum perceptio ſtipendii pro miſsa celebranda poſſit aliunde prouenire, quàm ex onere perpetuo celebrãdi miſsas, prohibito hoc onere, non ſequitur prohibita perceptio ſtipendii, etiam ſi aliàs perpetua futura ſit, dummodo non ſit ex onere perpetuo celebrandi. Sic lucrum ex mutuo eſt prohibitum; ſi tamen fundetur cenſus, habetur licitè idem effectus lucri, quia tunc prouenit ex alia cauſa.

4 Et hoc amplius locum habet, quia cum dictus procurator poſſit celebrare, vel facere celebrare miſsas, iam ſtipendium, pro quo exigendo eſt conſtitutus procurator, factũ eſt manualis eleemoſina pro celebratione miſsarum; ſiquidem poteſt procurator illam tradere pro celebratione, cui libuerit, & modò vni, modò alteri. Vnde ſi ipſe celebret has miſſas retinendo ſibi ſtipendium, non contraueniet ſtatuto, de quo loquimur, quia recipiet manuales eleemoſinas pro celebratione, nec ſe ſubijciet alicui oneri perpetuo, cum poſſit, quando libuerit, has eleemoſinas alteri dare.

5 Quod etiam conuincitur ſpectato fine ſtatuti, qui debet regulare, & declarare totam diſpoſitionem, vt notant Angel. *Conſil.* 48. *num.* 3. Abbas *Conſil.* 3. *ver. Ad vigeſimam tertiam quæſt. lib.* 2. Butr. *Conſil.* 51. *n.* 5. *ver. Item hoc declarat.* Socin. *Conſil.* 165 *num.* 21. *vol.* 2. Dec. *Conſil* 683. *nu.* 3. Cacheran. *Deciſ.* 23. *num.* 31. Lanfran. *in Cap. Quoniam. num.* 2. De *probat.* Finis namq. ſtatuti eſt quod conſeruetur libertas celebrandi pro ijs, pro quibus occurrerit celebrare, & ne ſucceſſores remaneãt grauati huiuſmodi onere à prædeceſſoribus; acceptare autem mandatũ exigendi pecuniam pro celebrandis, aut faciendis celebrare miſſas non contrariatur prædicto fini, qui adhuc omnimodè ſaluus manet, & proinde manet etiam ſalua dicta diſpoſitio.

6 Et ſimiliter ſi finis ſtatuti eſſet ſeruare inſtitutum non poſſidendi bona immobilia, vt poteſt contingere apud illas religiones, quæ ex inſtituto non poſſident immobilia; neq. adhuc violaretur hic finis in aliquo; quia illa bona immobilia, ex quibus colligeretur pecunia pro miſſis celebrandis, non tranſirent ſub dominium acceptantis prædictum onus, ſiquidem, cum acceptet tanquam procurator, acceptat ſolum adminiſtrationem fructus iuxta intentionem diſponentis, ſiquidem procurator habet ſolam adminiſtrationem *l.* 1. *ff. De procurator.* non autem acquirit dominium ſupra res adminiſtrandas.

An, ſi Prælatus remoueat à Romano monaſterio ſubditum, qui contra ipſum habuit recurſum ad S. Congregationem, ſtatim completa cauſa, præſumendum ſit remouere in odium prædicti recurſus. Quæſt. 338.

S V M M A.

1 *Religioſus non habet proprium velle, aut nolle, ſed ius propriæ libertatis tranſtulit in ſuperiorem.*

1 *Omnis poteſtas eſt coarctata intra terminos rationis.*

1 *Prælati regulares non poſſunt in exercitio ſuæ poteſtatis excedere menſuram regulæ.*

1 *Quando ſuperiores regulares excedant limites propriæ poteſtatis.*

2 *Quando tranſlatio de vno monaſterio in aliud apud religioſos ſit ſuſpecta.*

2 *Vicinitas actuum arguit correſpectiuitatem.*

3 *Coniecturæ animum oſtendunt.*

3 *In caſu difficilis probationis ſufficiunt coniecturæ.*

1 QVamuis Prælati regulares habeant plenam facultatem diſponendi de ſubditis, & eos transferendi ad quancunque habitationem voluerint cum non habeat religioſus proprium velle, aut nolle Cap. *Religioſus.* De *electione in* 6. Sed iura propriæ voluntatis in ſuperioris arbitrium tranſtulerit. Attamen non poteſt vti hac facultate, niſi rationabiliter, cum omnis poteſtas ſit coarctata intra terminos rationis *l.* 2. *ff. De vſu.*

vſufr. ear. rer. qua vſu conſum. & *l. penul. ff. De furtis.* & *l. Reprehendenda. C. De inſtit. & ſubſtit.* & Cap. *Sunt quædam.* 25 *Q.* 1. & docent D. Gregor. *ad Gud'ſcalcũ Ducem. lib.* 8. *Regiſtri. indict.* 3. *cap.* 12. Quod præcipuè habet locum in Prælatis regularibus, qui non poſſunt excedere in exercitio poteſtatis menſuram regulæ, intra cuius terminos ſtat ſubiectio ſubditorum; regula autem cum præſcribat perfectionem religioſorum, debet regimen, vt ſit ſecundum menſuram ipſius, ordinari ad bonum ipſorum, & ipſius religionis; & proinde ſi ſuperiores indulgeant proprijs paſſionibus, excedũt limites propriæ poteſtatis, & peccant grauiter, ſi in re graui abutantur propria poteſtate; & poteſt opponi de exceſſu.

2 Si igitur *Prælatus regularis remoueat aliquem ſubditum de Romano monaſterio, aut aliquo alio, & ipſum transferat ad monaſterium deterioris conditionis ſtante, quod contra ipſum habuerit recurſum ad Sacrã Congregationem, niſi appareat iuſta, & rationabilis cauſa, talis translationis, præſumi debet, id fieri in odium prædicti recurſus*, vt in ſimili caſu docet Io. Chriſtophorus de Sueles *Conſil.* 18. *num.* 3. *Centur.* 1. Cum enim talis mutatio ſuccedat ad recursũ, nec appareat rationabilis cauſa, ob quã fiat, refundenda eſt in diſplicentiam prçlati conceptam ex dicto recurſu, & in malum zelum ipſius iuxta doctrinam Turrecrem *in Cap. Sanè. in fine. Diſt.* 65. ſi quidem vicinitas actuum arguit correſpectiuitatem vnius ad alium, vt notãt Surd. *Conſil.* 217. Craueta *Conſil.* 298. *n.* 13. Menoch. *Conſil.* 109. *num.* 9. Angel. *Conſil.* 145. *num.* 3. Curt. Sen. *Conſil.* 55. Rolan. *Conſil.* 40. *num.* 32. *lib.* 2. Alban. *Conſil.* 45. ver. *Procedit igitur.* Tiraquel. *De retract. Cõſanguin.* §. 1. *Gloſ.* 18. *n.* 70. Seſſe *Deciſ.* 19. per tex. *l. Lecta.* ver. *Dicebam. ff. De reb. credit.* & quod vnus ſit cauſa alterius: & proinde in noſtro caſu licet inferre, quod recurſus dederit cauſam dictæ mutationi.

3 Et prædictam præſumptionem deſumptam ex correſpectiuitate actus vrgent etiam coniecturæ, quia ex dicto recurſu ſupponitur offenſus Prælatus, cũ vergat in diminutionem bonæ opinionis ipſius; ſi quidem arguit ipſum de exceſſu in regimine ſubditorum, & quod indulgeat proprijs paſſionibus; vnde etiã præſumi poteſt in ipſo animus pronus ad vlſciſcendum; aut ſaltem malus zelus, quod nimirum ipſi diſpliceat, quod negocia religionis referantur ad ſacram Congregationem. Coniecturæ namq. animum oſtendunt, vt notant Innocent. *in Cap. Eccleſia.* 2. *De elect.* vbi & cœteri Doctores, Petrus de Bayſio *De elect. par.* 3. *cap.* 35. *num.* 9. Menoch. *Conſil.* 96. *nu.* 24. Cum autem ſimus in caſu difficilis probationis, qualis eſt probatio animi occulti, ſufficiunt coniecturæ iuxta doctrinam, quam tradunt Marſil. *in Rubr. C. De probat. num.* 315. & *in Singul.* 1. Alciat. *Reſp.* 281. *num.* 3. Burſat. *Conſil.* 63. *num.* 20. Socin. iun. *Conſil.* 35. *n.* 31. *lib.* 2. Caſſan. *Conſil.* 19. *n.* 6.

An omnes Regulares gaudeant priuilegio, quod non poſſint de nouo erigi, vel de nouo recipi ab alijs regularibus, vel quibuſcunque alijs eccleſiaſticis perſonis Eccleſiæ, & loca, niſi in diſtantia centum quadraginta cannarum à proprijs Domibus, & Eccleſijs. Quæſt. 339.

S V M M A.

1 *Priuilegium Clementis V. de non erigendis eccleſijs &c. prope Eccleſias regularium.*
2 *An in generali communicatione priuilegiorum communicentur, quæ ſunt in præiudicium tertij.*
3 *Priuilegium de non erigendis eccleſijs &c prope Eccleſias Regul. ſuffragatur habentibus communicationem.*
4 *Communicatio priuilegiorum facit propria priuilegia.*
4 *Priuilegia communicata ſe habent vt priuilegia ad inſtar.*
5 *Quattuor ordines Mendicantium ſunt æquales in priuilegijs ex Conſtit. Leonis X.*
5 *Eadem conſtitutio habet locum in alijs Religionibus, in quibus militat eadem ratio.*
6 *Qualis ſit communicatio priuilegiorum.*

Quam

quam habent plures religiones.
7 *Qualis communicatio priuilegiorum habeat vim ſpecialis conceſſionis.*
8 *Quæ verba in communicatione priuilegiorum importent nouam conceſſionem.*
9 *Quid ſit pleuarius effectus.*
10 *Dictio,* Æque, *omnino parificat.*
11 *Dictio,* Perinde ac, *ponit totalem identitatem.*
12 *Vna Eccleſia non poteſt fundari in loco, vbi alteri præiudicat.*
13 Declaratio *ſequitur naturam iuris declarati, & habet locum in iis, in quibus habet ius declaratum.*
13 Priuilegium *declarans ius commune, eſt ius commune.*
14 *Multiplicatio Eccleſiarum quando ſit cōtra bonum commune.*
14 *Quod dirigitur in bonum commune, nulli cēſetur præiudicare; quia communis vtilitas priuata præfertur.*
15 *Priuilegium de nou erigendis Eccleſiis prope alias an ſit in præiudicium tertii.*
16 *Quando priuilegium ſit præiudiciale tertio.*
16 *Priuilegium confert ius.*
17 *An priuilegia alteri præiudicialia trahantur ratione communicationis.*
17 Communicatio *idem operatur, ac ſi priuilegia eſſent in ſpecie conceſſa.*

---

1 CLemens V. conceſſit Carmelitis, quod nulli alii Regulares poſſent erigere Eccleſias, & domos, vel erectas de nouo recipere prope ipſorum Eccleſias, & domos, niſi in diſtantia centum quadraginta cannarum. Quam cōceſſionem poſtea extendit Sixtus IV. ad omnes perſonas eccleſiaſticas, vt referūt Sorbus *in Compendio Priuileg. verbo.* Ædificare. *num.* 19. & Rodriquez *tom.* 1. *Quæſt. Regular. quæſt.* 55. *ar.* 21. & habetur. *in Mari Magno. Carmelitarum in Bullario eiuſdem* Rodriquez *Bulla* 37. *eiuſdem Sixti IV.* & apud Lezanam *nu.* 79. *eiuſdem Maris Magni.* Stante ergo communicatione priuilegiorum, quam vt plurimum habent omnes religiones, dubitatur, an omnibus religionibus ſuffragetur dictum priuilegium.

2 Et negatiuè videtur reſpōdendum; quia in generali communicatione priuilegiorum non cōmunicantur, quæ ſunt in præiudicium tertii, vt dixit Rota *in Valliſoletana Quartæ funeralis* 19. *April.* 1606. *coram Iullo*, apud Tamburin. *De iure Abbat. tom.* 3. *Deciſ* 83. *num.* 6. & *in Valentina Decimarum.* 28. *Nouemb.* 1603. *coram Lancellotto*, apud Marcheſ. *de Commiſ. tom.* 1. *fol.* 639. *num.* 2. & apud Caualer. *Deciſ.* 101. *nu.* 2. & tradunt Merol. *tom.* 3. *Theol. moral. diſp.* 6. *cap.* 4 *dub. num.* 74. ver. *Tertio excipiuntur.* Huiuſmodi autem priuilegium eſt in præiudicium tertii, ſi quidem aliis prohibet liberam ædificationem monaſteriorum, & eccleſiarum, & priuat iure, quod habent ad ipſam.

3 At *huiuſmodi priuilegium ſuffragari etiam cæteris Regularibus, certum omnino puto.* Quod notant etiam Lezana *in Summa. verbo.* Monaſterium. *num.* 20. Campanil. *in Diuerſor. iur. can.* Rubr. 12. *cap.* 13. *num.* 80. Corduba *in Adnot. ad priuileg. Mendicant. verbo.* Communicatio priuileg. §. *Tandem*. Rodriquez *tom.* 1. *quæſt. Regular. Quæſt.* 55. *ar.* 21. Portel. *in Dub. Regular. verbo.* Priuilegiorum cōmunicatio. *num.* 24. aſſerens eſſe cōmunem ſententiam. Barboſa *De iure eccleſ. lib.* 2. *cap.* 12. *num.* 72. *in fine.* Rota *in Ianuenſi Priuilegior.* 24. *Iunij.* 1647. *coram Rotas.*

4 Mouentur autem ea ratione. Quia per communicationem priuilegia fiunt propria religionis, cui communicantur, tanquam ſi per ſe primò eſſent ipſi conceſſa; quia eſt communicatio abſoluta, & perfecta, ita vt non redundet ex alio in ipſam, vt redundant priuilegia religionis in familiares, mariti in vxorem; ſed poſsint vti ex propria perſona, tanquam ſi nulli alteri eſſent conceſſa. priuilegia namque tali pacto communicata ſe habent vt priuilegia ad inſtar, ita vt concedant omnem fauorem, & effectum. quē ſecum habet priuilegium alteri conceſſum, vt docent Bald. *in l. Omnia* C. De *Epiſcop. & Cler.* Nauar. *in Comment. De iubileo. not.* 26. *n.* 2. Mandoſ. *De priuileg. Ad inſtar. quæſt.* 2. *n.* 9. Rodriquez *tom.* 2. *quæſt. Regul. Quæſt.* 58. *ar.* 4. Corduba *in Adnotat. ad priuileg. medicant. verbo.* Priuilegiorum communicat. *in fine.* Suarez *lib.* 8. *de Legib. cap.* 16. *num.* 15. Merol. *to.* 3. *The-*

Theol. moral. diſp.6. cap.4. dub.1. n.9.

5 Verum non ſolum hoc de capite Regulares fruuntur ſupradicto priuilegio, ſed etiam, quia Leo X. voluit, omnes quattuor ordines mendicantes, nempe Prædicatorum, Minorum, Carmelitarum, & Eremitarum S. Auguſtini eſſe æquales in priuilegijs conceſsis, & concedendis; & proinde motu proprio, & ex certa ſcientia ſtatuit, quod impoſterum priuilegia vni conceſſa, ſint etiam conceſſa alteri, atque adeo inſtituit cõmunem conceſsionem æqualiter reſpicientem huiuſmodi Ordines, vt habetur in *Bulla 18. eiuſdem Pontificis apud Conſeſſum.* ibi. *Dudum per nos accepto, quod Romani Pontifices prædeceſſores noſtri aliqui ad Minorum, alij verò ad Eremitarum S. Auguſtini, alij ad B. Marię de Monte Carmelo, reliqui ad Prædicatorum Ordinum Fratres, & domos iuxta ipſorum vota deuotionis affectum gerentes illorum ſingulis nonnullas gratias, conceſſiones, indulgẽtias, peccatorum remiſſiones, prærogatiuas, fauores, immunitates, exemptiones, facultates, priuilegia, indulta, ac dona tàm ſpiritualia, quàm temporalia per diuerſas ipſorum litteras reſpectiuè conceſſerunt. Nos ad ſingulos ordines prædictos, ſingulaſque ipſorum domos, vbi religiosè viuitur, indifferenter abſq; acceptione perſonarum deuotionis affectum æqua lance gerentes, omnes, & ſingulas gratias, cõceſſiones, indulgentias, peccatorum remiſſiones, prærogatiuas, fauores, immunitates, exemptiones, facultates, priuilegia, indulta tàm ſpiritualia, quàm temporalia, qualiacunque illa eſſent, quæ Prædicatorum, Minorum, Eremitarum S. Auguſtini, Carmelitarum, ſeruorum B. Mariæ, ac Minorum fratrum in domibus, & illorum Eccleſijs, Oratorijs, ac Eccleſias ipſas, & Oratoria pro tempore viſitãtibus cuiuſcunque ſtatus, ac ſexus exiſterent; ſeu pro eorum manutentione, & ornatu contribuentibus, nec non Domibus, & Præſidentibus, non ſolum Generalibus, & Prouincialibus, Fratribuſque, & Sororibus, nec non Monialibus, & Conuerſis, Oblatis, ac vtriuſque ſexus perſonis de pœnitentia, ſeu tertij habitus nuncupatis, à dictis Prædeceſſoribus noſtris, aut à nobis, ipſiſque ſucceſſoribus, aut aliàs auctoritatem habentibus, vel diuiſim in genere, vel in ſpecie conceſſa fuerunt, aut impoſterum concedentur; illa, & omnia ſingula, ac ſi nominãter exprimerentur, pro ſufficienter expreſſis tunc habentes ſingulis Ordinibus prædictis, illorumque ſingulis Oratorijs, & Eccleſias, ac Oratoria viſitantibus cuiuſcũq; ſtatus, ac ſexus exiſterẽt ſeu pro eorũ manutentione, & ornatu contribuentibus, nec nõ domibus, & Conuentualibus Fratribus, etiã & ſororibus, vel Monialibus, Conuerſis quoq; & Oblatis, ac vtriuſq; ſexus perſonis de pœnitentia nũcupatis, & alijs ſingulorum Ordinum Prædicatorum motu proprio, & ex mera noſtra ſcientia, & liberalitate de Apoſtolicæ auctoritatis plenitudine, communicauimus. Illaque omnia, & ſingula inter dictorum Ordinum perſonas pariformiter communia fuiſſe, & eſſe volumus, prout in ſingulis litteris prædictis continetur.* Quæ quidem conſtitutio, cum reſpiciat bonum commune religionum mendicantium, & habeat pro fine eas reducere ad æqualitatem, quò ad participationem gratiarum Sedis Apoſtolicæ, vt conſtat ex proemio, non continet merum priuilegium, ſed habet vim legis ordinatę ad moderationem communitatis. & ad tollendam illam partialitatem affectus Romanorum Pontificum erga hanc, vel illam religionem, & ad inducendam debitam æqualitatem, vt ſicut religiones omnes æqualiter inſudant quælibet iuxta propriam regulam pro ſeruitio Eccleſiæ, ita etiam æqualiter participent conceſsiones Apoſtólicas. Ex quo fit, quod dicta Conſtitutio habeat locum quò ad omnes religiones, in quibus militat ratio legis iuxta communem doctrinam per tex. *l. Illud ff.* Ad *leg. Aquil.* & *l. Si poſtulauerit. §. 2. ff.* Ad *leg. Iul. de adult.* & *l. A. Titio. ff.* De *furt.* & *l. Illud.* C. De *ſacroſanc. Eccleſ.* Vnde eo ipſo, quod declaratur, aliquam religionem eſſe ex mendicantibus, declaratur etiam, contineri ſub prædicta diſpoſitione.

6 Accedit etiam, quod vt plurimum habent religiones talem communicationem priuilegiorum, & talibus verbis cõceptam, vt non ſit mera communicatio,

ſed

ſed habeat uim conceſſionis nouæ, ſingulorum priuilegiorum in ſpecie, qualis eſt illa in fauorē Theatinorũ, quæ emanauit à Clemente VII. quæ eſt *in Bullario tom.1. Conſtit. 38. §. 12.* eiuſdē Pontificis. ibi. *Ac inſuper vobis, quod omnibus, & ſingulis priuilegijs, indulgentijs, prærogatiuis, exēptionibus, immunitatibus, gratijs, & indultis quorumuis, etiam Ciſtercienſium, & Cluniacenſium Monachis, & aliorum, tàm mendicantium, quàm non mendicantium, Ordinum Fratribus, tàm in ſpiritualibus, quàm in temporalibus in ſpecie, vel in genere, etiam communicatiuè per quoſcunque Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros, & pro talibus habitos, ac Sedem Apoſtolicam hactenus quomodolibet conceſſis, & impoſterũ concedendis, & quibus illi tàm in vita, quàm in mortis articulo, etiam circa peccatorum remiſſiones, & iniunctarum pœnitentiarum relaxationes, aut aliàs quomodolibet vti, potiri, ac gaudere poſſunt, aut poterunt quomodolibet in futurum, quæ omnia, ac ſi hic de verbo ad verbum inſererentur, præſentibus pro expreſſis haberi volumus, perpetuis futuris temporibus vtamini, potiamini, & gaudeatis, ac vti, potiri, & gaudere, nec non illorũ omnium participes eſſe poſſitis, & debeatis, indulgemus. Ac priuilegia, indulgentias, prærogatiuas, immunitates, gratias, & indulta Monachis, & Fratribus prædictis tàm in ſpiritualibus, quàm in temporalibus in ſpecie, vel in genere, etiam communicatiuè conceſſa, vt præfertur, ad vos extendimus, & ampliamus, ac in vobis locum habere, & ſuum plenarium effectum ſortiri debere decernimus, & declaramus.* Et ſimiliter alia quæ emanauit à Gregorio XIV. *Die 5. April. anno 1591.* vt in Bulla, quod aſſeruatur in Archiuio S. Sylueſtri de Vrbe. ibi. *Et præter priuilegia, & alia Congregationi, & Clericis Regularibus conceſſa, omnibus, & ſingulis alijs, priuilegijs, exemptionibus, facultatibus, indultis, & peccatorum remiſſionibus, & relaxationibus, cæteriſque gratijs tàm in ſpiritualibus, quàm in temporalibus quibuſuis Religionibus, Congregationibus, & Ordinibus, quocunque nomine nuncupentur, etiam Mendicantium, ac tam virorum, quàm mulierum per quoſcunque Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros, ac nos, dictamque Sedem hactenus quomodolibet conceſſis, & impoſterum concedendis, ac quibus illorum vtriuſque ſexus perſonæ de iure, vel conſuetudine, aut ex priuilegio, vel aliàs quomodolibet vtuntur, potiuntur, & gaudent, ac vti, potiri, & gaudere poſſunt, & poterunt quomodolibet in futurum in his, quæ eorum regularibus inſtitutis non aduerſantur dũtaxat, non ſolùm ad eorum inſtar, ſed æquè principaliter, ac pariformiter in omnibus, ac per omnia perinde, ac ſi eidem Congregationi, & Clericis ſpecialiter, & expreſsè conceſſa forent, vti, potiri, & gaudere liberè, & licitè valeant, perpetuò concedimus, & indulgemus; illaque eis communicamus, & concedimus, & ad eos extendimus &c.*

7 Hæ autē cõmunicationes habent vim ſpecialis conceſſionis ob clauſulas prægnantes, quibus conceptæ ſunt, nã imprimis adeſt clauſula, *Quæ omnia, ac ſi de verbo ad verbũ inſererentur pro expreſſis &c.* quæ habet vim ſpecialis, & indiuiduæ expreſsionis, vt docent Felin. *in Cap. Nonnulli n. 6. De reſcrip.* Craueta *Conſil. 127. n. 7.* Burr. *Conſil. 2. n. 5.* Geminian. *Conſil 65. n. 22.* Caſtodor. *Deciſ. 10. n. 3.* & *Deciſ. 38. n. 3. ad Reg. Cancellar.* Sarnenſ. *ad Reg. Cancellar. q. 6. in Proem.* Valenz. *Conſil. 152. n. 38. & 39* Tuſch. *Littera* C. *Concluſ.* 350. *n.* 1. Rub. *in Singul. Rotæ tom. 2. part 4. clauſ. 658. n. 1. & 2.* Marta *par. 1. Clauſ. 139. n. 1.* alios citans. Rota *in Clomac. & Ferrar. præpoſituræ 15. Decemb. 1625. coram Rembol.* & *in Oſpalenſi præeminentiarum 15. Martij 1613. apud Farinac. Deciſ. 66. nu. 5. par. 1. Recent.* Et facit, quod õnia habeantur pro expreſsis non ſecus, ac ſi fuiſſent expreſſa de verbo ad verbũ, vt dixit Rota *Deciſ. 407. n 7. par. 1. Recent.* aliàs *par 4.* & *Deciſ. 607. n 2. par. 1. apud* Farinac. *in Poſth.*

8 Rurſus in dictis conceſſionibus ad ſunt verba, *Extendimus ampliamus, concedimus*, quæ importãt conceſsionē priuilegiorũ factã etiã ipſis, ſi quidē extendere & ampliare importat talē dilatationē, qua res extenſa trahatur ſecundũ ſe, & per ſe primò ad illud, ad quod fit exten-

tenſio, & operatur, quod diſpoſitum in vno, ſit æquè diſpoſitũ in alio, vt in Cap. *fin. in fine*. Ne *cler. vel Monachi*; præſertim ſi adſit etiam verbũ, *Concedimus*, nã ex vi ipſius priuilegium ſortitur eũdem prorſus effectũ, ac ſi de nouo concederetur nulla alia præexiſtente ipſius conceſſione.

9 Similiter extenſio eſt facta cũ clauſula *Plenarij effectus*, & ideo debet ſortiri illũ eũdem effectũ, quem ſortita eſt prima conceſsio; ſi quidẽ plenariũ eſt illud, cui nulla additio fieri poteſt, vt notant Bald. *Conſil.* 379. Tuſch. *Littera*. D. *concluſ.* 330. *n.* 1. Non eſſet autem cũ plenario effectu, ſi haberet aliquid minus, quã habeat in ſua conceſsione.

10 Denique ponitur etiã clauſula, *Æqua principaliter, ac pariformiter, perinde ac ſi &c.* quia conſtituuntur Theatini vt principales participantes dicta priuilegia. Dictio enim *Æquè* in totũ, & omnino parificat tã quò ad qualitatem, & ſubſtantiam, quàm quò ad effectũ. *l. Imitus. in fine. ff.* De *fideicom. liber* & *l. Interdum. ff.* De *hæred. inſtit.* & *l. Legata inutiliter. in fine. ff.* De *leg.* 1. & notant Corneus *Conſil.* 75. *n.* 24. & *Conſil.* 240. *n.* 4. *vol.* 1. Alexan. *Conſil.* 170. *vol.* 5. Gomez *in §. Æquè. n.* 8. Inſtit. *De action*, Cened. *Singul.* 77. *n.* 1.

11 Quod etiam præſtat dictio, *Perinde ac*. nã ponit identitatẽ totalẽ, & omnimodã, ita vt quod ſtatuitur circa vnũ, ſit etiã ſtatutũ eodem modo circa aliud, vt docent Bald. *in l. Sed ſi lege §. Perinde. ff.* De *petit. hæred.* Felin. *in Rubr. De probat.* Franciſ. Aretin. *in l. Rem. ff.* De *acquir. poſſeſ.* & *in l. Titia. §. Idem.* & *in l. Pluribus. ff.* De *verbor. obligat.* & *in l. Cum hæres. ff. De acquir. hæred.* & *in l. Lecta. ff.* Si *cert. pet.* Et proinde facit, quod conceſſio ita amplietur, ac ſi eſſet vna, & eadẽ facta pluribus religionibus in ſui primordio.

12 Alterum caput, ex quo deducitur dictum priuilegiũ ſuffragari omnibus religionibus, eſt, quod ita continet fauorem, vt ſimul etiã ſit declaratiuũ iuris cõmunis. De iure enim cõmuni non poteſt vna Eccleſia fundari in loco, vbi cæteris prius fundatis præiudicet Cap. *Quæcunq;* & Cap. *Eccleſia.* 17. *Quæſt.* 1. & Cap. *Cum dicant.* De *eccleſ. ædifican.* & notant Cardin. *Conſil.* 8. *n.* 13. Rota *in Ciuitaten. Conſtructionis Capellæ.* 1588. *apud* Lezanam *in Mari magno Carmelit. n.* 434. & ipſi inſiſtens innouatũ fuit à S. Congregatione ex viuæ vocis oraculo Gregorij XV. *Sub die* 27. *Auguſti* 1621. & ab Vrbano VIII. *ſub die* 28. *Auguſt.* 1624. in *ſua Conſtit.* quæ incipit. *Romanus Pontifex.* Et ideo cũ prædictũ priuilegiũ ob vitandũ præiudiciũ velit, ne intra ſpaciũ centũ quadraginta cannarũ poſsint eccleſiæ de nouo erigi, aut de nouo recipi à quibuſcunque perſonis eccleſiaſticis, conſtituit media, quibus vitandum ſit præiudicium, quod de iure communi vitandũ eſt, & ideo declarat ius commune.

13 Cum autem declaratio ſequatur naturam iuris declarati, & ipſi inſit *l. Aſſe toto. ff.* De *hæred. inſtit.* & *l. Vnum ex familia. §. Si de falcidia. ff.* De *legat.* 2. & *l. Heredes palam. §. Si quid poſt. ff.* De *teſtam.* & *l. Adeo. §. Cum quis. ff.* De *acquir. rer. domin.* & Clemen. 1. *De iurepatr.* & notant plures cum Gloſ. *in Cap. Cum te.* De *vſur.* & *in Cap. Per ſuas.* verbo. *De nouo.* De *donat.* quos recenſui *Quæſt.* 61. *num.* 7. *Centur.* 1. *quæſt. moral. canon.* Sequitur, quod dictum priuilegiũ tanquã quædã declaratio habeat locũ in omnibus, in quibus locũ habet ius cõmune, & proinde faueat omnibus Regularibus, ſicut fauet lex ipſa declarata. Vnde huiuſmodi priuilegiũ debet potius dici ius cõmune, cũ contineat ius cõmune ipſũ declarando, & determinando ſecundũ doctrinã Bald. *in l.* 1. ver. *Vnde quæritur.* C. De *furtis.* Menoch. *Conſil.* 36. *n.* 28.

14 Atq; elicitur hinc alia ratio. Cũ .n. ſit cõtra bonũ cõmune religionũ, quod multiplicentur eccleſiæ, & ita vicinæ ſint, vt diſpertitis eleemoſinis piarũ perſonarũ, non poſsint religioſi cõgruè ſubſtentari, & Eccleſiæ cũ debito cultu manutenerĩ, vt deſumitur ex *Conſtitutionibus* S. Congregation s, & Vrbani VIII. De quibus ſupra *n.* 12. Et ideo, cũ dictũ priuilegiũ prouideat cõmuni bono religionum, et remediũ adhibeat huic incom-

cõmodo, non eſt cenſendũ præiudiciale tertio. Quia quod dirigitur in bonum cõmune, non cenſetur alicui præiudicare, etiã ſi aliquid iuris ipſi detrahat, quia cõmunis vtilitas priuatæ vtilitati præferenda eſt. *l. fin.* C. Cõmunia *De legat.* & *l. Vtilitas.* C. *De priuileg. lib.* 12. et *l. Actione. 9. Labeo ff. Pro ſocio* et Cap. *Scias.* 17. *Q.* 2. ibi. *Plurimorum vtilitas vnius vtilitati, vel voluntati præferenda eſt.* Et proinde, cũ ſolũ inferatur præiudiciũ, quia fit aliquid contra ius tertij, et tertius non habeat ius contra id, quod exigitur à bono cõmuni, quia ius ſupremũ exigit bonũ cõmune præferri priuato, non eſt prę iudiciale alteri, quod fit iuxta exigentiã publicæ vtilitatis. Sic plurimæ leges ob bonũ cõmune decernunt id, quod detrahit de iure tertij, vt lex præſcriptionis, quia ius tertij ex natura ſua cedit vtilitati publicæ.

15 Demũ non poteſt dici, quod præfatum priuilegium de non erigendis, vel de nouo recipiendis Eccleſijs infra ſpaciũ centũ quadraginta, cannarũ ſit in præiudiciũ tertij. Nã ſi agamus de religioſis cõmunicantibus in priuilegijs, eſt æqualiter omnibus fauorabile, cũ omnes poſſint fauore ipſius gaudere. Et cũ ſingula monaſteria, prout occaſio tulerit, poſſint ſe tueri viciſſim dicto priuilegio contra volentes infra dictũ ſpaciũ Eccleſias erigere, aut recipere, ita vt ij cõtra quos profertur priuilegiũ, poſſit alia vice eodẽ priuilegio cõtra proferentes ſe tueri, ęqualiter omnes participant de fauore, et de præiudicio, ſi quod afferret. Si verò loquamur de perſonis eccleſiaſticis nõ participãtibus dictũ priuilegiũ, neq; ipſis præiudiciale eſt. Quia impediẽdo, ne poſſint infra dictũ ſpacium erigi, vel de nouo recipi Eccleſiæ, et loca, impedit, ne inferatur præiudiciũ Eccleſijs, et religioſis præexiſtentibus; non fit autem præiudiciũ illi, cui impeditur, ne alteri inferat præiudiciũ; præſertim quia non priuantur aliquo iure, quod habeant ad fũdãdas, aut recipiẽdas de nouo eccleſias.

16 Pro cuius declaratione eſt aduertendũ, quod tunc ſolum priuilegium dicitur præiudiciale tertio, quando tendit contra ius præexiſtens, ita vt priuet tertium iure aliquo quæſito iuxta doctrinam, quam tradunt Bald. *in l.* 1. *n.* 8. *ff. De conſtit. princip.* Panorm. *in Cap. Quia. De priuileg.* et *in* Cap. *Olim.* De *verbor. ſignificat.* Merol. *tom.* 3. *Theol. moral. diſp.* 6. *cap.* 2. *n.* 48. Non autẽ, quando impedit, ne quis acquirat ius de nouo; quia cum priuilegiũ conferat ius Cap. 1. *De præben. in* 6. impedit, ne contra hoc ius conſurgat ius alterius, non ſecus, ac impediat, lex. Quare cũ nemo habeat ius erigendi Eccleſias, aut recipiendi de nouo ſine facultate ſuperiorum, priuilegũ, quod non poſſint erigi, aut recipi de nouo, niſi intra certũ ſpaciũ, non auferet aliquod ius quæſitũ, ſed ſolũ impediet acquirendum, et ideo non erit priuilegium odioſum, atque in præiudicium tertij.

17 Neque obſtat, quod incontrariũ *n.* 1. allatũ eſt; Nam vt conſtat ex dictis, cũ priuilegiũ, de quo agimus neq; ſit in præiudicium tertij; neque ſi eſſet, impediretur communicatio, cũ ſit in ſpecie conceſsũ, vt conſtat ex dictis. Imo quod priuilegia, quæ ſunt in præiudicium tertij nõ trahãtur ratione cõmunicationis, non eſt doctrina, quæ ſubſiſtat, quia cõmunicatio idem operatur, ac ſi in ſpecie fuiſſent conceſſa, vt tradũt Oldrad. *Conſil.* 300. *n.* 8. ver. *Præſertim.* Bertand. *Cõſil.* 149. *n.* 2. *lib.* 1. Paris. *Conſil.* 22. *n.* 5. *lib.* 4. Io. Crot. *in l.* 1. *n.* 13 *ver. Vltima concluſ. ff. De leg.* 1. Iacob. de Nigel. *n.* 5. *&* 6. vbi et cœteri Doctores. Roman. *Conſil.* 383. *n.* 2. Natta. *Conſil.* 432. *n.* 9. *&* 15. *lib.* 1. Creſcent. *Deciſ.* 9. *n.* 5. *De priuil.* Rota *Deciſ.* 8. *n.* 5. *par.* 2. *Diuer.* Et eo magis, quando in cõmunicatione adſunt ampliſſimę clauſulæ, vt notant Crot. & Nigel. *citati.* Roland. *Conſil.* 60. *num.* 2. *& ſequent* Crauet. *Conſil.* 298. *num.* 1. Et quando Pontifex vult priuilegia, In omnibus, & per omnia, et pariformiter cõmunicari abſq. vlla differentia, vt dixerunt Ripa *in l.* 1. *num.* 1 *ff.* De *leg.* 1. & ibi cœteri Doctores. Creſcen. *Deciſ.* 9 *num.* 5. *De priuileg.* Rota *Deciſ.* 8. *num.* 5. *par.* 2. *Diuer.* & *Deciſ.* 30. *num.* 7. *tom.* 2. *par.* 4. *Recent.* Quæ omnia abunde interueniunt in noſtro caſu, et ideo per cõmunicationem priuilegiorũ

tra-

traduntur etiam ea, quæ continet aliquod præiudicium tertii. Et ita iudicauit Rota ad fauorem PP. Theatinorum Ianuæ degentium, cuius Deciſiones ſubijciam.

R. P. D.

R^t O I A S.

Ianuen. Priuilegiorum.

Veneris 24. Iunij 1647.

DECISIO I.

De priuilegio Regularium, quod infra 140. cannas non erigantur Eccleſiæ prope ſuas. deque ipſius obſeruantia.

S V M M A.

18 *Priuilegium ne noua monaſtria erigantur niſi in diſtantia 140. cannarum à Regularibus.*

19 *Suffragatur Theatinis.*

19 *Communicatio priuilegiorum quid operetur.*

20 *Priuilegiorum communicatio non intelligitur de praiudicialibus tertio.*

20 *Quando procedat etiam de ipſis.*

21 *Priuilegium 140. cannarum diſtantia inter conuentus in ciuitatibus magnis non eſt in vſu.*

22 *Imo etiam in ipſis eſt in vſu.*

22 *Non amittitur per non vſum aliquorum monaſteriorum.*

22 *Aſſertio aliquorum Doctorum non probat non vſum.*

23 *Allegans obſeruantiam debet probare in terminis indiuiduis.*

23 *Obſeruantia poſitiua in actibus facultatiuis non conuincit.*

24 *Priuilegij 140. cannarum obſeruantia.*

24 *Priuilegium conceſſum vni monaſterio, prodeſt omnibus.*

25 *Conſtitutiones Clementis VIII. Greg. XV. & Vrbani VIII. non reuocant priuilegiũ 140. cannarum.*

26 *Diuerſio populi ab aliqua Eccleſia viuentium ex eleemoſinis, eſt ipſis praiudicialis.*

26 *Fundantes Eccleſiam vicinam veteri praiudicant, etiam ſi non mendicent.*

25 *Priuilegium 140. cannarũ eſt reſpectu quorumcunq. ordinum.*

26 *Facienda, quæ cæteris nõ nocẽt, & alijs proſunt.*

Centur. IV.

18 PAtribus Oratorij S. Philippi Nerii ciuitatis Ianuen. non licere reſidere in Eccleſia S. Pancratij poſt quintam cauſæ propoſitionem fuit hodie reſolutum, ex quo d. Eccleſia S. Pancratij non diſtat ab Eccleſia Parrochiali S. Siri, in qua reſident Patres Theatini per cannas 40. Vnde obſtant priuilegia Apoſtolica emanata ad fauorem plurium Religionum, ne alij Religioſi, vel perſonæ Eccleſiaſticæ, vel pia loca valeant acquirere intra ſpatium 140. Cannarum. Potiſſimum eſt illud ad fauorem Patrum Carmelitarum Clem. IV. ſiuè potius Clementis V. relatum per *Roderic. quaſt. reg. tom. 2. q. 49. ar. 5.* Cõfirmatũ per Sixtum Quartum. vt refert, *Sorb. in compend. priuil. regul. verb. ædificare num. 19.* in quo expreſſis verbis prohibetur, ne intra ſpatium 140 Cannarum proximũ Eccleſijs Carmelitarum poſſint per quaſcunque perſonas Eccleſiaſticas nouę Eccleſię ædificari, ſiue de nouo recipi; vnde quamuis prima pars prohibitionis locum fortaſſe ſibi non vendicaret in præſenti, ex quo Patres Oratorij non intendunt nõuam conſtruere Eccleſiam, ſed conſtructam ampliare iuxta *deciſ. Mantic. 163.* certè locum ſibi vendicat ſecunda pars priuilegij prohibens, ne de nouo Eccleſię recipiantur, in quibus terminis nos verſari non eſt dubium.

19 Præfatum verò priuilegium conceſſum per ſummos Pontifices Patribus Carmelitanis ſuffragari in præſenti Patribus Theatinis, dicebant Domini ex quo Clemens Septimus communicauit eiſdem generaliter omnia priuilegia mendicantium, vt habetur in Conſtitutione eiuſdem Clementis VII. *In* 38. *num 32. Bullar. tom. 1. fol.* 505. ibi, *Exemptionibus, immunitatibus, &* infra *exemptiones gratias &c.* plenarium effectum Sortiri debere decernimus, quę priuilegia venire ſub communicatione cenſuit *Rot. deciſ. 87. num. 5. par. 4. recen.* cuius priuilegij tenor eſt ſeruandus *cap. porrò de priuil. Rot deciſ. 791. n. 1. par. 3. rec. Mant. d. deciſ. 163. n. 2.* & communicatio priuilegiorũ operatur idem, ac ſi eadem priuilegia ſpecificè conceſſa fuiſſent *Oldrad. conſ.*

H 300.

300. in princ. n. 6. Pariſ. conſ. 22. n. 5. lib. 4. Rot deciſ. 40. in princ. par. 4. rec. & tradit Roderic. q. reg. tom. 1. q 9. art. 9.

20 Nec obſtat, quod dicta Cõmunicatio priuilegiorum non intelligatur de priuilegijs tendentibus in præiudicium tertij, & fuit deciſum in *Valētina decimarum 28. Iunij 1603. Cor. Lancellotto penes Marcheſ. de Commiſſ. tom. 1. fol. 639. n. 2. in Valiſoletana quarta funeralis 19. Aprilis 1606. Coram Iuſto, apud Tambur. de iur. Abb. tom. 3. deciſ. 83: n. 6. Caual. deciſ. 101. n. 3.* quia hæc reſponſio non viſa fuit tuta, ex quo in puncto, quod d. priuilegio Clementis V. gaudeant alij habentes communicationem cum priuilegijs mendicantium, tradit *Barboſ. de Iur. Eccle. vniuerſ. lib. 2. cap. 12. n. 72. in fin. Campanil. diuerſorium Iuris Canonici rubr. 12. cap. 13. num. 81. verſ. Et quia præſertim*, cum d. communicatio priuilegiorum ad fauorem Patrum Theatinorũ ſit ampliſſimis verbis concepta, & loquatur etiam de priuilegijs præiudicialibus Ordinario, ſeù tertio.

21 Minus obſtat alia reſponſio adducta per informantes pro Patribus Oratorij Sancti Philippi, quod d. priuilegium nõ ſit in vſu in Ciuitatibus magnis, qualis eſt Ciuitas Ianuenſis, dum in illis valent plura monaſteria mendicantium viuere ob magnam affluentiã eleemoſinarum, quibus illa Ciuitas abundat, vt notat *Sorb. in compen. priuil. regul. verb. ædificare. n. 20. in annot. verſ. quoad diſpoſitionem Tambur. in. de Iur. Abb. tom. 3. diſp. 5. q. 3. ſub n. 2.*

22 Attamen contrarium viſum fuit manifeſtè apparere ità & aliter, vt tale priuilegium extet in vſu etiam in Ciuitatibus magnis, prout expreſſe voluit *Corſect. in lib. de priuil. mēdic. tit. 3. c. 3. Cãpanil. diu. Iur. canon. dicta rubr. 12. cap. 13. nu. 18. verſ. Sorbus autem, & verſ. Attamen* vbi reprobat Sorbũ ſupra adductum, & reddit rationem, quia cum priuilegium ſit conceſſum ordini regularium, non abrogatur per eius non vſum, aut contrarium vſum aliquorum monaſteriorum *cap. ſi dilecti de for. compet. Miran. manual. Prælat. q. 33. art. 3.* vbi quod non amittitur hoc priuilegium per non vſum per decẽnium, neque per vllum tempus *Barboſ. de poteſt. Epiſc. alleg. 26. n. 10. Rot. deciſ. 240 n. 5. & ſequen. par. 4. diuerſ. Burat. deciſ. 704. n. 9. & 10. & par. 1. rec. deciſion. 72. nu. 9. & par. 5. deciſ. 63. n. 10.* vltra ad probandum non vſum non ſufficit atteſtatio aliquorum Doctorum, cum illis circa hoc non credatur, pręſertim quia non ſunt verſari in Ciuitate Ianuæ *Surd. conſ. 74. n. 14. Mohed. deciſ. 2. n. 3. de conſuet. Coccin. deciſ. 123. n. 27.* cũ alijs congeſtis *per Maſcard. de probat. concluſ. 528. n. 1. et ſeq. vbi n. 3.* ampliat etiamſi plures Doctores teſtentur de contrario.

23 Nec fuerunt habita in conſideratione exempla adducta per Patres Oratorij, quia eſſet probandum, quod in illis caſibus regulares vicini, vt in pręſenti ſe oppoſuerint, dum fundans ſe in obſeruãtia tenetur eam probare in terminis indiuiduis caſus controuerſi *Mant. deciſ. 56. n. 7. Seraph. 326. n. 2. Burat. deciſ. 226. n. 6.* quandoquidem caſus, qui pro non vſu adducuntur, non concludunt, quia valuit in illis interuenire regularium vicinorum conſenſus, quocirca non eſt inferendum ad caſũ, quo ipſi contradicunt, vt in præſenti, prout in terminis priuilegii ſuper 4. funerali extat deciſio in *Rauenaten. quartæ funeralis 20. Iunij 1622. coram b. m. Coccino.* ea ratione, quia non fuit in poteſtate Regularium conſentire, vt monaſteria noua erigerentur, talis obſeruantia affirmatiua in actibus facultatiuis non conuincit, quod idem ſit ſeruatum ipſis Religioſis inuitis. *Ruin. conſ. 28. n. 10. et ſeq. lib. 1. Menoch. conſ. 205. n. 63. Surd. conſ. 460. n. 80. Seraph. deciſ. 817. nu. 5. Verall. deciſ. 204. n. 2. p. 3. Caual. deciſ. 85. n. 1*

24 Sed ceſſat difficultas, quia obſeruãtia, & vſus dicti priuilegij potius probatur in præſenti ex Breui San. me. Pauli V. ad fauorem eorundem Theatinorum contra RR. PP. Societatis Ieſu *Summario Theatinorum n. 6.* prout rurſus idem fuit ſeruatum contra Præsbiteros ſæculares S. Caroli in Ciuitate Neapolitana *d. Sũm. n. 7.* de quo meminit *P. de Lezana in ſum. quæſt. reg. verb. Monaſteria regular. num. 2*

fol.

ſol. 403. verſ. Vnde cum qui Presbiteri S. Caroli certe nec erãt mendicantes. Quod Breue valdè vrgere dictũ fuit, ſiuè interpretetur emanatum fuiſſe in exequutionem antiquorum priuilegiorum, ſiuè in vim noui priuilegij, vtroq. caſu idem militat, dum priuilegium conceſſum monaſterio vnius loci prodeſt omnibus, & ſingulis monaſterijs aliorum locorum eiuſdem ex conſtitutione Pij I V. quæ licet non procedat in priuilegijs conceſſis, ſeù cõcedẽdis particularibus perſonis Religioſorum, locum tamen habet in omnibus priuilegijs conceſſis ipſi Monaſterio, vt perbelle explicat *Roderic. quæſt. regul. to. 1. q. 55. art. 9. et art. 18. verſ. aduertendum*, & id totum etiam in vim alterius Conſtitutionis Leonis X. relatæ à Confecto *in collect. priuil. regul. inter conſt. Leonis X. Conſtit. 18. ſol. 138.* ibi, aut in poſterum concedentur. etiã priuilegia poſtea conceſſa & in futurum concedenda ſuffragantur, cum lex ſemper loquatur *l. Ariani C. d hæret. Caſtr. conſ. 235. n. 1. reſtat reſpondere lib. 1. Rot. in Cracouien. Iuris legendi 19. Iunij 1626. coram bon. mem. Coccino.*

25 Nec eſt dicendum, præfatum priuilegium fuiſſe reuocatum per Conſtitutiones nouiſſimas Clementis Octaui *la 9*. *Bullar. nou. tom. 3. ſol. 146. Gregor. XV. conſtit. 31. tom. 4. ſol. 138. et Vrbani V I I I. Conſtit. 25. eod. tom. 4. ſol. 265.* nam in dd. Conſtitutionibus ne verbum quidem de 140. cannis, de quibus ſpecifice legitur facta mentio in antiquis Conſtit. *Et Rot.* in hac materia ſeruat antiquas Conſtitutiones *vt in Ianuen. Domorum coram Manzanedo, quæ eſt la 87. nu. 5. par. 4. rec.* & cum præfatæ conſtitutiones non diſponant niſi inter regulares, non derogãt Iuri prohibendi, quod ex dicto priuilegio regulares habent aduerſus cunctas perſonas Eccleſiaſticas, ne Eccleſias de nouo recipiant, de quo dd. Conſtitutiones nõ loquuntur iuxta theoricam *Bald. in l. 1. §. final. C. de latin. libert. tollẽ. Ramon cõſ. 17. n. 1. et 2. Mant. deciſ 104. n. 5. Rot. deciſ. 103 n. 5. par. 2. rec. et deciſ. 289. n. 7. par. 3.*

26 Satis autem præfatas antiquas cõſtitutiones ſeu priuilegia vrgere, ponderatum fuit contra Patres Oratorij S. Philippi propter prçiudicium, quod eorum nimia vicinitas infra ſpatium cannarum 40. afferret Patribus Theatinis in Eccleſia Sancti Siri reſidẽtibus ratione eleemoſinarum, quas dubitari non poteſt, quin erga eoſdem Theatinos tenuiores redderentur propter nimiam vicinitatem, dum Eccleſia Sancti Siri ſacramenta percipere per aſſuetos diuerteretur ad nouã Eccleſiam Oratorij Sãcti Philippi; quod præiudicium, quamuis non eſſet conſiderabile, ſi ageretur de noua introductione in ciuitate idonea ad ſubminiſtranda alimẽta omnibus mendicantibus iuxta terminos dictę conſtitutionis 99. Clementis Octaui de qua loquitur *Rota deciſ. 745. part. 2. recen.* ſummoperè tamẽ extat conſiderabile, quod noua Eccleſia conſtrueretur intra d. breue ſpatium præfatarum cannarum 40. propter ęmulationem, & rixas, quæ inter eccleſias tã vicinas poſsent exoriri, ad quas euitãdas emanauit priuilegium Clementis V. vt habetur in verbis relatis *à Roderico in collect. priuileg. tom. 1. ſol. 209. col. 1. num. 79* ibi *et vt quieti eorum fratrum etc. Rot. dicta deciſ. 87. num. 5. pa. 4. Rec.* Nec ſat eſt quod intrare volentes non mendicent, quia oportet, vt nec aliud faciãt, ex quo aliquod detrimentũ cœteris regularibus obuenire poſſit, vt tradit *Pater de Lezan. Modern. Carmelit. Matriten. in d. ſumm. q. reg. verb. monaſteria ſol. 400. n. 6. Rot deciſ. 87. n. 5. par. 4. rec.* Quocirca nil vrget, imò retorquetur *d. deciſ. 676. n. 10. par 1. rec.* in qua dictum fuit non præiudicari Theatinis per vicinitatem Collegij Societatis Ieſu, dum in huiuſmodi Collegijs nullus non Religioſus ex eiſdem ſepelitur; nec ibi eleemoſinæ pro miſſis, & alijs officijs admittituntur: & non attendi, an hi, qui de nouo volunt Eccleſias acquirere, ſint mendicantes, vel non mendicantes, habetur ex d. priuil. Six. IV. vbi extendit priuilegium Clem. loquentis de mendicantibus ad omnes alios Religioſos aliorum ordinum etiam non mendicantium, & ad quaſcumque alias Eccleſiaſticas perſonas refert *Sorbo in compend. Priuil. Regul. verbo ædificare num. 19. & eadem*

Bull. eſt impreſſa à Lezana tom. 5. ſumm. par. 2. §. 79. fol. 519. & in comment. nu. 431. fol. 807.

Quam ſententiam eo libentius Domini amplexi fuere, dum Patribus Oratorij S. Philippi nil nocet reſidere in loco remotiori, & Patribus Theatinis hoc multũ prodeſt, præſertim cum ipſi ſine redditibus ex puris elemoſinis ſpõte à fidelibus oblatis & non emendicatis viuant ſuntq. certè omnia facienda, quæ cœteris non nocent, & illis proſunt iuxta *tex. in l. 2.* ibi *niſi ei nihil noceat*, & ibi *Bart. verſ. ad huius autem ff. ſol. matr. Imol. conſ. 17. n. 18.*

Et ita reſolutum vtraque parte informante &c.

R. P. D.

R O I A S

Ianuen. Priuilegiorum.

Veneris 24. Ianuarij 1648.

DECISIO II.

De eadem materia, deq. vigore eiuſdem priuilegij.

S V M M A.

26 *Priuilegium, ne erigantur Eccleſiæ intra 140 cannas communicatum Theatinis.*
27 *An attendendum.*
28 *Priuilegium diſtantiæ 300. cannarum Eccleſiarum ab Eccleſiis regularium an ſit in obſeruantia.*
29 *Ex non vſu vnius priuilegij non deducitur non vſus alterius ſimilis.*
29 *Priuilegium facultatiuum non amittitur ex non vſu.*
29 *Quid requiratur, vt amittatur priuilegium facultatiuum.*
30 *Priuilegium 140. cannarum non pugnat cũ conſtitutionibus de ædificatione monaſteriorum.*
30 *Imo ſunt ampliatiuæ illius.*
31 *Data compatibilitate lex non tollit priuilegium.*
32 *Noua Eccleſiæ conſtructio, vbi iam conſtructis præiudicet, eſt probibita.*
33 *Diminutio concurſus Eccleſiæ eſt diminutio eleemoſinarum, et alimentorum ipſi inſeruientium.*
33 *Lex abhorret damnum circa alimenta.*
34 *Præiudicium ex quocunque capite impedit, ne prope erectas nouæ Eccleſiæ erigantur.*

---

27 Firmatum fuit coram me ſub die 24. Iunij 1647. quod priuilegiũ Clementis V. ad fauorem Carmelitarum conceſſum, relatum *à Roderic. quæſt. reg. tom. 2. q. 50. art. 5.* confirmatum per Sixtum IV. vt refert *Sorb. in compend. priuileg. regul. verb. ædificare num.* 16. prohibens ſ ne alij religioſi, vel perſonæ Eccleſiaſticæ, aut pia loca poſſint intra ſpatiũ 140. Cannarum proximum Eccleſijs Carmelitarum nouas Eccleſias ædificare, aut de nouo recipi, ſuffragari debeat PP. Theatinis, quibus idẽ priuilegiũ cõmunicatũ fuit per Clement. VII. vt habetur in 38. Cõſtitutione inter eius impreſſas in Bullar. tom. 2. nu. 12. fol. 505. vbi generaliter omnia priuilegia mendicantium prædictis PP. Theatinis cõmunicauit. Quapropter dictnm fuit, vt Præsbiteri Oratorij S. Philippi Nerij Ciuitatis Ianuæ nequeãt, reſidere in Eccleſia S. Pancratij, quæ non diſtat ab Eccleſia Parochiali S. Siri, vbi reſident PP. Theatini, per Cannas 40. ex rationibus, & fundamentis adductis in deciſione per me extenſa, ſuper quibus hodie repropoſita cauſa DD. ſteterunt in deciſis.

28 Admittunt enim PP. Oratorij exiſtentiam prædicti priuilegij, ac illius cõmunicationem ad fauorem Theatinorũ, ſed ſolum dicunt, illud nullo modo eſſe attendendum, tum quia in diſſuetudinẽ abijt; Tũ etiam quia fuit de medio ſublatum, & reuocatum per Conſtitutiones Clementis VIII. la 99. Gregorij VX. la 31. Vrbani VIII. la 25. in ordine inter Conſtitutiones eorumdem Pontificum, in quibus noua forma præſcribitur circa erectionem conuentuum, non obſtantibus Conſtitutionibus Apoſtolicis, cœteriſque in contrarium facientibus.

29 Non vſus autem dicti priuilegij deducere denuò conãtur ex litteris Sacræ

Con-

Congregationis Fpiſcoporum, & regularium; vbi atteſtatur, priuilegium conceſſum ſuper diſtantia 300. Cannarum non eſſe in obſeruantia, cui atteſtationi Sacræ Congregationis, ac emanatæ de ordine Papæ plena fides adhibenda eſt, & Rota ſemper multum detulit *Buratt. deciſ.479.num.3.vbi Add.n.20.& fuit dictum in Maioricen. Parochialis 13. Iunij 1646. coram R.P.D.meo Celſo.*

30 Sed huic obiecto reſponſum fuit, quod ex dd. litteris non inducitur probatio non vſus prædicti priuilegij Clementis V. cum loquantur de priuilegio prohibente, ne infra ſpatium 300. cannarum ædificari poſſit, illudque dicitur non eſſe in vſu; Vnde ex hoc deſumi nō poteſt probatio non vſus quoad iſtud priuilegium valde diuerſum ab illo. Et quatenus verò probaretur dictus non vſus, tamen non ſufficeret ad hoc, vt priuilegium Clementis V. non ſit attendēdum. Quia nos verſamur in caſu priuilegij facultatiui reſpectiuè, quod non amittitur ſimpliciter ex non vſu; ſed ad hunc effectum requiritur lapſus temporis cum contrario vsu *Cap. ſi de terra, & cap. accedentibus de priuil. gloſ. in l. 1. ff. de nundin. Abbas conſ.18. n.4. & 7. verſ non obſtat. circa medium, & conſ.61. num.7 par. 2. latè Suarez de legib. lib.8 cap.34. nu.15 & 16. & reſoluit Rota in Meſſanen. Decanatus 23. Maij 1644 coram R. P. D. meo Ghiſilerio;* Itaut ad probandum dictum contrariū vsū requiſitum pro amiſſione priuilegij opus ſit ſpecificè doceri, quod alij religioſi, ſeu perſonæ Eccleſiaſticæ intrà ſpatium 140. Cannarum propè Eccleſias Theatinorum ædificarunt ipſis Theatinis contradicentibus, quod eſſet actus eidem priuilegio contrarius ex relatis per Reuerendiſs. D. meū Decanum *in d. Meſſanen. Decanatus 27. Ianuarij 1642.* cui actui poſitiuo, ſi Theatini acquiuiſſent, tunc reuera prætendi poſſet, dictum priuilegiū facultatiuum fuiſſe amiſſum, *vt tradunt DD. in l.1. C. de ſeruit. & acq. Surd. conſ.127. n.2.* & dixit *Rot. coram bo. me. Merlino in Dertuſen. Vicariæ 22. Aprilis 1624. quę eſt deciſio 186. poſt Poſſ. de manuten. & dec.288. n.14. p.6. rec.*

31 Nec ſubſiſtit, quod dictū priuilegium Clementis V. fuerit abrogatum; ſeu reuocatū ex nouis Conſtitutionibus Clementis VIII. Gregorij XV. & Vrbani VIII. ſupra relatis. Quia in dd. Conſtitutionibus nulla ſit mentio de hoc priuilegio; ſed tantum prohibent, ne noua Monaſteria erigi poſſint, niſi vocatis Procuratoribus aliorum Conuentuum, ſine quorum detrimento Conuentus erigendus ſubſtentari valeat: Quod nihil commune habet cum d. priuilegio. Vnde, cū iſtud non repugnet expreſſis, & diſpoſitis in eiſdē Conſtitutionibus, non debet per illas cenſeri priuilegium derogatum *Bald. in l. vnica S. fin. C. de latin. libert. toll. Mant. deciſ.104. num.5. & 289. num. 6. par.3 recent.* Cum itaque diſpoſitum in Conſtitutionibus non ſit contrarium diſpoſitis in priuilegio; ſed ad inuicem ſe cōpatiantur, nullo modo data d. cōpatibilitate nouæ Conſtitutiones tollunt primum priuilegium, vt in ſimili dixit *Rota coram Verall. deciſ.377. par.2. Put. deciſ.83. lib.3. in correct. & deciſ.29. num. 33. par.7. recent.* Et tantum abeſt, quod dd. Conſtitutiones ſint illi derogatoriæ, quinimò dici poſſint ampliatiuæ; nam non ſolum reſpiciunt d. diſtantiam 140. Cannarum, ſed prohibent etiam, ne erigantur de nouo Monaſteria, ſeu Conuētus, niſi citatis, & auditis Prioribus, ſeu Procuratoribus aliorum Conuentuum exiſtentiū in aliis locis per quatuor millia paſſuum circumuicinis, quorum conſenſus ad hunc effectum requiritur, vel conſtare debet Ordinarijs locorū, quod ſine illorum detrimento d. Monaſteria erigi poſſint, prout diſponitur in Conſtitutione Gregorij XV. in §. 3. quam ſelic. recordat. Vrbanus VIII. in ſua ſeruari mandat.

32 Quamobrē dixerunt DD. (admiſſo etiam, quod d. priuilegium fuerit per huiuſmodi Conſtitutiones de medio ſublatum) illas fauere PP. Theatinis, dum reſpiciunt detrimentum aliorum Conuentuū antea erectorum, præſeruando diſpoſitionem Sacrorum Canonum, vt in Conſtitutione Vrbani, quibus prohibetur nouæ Eccleſiæ conſtructio in loco,

vbi præiudicet alijs iam conſtructis iuxta diſpoſitũ in can. Eccleſiæ, & can. Quicunque 16. *quæſt.* 1. *cap.* 2. ibi ad aliorum iniuriam nolumus redundare *de Eccleſ. ædifican. & dixit Rota coram Seraph. deciſ.* 847. *n.* 1.

33 Etenim conſideratum fuit, maximũ detrimentum fore allaturum PP. Theatinis, ſi Præsbiteri Oratorij reſiderent in Eccleſia S. Pancratij, quæ non diſtat ab Eccleſia S. Siri, vt ſupra dictum eſt, ſpatio 40. Cannarum. Quo ſtante diminueretur concurſus Populi in prædicta Eccleſia S. Siri, & conſequenter eleemoſinæ, quæ ex Chriſti fidelium concurſu vberiores fiunt erga PP. Theatinos ex illis viuentes; itaut ex diminutione d. concurſus, & eleemoſinarum, diminuerentur etiam alimenta Theatinis ex eiſdem prouenientia, quod lex abhorret *ad tex. in l. Solent. ff. de aliment. & cibar. legat. Bart in l. cum hi §. vult igitur. ff. de tranſact. Iaſon. ibidem num.* 12. *Ruin. conſ.* 81. *ſub. num.* 4. *verſ. Quia vbi à pluribus lib.* 2. *& conſ.* 144 *ſub num,* 6. *verſ. vel ſi non poteſt lib.* 5. *Acharan. conſ.* 254. *circa fin. verſ. niſi ad ipſorum. Rota in Romana alimentorum* 20. *Iulij* 1642. *coram* R. P. D. *meo Bichio.*

34 Non obſtat, quod PP. Oratorij habeant proprios redditus à fundatore aſſignatos. Quia non ab eorũ, ſed à Theatinorum egeſtate præiudicium deſumitur, & ſufficit omne præiudicium aliunde etiam, quàm ex mendicitate, ſeu quæſtuatione Eccleſiæ vicinę reſultãs, vt tradit *Modern. Carmel. Matriten. in Summ. quęſt. regul. tom.* 3. *verb. Monaſteria regularium. ſub num.* 6. *verſ. adde etiam fol.* 400.

Ex quibus, ac alijs in præterita deciſione deductis, eam confirmandam eſſe vtraq. parte informante reſolutum fuit &c.

Eminentiſs.

C O R R A D I

Ianueñ Priuilegiorum.

Lunæ 28. Iunij 1649.

D E C I S I O I I I.

De eadem materia, & compatibilitate eiuſdem priuilegij cum Pontificijs conſtitutionibus, eiuſdem communicatione, ac vſu, & non vſu priuilegiorum.

S V M M A.

35 *Sententia, quæ nititur priuilegio; ſubſiſtit.*

36 *Priuilegium diſtantiæ* 140 *cannarum quò ad Eccleſias erigendas in fauorem Carmelitarum.*

36 *Cannæ* 140. *quomodo menſurandæ.*

37 *Relatores eiuſdem priuilegii.*

38 *Idem priuilegium principaliter conceſſum Theatinis.*

38 *Priuilegia conceſſa. & concedenda cæteris religionibus fiunt propria Theatinorum.*

38 *Obſeruari debent.*

39 *Priuilegium* 140. *cannarum obſtat poſterioribus Eccleſiis.*

39 *Eccleſia S. Siri Ciuitatis Iannenſis antiquiſſima.*

40 *Generalis communicatio priuilegiorum quãdo complectatur etiam præiudicialia.*

40 *Quid ſi non comprehendãtur ſub generalibus ſimplicibus verbis.*

41 *Priuilegium* 140. *cannarum comprehenditur ſub generali communicatione priuilegiorum.*

42 *An moderatum per ſubſequentes conſtitutiones.*

43 *Monaſteria, & Eccleſiæ prohibentur erigi cum præiudicio præexiſtentium.*

43 *Conſtitutiones Gregorii, & Vrbani quid circa monaſteria diſponant.*

44 *Finis priuilegij diſtantiæ Eccleſiarum* 140. *cannarum ab Eccleſijs regularium.*

44 *Conſtitutiones circa erectionem monaſteriorum ſeruari poſſunt ſimul cum priuilegio* 140. *cannarum.*

45 *Allegans non vſum priuilegij contra iuris præſumptionem debet concludenter probare.*

45 *Mutatio monaſterij quò ad ſitum an comprehendatur ſub prohibitione priuilegii* 140. *cannarum.*

45 *Ex diuerſis non fit congrua illatio.*
45 *Priuilegia cũ decreto irritanti non amittũtur ex ſola patientia, & tolerantia priuilegiati.*
46 *Priuilegia regularium preſeruata à nõ vſu.*
46 *Priuilegium 140. cannarũ viget apud Theatinos.*
46 *Aliorum incuria in manutenendis priuilegijs non debet diligentibus præiudicare.*
46 *Priuilegia per confirmationem motu proprio, & certa ſcientia, & de plenitudine poteſtatis reuiuiſcunt, & in priſtinum ſtatum reducuntur.*
47 *Eodem iure debet quiſque vti cum ſe ipſo, quod in alios exercet.*
48 *Validitas ſententiæ ex proceſſu iuſtificatur.*

---

35 COmmiſſa mihi cauſa appellationis interpoſitæ ad Sanctiſſ. D. N. pro parte RR. PP. Congregationis S. Philippi Nerij Ciuitatis Ianuen. à ſentẽtia Rotali, qua fuit declaratũ, illis non licuiſſe, neque licere Eccleſiam, Domũ, ſeu Conuentum ædificare, vel recipere, neq. habitare, aut reſidere in Eccleſia Sancti Pancratij, vel alio loco infra ſpatiũ centũ quadraginta cannarũ ab Eccleſia Sancti Siri, ſeu Conuentu RR. PP. Theatinorũ diſtanti iuxta Sũmorũ Pontificũ Conſtitutiones. Hodie dubitaui. An illa ſit confirmanda, & Domini re denuò exactè diſcuſſa reſponderunt affirmatiuè.

36 Quia nititur expreſſis verbis Bullæ ſan. mem. Sixti Quarti Priuilegium hoc concedentis RR. PP. Carmelitis ſub Dat. 4. Kal. Decembris 1476. vt in ea legitur penes *Rodrig in Collect. Priuilegior. ſol. mibi* 209. *ſub n.* 79. *&* P. *Lezan. in ſũmaqq. Regul. to* 5. *par.* 2. *fol. mibi* 519 *ſub eod. n.* 79. ibi. *Et vt quieti eorũdẽ Fratrũ dicti Ordinis vlterius conſulatur Conſtitutionem* ſel. rec. *Clem. Papæ Quinti etiam prædeceſſoris noſtri ſuper Domibus profeſſorum Mẽdicãtiũ propè Domos aliorũ Ordinum Mendicantiũ profeſſorũ iuxta ſpatiũ centũ quadraginta cãnarũ de nouo nõ recipiẽdis, ad omnes alios Religioſos aliorum ordinum tàm Mẽdicãtiũ, quàm nõ Mẽdicãtium vtriuſque ſexus, & quaſcunq. alias Eccleſiaſticas perſonas propè Domos Fratrum dicti Ordinis de Monte Carmelo nouas Eccleſias, & Loca conſtruere, vel alias de nouo recipere, & habere, volentes extendimus. Ita vt nulli eorum infra prædictum ſpatium cẽtum quadraginta cãnarum etiam per aerem mẽſurãdarum, vbi aliàs commodè per terram mẽſurari nõ poſſunt, ædificare de nouo, ſeu cõſtruere, aut inhabitare iuxta Loca prædictorum* Fratrũ *de Monte Carmeli præſumãt. Si quis vero cuiuſuis conditionis, ſtatus, aut dignitatis fuerit, qui contra prædicti* Clementis *prædeceſſoris* Conſtitutionem, *& noſtram ampliationem venire, aut agere præſumpſerint, tà ipſi, quàm auxilium, vel ſauorem præſtãtes ipſo facto ſententiam excommunicationis incurrãt, quàm ferimus in his ſcriptis, et nihilominus cũcta, & ſingula ab eis facta pro infectis habeãtur &c.* Additis in fine clauſula ſublata &c. & Decreto irritanti &c. & amplis derogationibus.

37 Idemque referunt *Hieronym. Sorb. in Compend. Priuileg. Regular. in verb. ædificare. ſub num.* 19. *verſ. idem Sixtus ſol. mibi* 314. ac ipſe iterum *Roderic. qq. Regular. tom.* 2. *quæſt.* 50. *ar.* 5. *verſ. quo priuilegio. Lud. Mirand. in manual. Prælat. tom.* 1. *q.* 33 *art.* 4. *in tertia concluſione, Barboſ. de vniuerſ. iur. Eccleſ. lib.* 2. *cap.* 12. *ſub n.* 76. *verſ. pro Fratribus &c.* & alij.

38 Quod quidem fuit deinde cõmunicatum, ac principaliter conceſſum eiſdẽ PP. Theatinis tàm à Clem. VII. in Conſtitutione incip Dudũ pro parte veſtra. Dat. 3. Martij 1533. in ordine 38. §. 12. Ac insuper vobis. Bullar. par. 2. ac Pium V. in eius Conſtitutione. incip. Ad immarceſcibilem. Dat. ſeptimo Idus Febr. 1567. in ord. 31. in §. 14. Ipſiſque. & §. 15. Bullar. par. 2. & ſanct. me. Gregor. XIV. in eius Breui Dat. 5. Aprilis 1591. ibi, *Et inſuper volẽtes prædictam Cõgregationem pro ſingulari, quo eam ob eminentia merita charitatis affectu cõplectimur amplioribus fauoribus, & gratijs, vt par eſt, cumulare, & exornare, eiſdem Cõgregationi. & Clericis, vt vltra priuilegia, & alia ſibi cõceſſa prædicta omnibus, & ſingulis alijs Priuilegijs, exemptionibus, facultatibus, Indultis, Indulgentijs, & peccatorum remiſſionibus, & relaxationibus, cæteriſque gratijs, tàm ſpiritualibus, quàm temporalibus quibuſuis Religionibus, Cõgregationibus, & Ordinibus quocũq. nomine nũcupẽtur, etiam Mẽdicãtium, ac tàm virorum, quàm mulierum, eorum que*

rum que

rumq. Monaſterijs, Domibus, & alijs Pijs locis per quoſcũq. Romanos Põtifices prædeceſſores noſtros, ac Nos, dictamq. Sedem hactenus quomodolibet conceſſis, & impoſterũ concedendis, ac quibus illorum vtriuſq. ſexus perſonæ de iure, vel conſuetudine, aut ex priuilegio, vel alias quomodolibet vtuntur, potiuntur, et gaudẽt, ac vti, potiri, et gaudere poſsũt, et poterũt quomodolibet in futurum in his, quæ eorum Regularibus Inſtitutis nõ aduerſentur dumtaxat, nõ ſolum ad eorum inſtar, ſed æquè principaliter, ac pariformiter in omnibus, et per omnia, perinde ac ſi eiſdem Congregationi, et Clericis ſpecialiter, et expreſsè conceſsa forent, vti, potiri, et gaudere liberè, et licitè valeãt, perpetuò concedimus, et indulgemus, illaque eis communicamus, et cõcedimus, et ad eos extendimus. Decernentes præſentes litteras, & in eis contenta quæcunque etiam ex eo, quod intereſſe habẽtes ad hoc vocati nõ fuerint, nec eiſdem præmiſsis cõſẽſerint, nec ex quibuſcũq; alijs cauſis quãtumuis legitimis, & iuridicis de ſubreptionis, aut nullitatis vitio, ſeu intẽtionis noſtræ, vel quopiam alio defectu notari, impugnari, retractari &c. nõ poſſe &c. ſublata &c. ac irritũ &c. & prout latiùs conſtat ex eodem Breui, cuius vigore quæcũque Priuilegia cœteris Religionibus conceſſa, & concedenda effecta ſunt propria dd. PP. perinde ac ſi fuiſſent ipſis nominatim conceſſa, independenter ab alijs l. omnia. & ibi no. C. de Epiſcop. & Cler. Oldrad. conſ. 300. ſub n. 8. verſ. & præſertim. cum alijs relatis per Horat. Mandoſ. in eius Tract. de priuileg. ad inſtar quæſt. 4. per tot. Rot. penes Creſcent. dec. 9. ſub n. 5. verſ. ſecũdo quia. & in fin. de priuileg. & latiùs, deciſ. 30. n. 2. verſ. quæ communicatio. part. 4. tom. 2. recent. & pro eiſdem PP. fuit aliàs dictum in Licien. quartæ funeral. 15. Ianuarij 1618. coram bon. mem. Coccin. in princ. verſ. in caſu autem de quo agitur. & in Rauennaten. iur. ſepultur. 19. Februarij 1618. coram eod. in princip. verſ. priuilegia ſuffragantur etiam prædictis Clericis Regularibus. Quare omnino ſunt obſeruanda, nec ab eorum tenore recedi poteſt, cap. porro. vbi gloſſ. fin. & cap. ſeq. de priuileg. Rot. penes Card. Mantic. deciſ. 320. n. 1. verſ. nam tenor priuilegij, ac in recent. deciſ. 226. n. 24. verſ. quod cum fuerit. par. 7. cum alijs relatis per modern. Roman. diſcept. 947. n. 28. verſ. cuius tenor.

39 Nec aduerſãtur Deciſiones in Toletan. Readificat. Capellæ 24. Febr. 1592. coram bon. mem. Card. Mãtic. deciſ. 163. & in Ianuen. domorũ 15. Maij 1615. corã bo. mem. Manzaned. in recent. deciſ. 676. par. 1.

Quia in illa Toletan. fuerat probatum Eccleſiam Sancti Ioſeph, cuius Patroni, & Capellani in ea exiſtentes nouam incœperant ędificare Capellam, fuiſſe conſtructam ante Monaſterium PP. Diſcalceatorum, vt in ea legitur, ſub n. 3. verſ. imo probatur &c. In caſu autem propoſito conſtat, Eccleſiam Sancti Siri ab antiquiſſimo tempore ædificatam, de qua mentionem facit Sanctus Gregor. Dialogor. lib. 4. cap. 53. Eamdem apud MM. Caſſinenſes priùs exiſtentẽ fuiſſe deindè cõceſſam PP. Theatinis anno 1575. ex publicis inſtrumentis in proceſſu productis Et ab eis reſtauratam, vt atteſtatur Card. Baron. in Notat ad Martyrolog. in Lect. diei 29. Iunij SS. Apoſtolis Petro, & Paulo ſacri in verb. Sancti Siri Epiſcopi fol. mihi 363. At in ea recentiori Sancti Pancratij PP. Congregationis longè poſtea receptos, & introductos anno ſcilicet 1644. proindeque illis ineuitabiliter diſpoſitio relatæ Conſtitutionis Apoſtolicæ prohibentis non ſolùm Eccleſias, Domos, ac Monaſteria de nouo ædificari, ſed iam ædificata etiam de nouo recipi, ac habitari infra ſpatium dd. cẽtum quadraginta cannarum, vt apparet ex eius lectura, & tradunt DD. ſupra citati. In illa verò Ianuen. diſcuſſus tantummodo, atque deciſus fuit articulus. An RR. PP. Societatis IESV tenerentur vendere nõnullas Domos, & ſitus pro ampliatione dicti Monaſterij Sancti Siri ex Priuilegio iure communi inducto Eccleſiæ, ac Religionis fauore l. ſi quis ſepulchrum. ff. de Religioſ. & ſumpt. funer. vt patet ex dicta deciſ. 679. par. 1. recent vbi quoad hæc ipſa particularia priuilegia, de quibus modo agitur eiſdem PP. Theatinis competentia expreſsè fuit reſeruata cognitio n. 11. verſ. quia tamen &c.

40 Minus releuat, quod ſub eiuſmodi generalibus Priuilegiorum communicationibus illa comprehendi non ſoleant, quæ ſunt alijs præiudicialia.

Quia non procedit obiectio, quando conſtat de voluntate Summi Pontificis intendenris omnia indiſtinctè complecti, vel ex amplitudine verborum, vel ex aliquorum præiudicialium expreſſione, vel ex clauſulis adiectis. Quæ omnia cõcurrunt in propoſito caſu, in quo prædictum Indultum non ſolum per viam communicationis, ſed principalis conceſſionis in omnibus, & per omnia pariformis cœteris præcedentibus aliarum Religionum ampliſſimis verbis conceptum fuit, expreſſis etiam ſpecialiter immunitatibus, & exemptionibus, quæ ſui natura ſolent eſſe alijs præiudiciales, necnon additis clauſulis abrogantibus defectum citationis, atque conſenſus omnium intereſſe habentium, ac etiam ſubreptionis, obreptionis, & intentionis ipſius concedentis oppoſitionem. Ex quorum ſanè amplitudine ſatis probatur deliberata, & enixa Pontificis voluntas impartiendi huic Religioni quæcunque, & qualiacũque priuilegia, etiam ſi tertijs præiudicialia cœteris Religionibus antea conceſſa, & impoſterum concedenda, licet aliàs ſub generalibus ſimplicibus verbis non fuiſſent compræhenſa, vt benè comprobat *Horat. Mandoſ. in d. tract. de priuileg. ad inſtar d. q. 4. ſub n. 7. verſ. quæ omnia. cum ſeq. & fuit reſolutum in Bonon. exemptio. 25. Maij* 1618. *coram bon. mem. Cardin. Veroſpio in recent. deciſ.* 30. *per tot. p.* 4. *to.* 2. *& in Meliten. collectar.* 7. *Maij* 1627. *coram bon. me. Card. Vbald. deciſ.* 63. *nu.* 4. *verſ. & quidem &c. ac ſeq. par.* 5. *earund.* Et in his terminis, quod ſub eiuſmodi generali communicatione comprehendatur d. Priuilegium, de quo nunc agitur, tradunt *Io. Baptiſt. Confect. in ſumma priuileg. Ordin. Mendicant. tit.* 58. *cap.* 1. *fol. mihi* 363. *Roderic. qq. Regular. t.* 2. *d. q.* 50. *art.* 5. *verſ. quo priuilegio &c. Mirand. q.* 33. *art.* 4. *in concluſione ſecunda. in fin. verſ. quo priuilegio. Laurent. de Portel. in dub. Regular. par.* 1. *in verb. communicatio priuilegiorum ſub n.* 9. *verſ. ſi vna Religio. & alij paſſim.*

41 Prætereà non conſiſtit, quod dd. Priuilegia fuerint moderata, ac reformata per Conſtitutionẽ ſan. mem. Clem. VIII. incip. Quoniam ad inſtitutam. Dat. 23. iulij 1603. inter impreſſas eiuſdem Pontificis in ord. 99. Bullar. par. 3. confirmata per ſan. mem. Gregor. XV. in Conſtitutione 31. incip. Cũ aliàs 17. Aprilis 1622. & per ſan. mem. Vrban. VIII. Conſtit. 25. Romanus Pontifex 28. Auguſti 1624. Bullar. par. 4.

42 Quoniam aduertendum, duplicẽ in hac materia vigere prohibitionem. Alteтã ſcilicet generalem Sacrorũ Canonũ, & Conciliorum, qua vetitum eſt, nouas Eccleſias, ſeu Monaſteria in quibuſuis Ciuitatibus, vel locis ædificari, erigi, ac introduci cum præiudicio iurium aliorũ ibidem iam exiſtentium, vt habetur *in cap. quicunque* 16. *q.* 1. *cap.* 2. *vbi gloſſ. in verb. veteribus. de Eccleſ. ędificand. cap.* 1. *de exceſſ. Prælat. in* 6. *S. Concil. Trident. ſeſſ.* 25. *de Regular. cap.* 3. *in fin. verſ. nec de cætero. Guid. pap. deciſ.* 360. *Rot. penes Card. Seraph. deciſ.* 847. *ſub n.* 2. *verſ. nam tam ex forma reſcripti, quam ex diſpoſitione iuris communis.* Et de hac diſponunt præfatæ ſan. mem. Clem. Gregor. & Vrban. Conſtitutiones, quibus præſcribitur forma in præmiſſis ſeruanda, ac numerus quidam Religioſorum in ſingulis Monaſterijs erigendis alendorum definitur, vt patet ex earum lectura, & in eiſdem terminis loquitur *Rot. deciſ.* 745. *par.* 2. *recent.* quæ emanauit in cauſa vertente non inter duas Religiones, ſed inter PP. Sancti Auguſtini Diſcalceatos, & Capitulum Eccleſiæ B. Mariæ de Pilari Cæſarauguſtanæ Ciuitatis, vt patet ex poſitione.

43 Alteram verò ſpecialem ex peculiaribus ſingulorum Ordinum, & Religionum Indultis, & Priuilegijs, quibus per Summos Pontifices prohibitum fuit perſonis Eccleſiaſticis, ac Religioſis in Ciuitates, ac loca quæcunque denuò inductis, atque receptis Eccleſias, Conuentus, ac Monaſteria ędificare, ſiuè iã ędificata recipere, habere, & habitare infra certa præſcripta ſpatia ab alijs ibidem iã erectis, ac inſtitutis diſtantia. Quæ ſicut non ex ea ratione, vt quidam aſſeuerãt)

ſed

ſed ex alia diuerſa, & particulari proceſſit, nêpè ad euitandas æmulationes, iurgia, diſſenſiones, & ſcandala, quæ oriri poſſunt ex eorum vicinitate, vt apparet ex relatis verbis Bullæ ſan. mem. Sixti Quarti, & aliorum ſummorum Pontificum, & explicat S. *Bonauentur. in Libello Apologetico q. 7. verſ. Cum potius deberetis diligere to. 2. Opuſculor. fol. mihi* 430. ac pro ipſis PP. Theatinis reſpondit. *Rot. in Lanuen. domorum* 20. Decemb. 1610. *coram bon. me. Manzaned. in recent. d. deciſ.* 87. *ſub n.* 5. *verſ. quæ autem deducebantur p.* 4. Ita ſub generalibus illis Conſtitutionibus ſan. me. Clem. Gregor. & Vrban. fauore earũdem Religionum ob aliam cauſam emanatis non comprænhenduntur, nec ab eis reuocantur, ſed in eorum robore permanent, quippè diuerſam continent, non autem contrariam, nec repugnantẽ diſpoſitionem, cum inuicem non aduerſentur, ſed benè conueniant, quod Religiones, & perſonæ Eccleſiaſticę, ſeruata forma dd. Conſtitutionum admittantur, & recipiantur in Ciuitatibus. Attamen non ædificent, neque conſtituant Eccleſias, Conuentus, neque habitationes eorum in locis alteri Religioni vicinis infra dictum ſpatiũ *c. veniens ibiq; gloſſ. in verb. nullam. de præſcr. c. ſi propter. de reſcr. lib.* 6. *l. hac ſaluberrima. ver. ita tamẽ. ibiq. gloſſ. in verb. conuertere. C. de præpoſit. agent. in rebus. lib* 12. *Horat. Mandoſ. de priuileg. ad inſtar. gloſſ.* 8. *à n.* 6. *verſ.* 2 *quia. & ſeqq. Rot. penes Put. dec.* 83. *n.* 1. *verſ. Et fuit deciſũ*, ac ſequen. *li.* 3. Veral. *Dec.* 380. *n.* 1. *p.* 1. & in Recẽt. *dec.* 29. *n.* 33. *& cum ſecũdũ priuilegiũ. par.* 7. & in hac ſpecie ſenſit *Rot. d. dec.* 87. *ſub n.* 5. *par.* 4. *recent. & P. Lezan. in in eius ſumma par.* 4. *in verb. Monaſteria Regularium. ſub n.* 20. *verſ. notandum ſecũdo. & par.* 5. *to.* 2. *circa §.* 25. *ſol.* 699. *ſub n.* 227. *verſ. ſecundum vero &c.* dicens ſe in hac Vrbe experientia didiciſſe, quod quando Religioſi reclamant huiuſmodi priuilegiorum obſeruantiam petentes à Sede Apoſtolica audiuntur.

44 Poſtremò non obſtat, quod dd. priuilegia non ſint vſu recepta.

Primò quia contraria vrget iuris præſumptio pręſertim fauore illorum, quibus conceſſa fuerunt, ideoque neganti incũbit onus probandi legitimè, & concludẽter *cap. accedentibus. de priuileg.* & reſpõdit *Rot. penes Creſcent. deciſ.* 4. *nu.* 2. *verſ. vnde Domini voluerunt de priuileg. & deciſ.* 67. *n.* 3. *verſ. neque obſtat. & ſeq. par.* 2. *diuerſ. Card. Caualer. deciſ.* 423. *n.* 1. *verſ. neque videbatur. & in recent. deciſ.* 197. *ſub n.* 5. *verſ. & cum vſus. & deciſ.* 213 *ſub num.* 1. *verſ. quæ Conſtitutiones. par.* 1. *& deciſ.* 572. *n.* 16. *verſ. obſeruantia allegata &c. & ſeq. part.* 4. *to.* 3. Id enim non ſatis probatur ex litteris, atque Decretis exhibitis pro PP. d. Congregationis. Nam quædam loquuntur de cannis tercentis, quæ ab eodem ſan. me. Clem. IV. in alia eius Conſtitutione relata per *Io. Baptiſt. Conſ. ẽt. in Collect. litterar. Apoſtolic. Mendicant. ſol.* 12. *Conſt.* 3. & ab alijs deinde Summis Pontificibus fuerunt reductę ad cannas centum quadraginta. Aliæ de ſola mutatione ſitus Monaſterij antiquitus in eodem ſolo conſtructi ab ipſiſmet Religioſis iam dudum in eo degentibus ob neceſſariam cauſam fienda, quæ ſub eiuſmodi prohibitione non comprænhenditur, vt probat *Mirand. in manual. Prælat. tom.* 1. *d. q.* 33. *art.* 5. *cõcl.* 2. *Suarez* & alij relati per *Barboſ. d. cap.* 12. *ſub n.* 78. *verſ. ſicut etiam*. Aliæ verò in particularibus caſibus, in quibus peculiares vigebant rationes, nec conſtat de hac diſtantia actum fuiſſe. Et propterea ex illis ad caſum propoſitum congrua fieri non poteſt illatio *iuxta reg. l. Papinianus* 21. *ff. de minor. l. ſi maritus. la prima in fin. vbi gloſſ. in verb. ſeparata ſit. C. de donat. inter vir. & vxor. Caſtr. in conſ.* 97. *ne improperijs vtamur vocabulis. ſub n.* 3. *verſ. nec obſtat &c. par.* 2. *Rot. penes Card. Seraph. deciſ.* 892. *n.* 4. *verſ & ideo eſt. deciſ.* 349 *ſub n.* 1. *verſ quia termini iſtarum deciſionũ, par.* 4. *diuerſ. & penes ſan. mem. Gregor. dec.* 470. *ſub n.* 9. *verſ. ex quo dicebant* Domini.

45 Secundo quia ob ſolam patientiã, & tolerantiam Regularium, vel aliquorum ex eis non fuerunt amiſſa huiuſmodi priuilegia validiſſimis clauſulis, ac decretis irritantibus roborata, quæ ex Principis intentione omnia contra eorum tenorem per inferiores acta ita inficiunt, &

quo,

quouis iuris effectu prorſus deſtituunt, ac ſi geſta non fuiſſent. Ideoque non vſus, vel contrarius vſus ſuffragari non poteſt *Archid. in cap. cũ de beneficio. ſub n.2. verſ. ſed pone. de præbend. in 6. Felin. in cap. cũ acceſſiſſent. ſub. n.30. verſ. quarto limit.* &c. *de Conſtit. Rot. deciſ. 3. de priuileg. in antiq. & penes Creſcen d. deciſ. 4. n. 4. verſ. & in hoc & ſeqq. vſque ad fin. eod. tit. & deciſ. 240. n. 5. verſ. & cũ illud priuilegiũ. ac ſeq. par. 4. diuerſ. Card. Caualier. deciſ. 423. n. 2. verſ. reſpõdebatur inſuper. & ſeqq. Buratt. deciſ. 704. n. 10. verſ. tertio quia &c. Horat. Manduſ. de priuileg. ad inſtar gloſſ. 15. ſub n. 32. verſ nono fallit &c. Io. Baptiſt. Cõfect. in sũma priuileg. Mẽdicãt. tit. 3 cap. 3. fol. mihi 292.* idemque in ſpecie comprobat reiectis contrarijs, *Campanil. in diuerſor. iur. Canon. rubr. 12. cap. 13. ſub nu. 81. verſ. Sorbus autem &c. & P. Lezan. in loco ſupra citat.* Eoq; magis hoc procedit ſtante mutua generali communicatione priuilegiorum inter ipſos Regulares per Summos Pontifices facta, ob quam gaudent conceſſis à Nicolao IV. ſan. mem. PP. Chartuſienſibus, & ab Eugen. IV. ſanct. mem. PP. Caſſinenſibus; qui ab eiuſmodi præiudicijs præſeruantur, vt apparet ex Bullis relatis per *Roderic. in dict. Collect. ſub eodem Eugen. Bulla 9. n. 19. verſ. Adijciẽtes. fol. 86. & Bulla 11. n. 10. verſ. Adijciẽtes. fol. 90. & P. Lezan. in eius ſumma par. 4. in verb. Priuilegia Regularium. ſub n. 27. verſ. notãda etiam. fol. mihi 488.*

46 Tertio quia, quicquid ſit de alijs Religionibus; Certum eſt, quod obiectio ex facto tollitur quoad PP. Theatinos, nam hi quoties caſus euenit, huiuſmodi priuilegio tàm in iudicio, quàm extra vſi fuerunt, & ſpecialiter in ipſa Ciuitate Ianuæ cum RR. PP. Ieſuitis, vt apparet *ex deciſ. 676. n. 11. verſ. quia tamẽ. par. 1. & d. deciſ. 87. par. 4. recẽt.* ac iterum cum eiſdẽ in Ciuitate Meſſanæ anno 1642. vt patet ex litteris S. Congregationis Epiſcoporum, & Regularium, & cũ RR. PP. Præmonſtratenſibus hic in Vrbe. Ac demũ cũ Præsbiteris ſæcularibus S. Caroli Borromæi in Ciuitate Neapolis, vt apparet ex Decreto eiuſdem Sac. Congregationis ſub die 16. Februarij 1643. relato etiã à P. *Lezan. in loco citat. ſub dicto n. 20. verſ. vnde cum Neapoli.* Ita quod licet quoad alios non eſſent in vſu, tamen quoad ipſos ſeruari debent, quibus propria diligẽtia prodeſſe, aliorum autem incuria nocere non debet, *Abb. in cap. cũ acceſſiſſẽt. n.8. ad fin. verſ. dic vbi priuilegiũ. de Cõſtit. Rot. penes Card. Seraph. deciſ. 951. n.1. verſ. priuilegiũ. ac ſeq. & d. deciſ. 240. n. 6. verſ. hoc autem. part. 4. diuerſ. Burat. deciſ. 704. n. 9. verſ. ſecũdo quia. Ioan. Baptiſt. Cõfect. d. cap. 3. ſub princip. Ant. Cordub. in Addit. ad Sorb. in compẽd. priuileg. Regular. in verb. communicatio priuilegiorũ in verb. tãdem. fol. mihi 198. Roderic. qq. Regular. tom. 1. q. 8. art. 5. & q. 55. art. 19. Mirãd. in manual. Prelat. tom. 2. q 47. art. 8. Portel. in dub. Regular. d. ver. communicatio priuilegiorũ. ſub n. 11. verſ. quamuis vna Religio. & in verb. priuilegij communicatio. ſub n. 22. verſ. quãdo vna Religio.* Quod fortiùs etiam procedit attenta confirmatione, & noua conceſsione eorumdem omnium priuilegiorum ad ipſorum fauorẽ emanata à ſan. me. Greg. XV. Motu proprio, ex certa ſcientia, & de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine per aliud Breue. Dat. 16. Octobris 1621. cuius vigore præcedentia reuiuiſcunt, & in priſtinum ſtatum reducuntur à quibuſuis anteactis præiudiciis vindicata *Io. Baptiſt. Cõfect. d. cap. 3. in fin. verſ. quæ quidem innouationes. fol. 293. Roderic. qq. Regular. to. 1. q. 8. art. 4. col. 2. verſ. imò talis cõfirmatio. Suarez de legib. lib. 8. cap. 19. ſub n. 1. verſ. quia cõfirmatio ex certa ſciẽtia &c. & cap. 20. ſub n. 8. verſ. ſecũdo dicẽdũ eſt &c. ac ſeq.*

47 Poſtremò huiuſmodi nõ vſus eo minus allegari debet pro parte Pp. d. Congregations, qui, ſiue eiuſdem Inſtituti Confratres in dicta Ciuitate Neapolis ſuperioribus annis à ſanct. mem. Vrbano Octauo ſimilem prohibitionem obtinuerũt, vt apparet ex Breue Dat. die 17 Maij 1631. producto in Regiſtro Rotali fol. 297. & ſeqq. Itaque iuſtitiæ, & æquitati conſonum eſt, vt eodem ipſimet iure æquo animo vtantur erga ſe ipſos, quod in alios exercuerunt, *iux. illud Thob. cap. 4. ibi, quod ab alio oderis fieri tibi, vide ne tu*

ali-

aliquando alteri facias, dt in Euang. S. Matthæi cap. 7. in princip. & S. Lucæ cap. 6. poſt med. & in cap. dilecti. vbi gloſſ. in verb. nolles. de maior. & obed. ac in l. 1. ff. quod quiſque iur. cũ cõcord. relatis per *Tiraquel. de retract. lignag. §. 1. gloſ. 13. ſub n. 6. verſ. præterea. cum ſeqq.*

48 Cũ igitur ex prædictis, & alijs doctè, ac plenè adductis in duabus præcedentibus Deciſionibus coram R. P. D. meo Royas ſub diebus 24 Iunij 1647. & 24. Ianuarij 1648. appareat iuſtitia ſententiæ Rotalis, cuius validitas ex ipſo proceſſu iuſtificatur, in quo fuerunt ſeruata ſeruanda *iuxta deciſ. Verall.* 262. *part.* 2. Iure merito fuit per Dominos cõcluſum illam eſſe confirmandam *ad tex. in cap. ea quæ. vbi gloſſ.* & DD. *de ſẽt. & re iudic.*

Et ita Deciſum informantibus tantum RR. PP. Theatinis. Alia vero parte ſæpè ſæpiùs citata &c.

An, quando currit feſtum duplex in die aſſignato pro altari priuilegiato poſſint dici Miſſæ de Requiem. Quæſt. 340.

S. V M M A.

1 *Miſſa de requiem celebranda ex voluntate teſtatoris non impeditur feſto duplici.*
2 *Miſſa de requiem collegialis ex fundatione ſemper celebratur, niſi occurrat feſtum de præcepto.*
3 *Miſſa de requiem an poſſit celebrari in altari priuilegiato occurrente feſto duplici.*
4 *In quibus feſtis non poſſit celebrari ex declaratione S. Congreg.*
4 *Incluſio vnius eſt excluſio alterius.*
5 *Conceſſio altaris priuilegiati derogat prohibitioni non celebrandi miſſas de requiem.*
5 *Conceſſo vno cenſentur conceſſa omnia, ſine quibus non peruenitur ad ipſum.*
6 *Dictio ſinguli in ſolidum attribuit perfectam conceſſionem cuilibet.*
7 *Priuilegium concedens prohibitum à iure cõmuni, illi derogat præſertim ſi ius commune non ſit qualificatum.*
8 *Cur in feſtis de præcepto non poſſint celebrari miſſæ de requiem in altari priuilegiato.*
9 *In altari priuilegiato pro ſingulis diebus, ſẽper dici poſſunt miſſæ de requiem exceptis feſtis de præcepto.*
10 *Capellanus poteſt celebrare miſſam de requiem in duplicibus, ſi ex inſtitutione celebranda ſit.*

1 IN hac difficultate debet ſupponi, quod ſi miſſę celebrandæ ſint ex voluntate alicuius teſtatoris, poterunt celebrari, etiam ſi in illo die contingat feſtum duplex, dũmodo non ſit de præcepto. Quia ex declaratione. S. Rituum Congregationis apud Gauan, *in Rubr. Miſſal. par.* 1. *Tit.* 5. *num.* 2. ver. *Sacra tamen.* & apud Sel. *in Select. canon. cap.* 37. *n.* 4. teſte Barboſa *in Sum. Deciſ. Apoſtol.* verbo. *Miſſæ defunctorum n.* 3. Vniuerſaliter Miſſæ de requiem tolerari poſſunt in feſtis duplicibus, quæ non ſunt de præcepto pro adimplenda voluntate teſtatorum. Vnde non ſolum in altari priuilegiato celebrari poterunt, ſed etiam in quocunq. alio altari.

2 Imo quando ex fundatione, ſeu ex legato relicto eſt collegialiter, ſeu conuentualiter celebranda miſſa pro defunctis, debet celebrari in quocunque die etiam ſi incidat feſtum duplex, dũmodo non ſit de præcepto, vt eadem S. Rituum Congregatio reſpondit *in Pampilonenſi* 1. *Septem.* 1602. apud Sel. *citato cap.* 37. *n.* 43. teſte eodem Barboſa *citato.* verbo. *Miſſæ defunctorum. n.* 8. Vnde ſolum remanet difficultas de miſſis de requiem celebrandis ex voluntate viuorum in altari priuilegiato.

3 Et quod non poſſint celebrari, quãdo in die aſſignato pro altari priuilegiato incidit feſtum duplex, videtur ſentire Garzia *in Sum. moral. tract.* 3. *difficul.* 8. *dub.* 6. *pũc.* 2. *n.* 22. qui ſe fundat in declaratione S. Rituum Congregationis, de qua mox, & citat Gauan. *in Rubr. Miſſal. par.* 1. *tit.* 5. *n.* 2. & Dianam *par.* 4. *tract.* 4. *reſol.* 233. afferentes declarationem S. Congregat. *ſub die* 14. *April.* 1627. In qua tamen, non dicitur abſolutè, quod non poſſint celebrari incidente feſto duplici, ſed incidente feſto duplici, & de præcepto. vbi coniunctiuè duo debent concurrere; vt habeat locum dicta declaratio, & quod feſtum ſit duplex, & quod ſeruetur ex præcepto.

4 Imo *cum ex hac declaratione excludantur tantum feſta duplicia, & de præcepto, ſequitur à contrario ſenſu, quod poſſint celebrari, quando feſtum eſt duplex, &*

non

non eſt de præcepto, quia cum includat tantum duplicia, de præcepto in diebus priuilegiatis, in quibus miſſæ de requiem in altari priuilegiato celebrari non poſſunt, excludit alia duplicia, ſi quidem incluſio vnius eſt excluſio alterius. *l. Cum maritus*. C. De *procurator*. & *l. Cum prætor*. *ff.* De *iudic*. & Cap *Nonne*. De *præſumpt*.

5 Ratio autem eſt, quia dum conceditur Altare priuilegiatum, conceditur, quod ſingulis certis determinatis diebus celebrantes in ipſo miſſam de requiem liberent animam à pœnis purgatorij; cum ergo non poſſit obtineri effectus liberationis animarum, niſi celebrando miſſas de requiem; ſiquidem in conceſſione ita præſcribitur, cenſetur etiam conceſſum, ſingulis illis diebus, poſſe celebrare miſſas de requiem; nam conceſſo vno cenſetur etiam cõceſſa ea omnia, ſine quibus non peruenitur ad ipſum. *l. 2. ff.* De *iuriſd. om. iud.* & *l. fin. ff.* De *offic. eius, cui mand. eſt iuriſd.* & *l. Auibus. ff. De legat.* 3.

6 Sed poſſet aliquis dicere, quod priuilegiũ coarctatur ad dies, in quibus iuxta rubricas celebrari poſſunt miſſæ de requiem. Verum hęc reſponſio non poteſt ſubſiſtere, quia, in conceſſione ponitur dictio *ſingulis*, talibus, vel talibus diebus hebdomadæ, quæ dictio, cũ ſit vniuerſalis, complectitur omnes dies, in quibus locum habeat priuilegium; & cũ attribuat actum cuilibet in ſolidũ, vt notant Gallhaul. *in l. 2. §. Ex his. nu. 25. ff.* De *verbor. obligat.* Surd, *Deciſ.* 268. *nu.* 5. trahit conceſſionem perfectè, & in ſolidum ad ſingulos dies nominatos in ipſis litteris nullo prorſus excluſo.

7 Quod amplius confir. Quando priuilegium concedit id, quod prohibet ius commune, cenſetur illi derogare, quia tunc adeſt voluntas Principis contraria legi, quatenus ſit incompoſſibilis cũ priuilegio, vt notant Gloſ. *in Cap.* 1. verbo. *Noſcatur*. De *conſtit. in* 6. Felin. *in Cap. Nonnulli. reg. a. fallen. a. n.* 11. De *reſcrip.* reſtans de communi alios citans. Hoſtienſ. *in Sum.* Tit. *De reſcript. §. Quas vires.* ver. *Priuilegium contra ius commune*. Quod præſertim valet, quando ius commune non eſt qualificatum, nec reſiſtit priuilegio. Cum ergo de iure communi ſit non celebrare miſſas de requiẽ in feſtis duplicibus, nec ſit quid qualificatum, nec reſiſtat priuilegio, conceſſo priuilegio pro altari pro ſingulis certis diebus, cenſetur derogatum iuri cõmuni de non celebrandis miſſis de requiem in illis diebus.

8 Neq; obijci poteſt; quod ſi hoc valeret, poſſet etiam dici, id eſſe conceſſum in feſtis de præcepto, quia hoc inferri nõ poteſt; tum quia adeſt in contrarium declaratio S. Congregationis, de qua ſupra *n.* 3. Tum quia obſeruantia, & conſuetudo, ita interpretatur conceſſionem altaris priuilegiati, quæ debet attendi *l. Si de interpretatione. ff.* De *legib.* & Cap. *Cum dilectus*. De *conſuetudine*: Tum quia feſta, quæ ſunt de præcepto, ſunt qualificata præ ijs, quę non ſunt de præcepto, & ſunt digna ſpeciali nota: vnde opus eſſet, quod exprimerentur, vt in ipſis celebrari poſſent miſſæ de Requiem.

9 Ex his colligitur, quod ſi altare aliquod priuilegiatum ſit pro ſingulis diebus, & dicendæ ſint miſſæ de requiem iuxta tenorem cõceſſionis, vt liberentur animæ de pœnis Purgatorij, poterunt dictæ miſſæ celebrari ſingulis illis diebus occurrente quocunque feſto, dummodo non ſit de præcepto: militat namque eadem ratio pro ſingulis diebus, quæ militat pro vno aliquo die determinato hebdomadæ.

10 Secundò colligitur. Quod ſi in inſtitutione Capellaniæ cautum ſit, quod Capellanus certis aliquibus diebus celebret miſſam de requiem, poterit illam celebrare, etiã ſi in dictis diebus occurrat feſtum duplex, dummodo non ſit de præcepto, quia iuxta declarationem S. Congregationis, de qua ſupra *nu.* 1. poſſunt in dictis diebus celebrari miſſæ de requiem pro implenda voluntate teſtatoris.

Vnde cognoſcatur, quod aliqua virtus ſit in gradu heroico. Quæſt. 341.

SVMMA.

1 *Quæ ſit virtus heroica.*
2 *An ſit illa, quæ eleuat ſupra ordinariam conditionem in ordine ad vltimum finem.*
2 *An quæ habet eminentiam ex intenſione charitate.*
3 *Omnes virtutes chriſtianæ, ſi ſint tales, debent dirigi in Deum.*
3 *Quid charitas. Quid cupiditas.*
4 *Virtus non eſt niſi charitas, & quomodo.*
4 *Virtus facit hominem bonum.*
4 *Quid requiratur, vt homo ſit bonus.*
5 *Quomodo qualibet virtus ſit amor, quo homo ſe in Deum conuertit.*
6 *Diſcrimen inter virtutes Gentilium, & Chriſtianorum.*
7 *Gratia, & charitas augetur per bona opera.*
8 *Per quid virtus conſtituatur in gradu heroico.*
9 *Triplex genus praui habitus.*
9 *Virtus heroica opponitur feritati.*
9 *Quid feritas.*

1 CONueniunt communiter, quod tunc virtus ſit in gradu hæroico, quando eſt ſummè excellens, ita vt habeat eminẽtiam quamdam ſupra ordinarias virtutes, & excedat modũ ordinarum operandi. Ita inter alios notant Almain. *tra. 3. moral cap. 12.* Ocham, *in 3. quæſt. 15.* Angeſt. *Cap. 12. Moral. tit. 1.* Aſpaſius. *in Cap. 1. lib. 7. Moral. Ariſt. ad Nicomac.* Qui habetur ſimul cum Euſtratio. Lambinus *in Schol. ad eundem locum Ariſ.* Virtus enim dicitur heroica, quia homines heroes facit. Heroes autem antiquitus dicebantur homines illi, qui in modo operandi virtuosè eleuabantur ſupra cœteros, vt notat etiam Aſpaſius *in cap. 1. lib. 6. moral. Ariſt.* Difficultas tamen ſupereſt, in quo formaliter conſiſtat ratio iſta heroici, ex qua tanquam ex propria, & ſpeciali nota cognoſcatur, quod virtus ſit in gradu heroico.

2 Explicat igitur Piccolomineus. *in Philoſoph. mor.* Tit. *De virt. heroica gradu 6. cap. 5.* Caſtellin. *De certit. glor. Sanctor. cap. 4. ſect. 2. append. 1. num. 3.* Quod virtus heroica conſiſtat in eo, quod ſit ſupra communem, & ordinariam hominis virtuoſi conditionem, eleuando ipsũ ad finem vltimũ ſupernaturalẽ; & proinde fundetur in flagranti amore charitatis, ita vt charitas ſit forma, per quam virtus heroica habeat ſplendorẽ, & eminentiam. Ab his parum diſtat explicatio Fortunati Scacchi *De notis, & ſignis ſanct. ſect. 2. cap. 4.* vbi aſſerit, Virtutem heroicam eſſe illam, quæ habet eminentiam ex habitu charitatis, & quæ importat gradum quemdam intentionis charitatis, quo operationes potentiarũ ex imperio voluntatis diriguntur ad eminentiſſimũ finẽ ſupernaturalem, nẽpe Deũ, vt de proximo illũ attingat. Vnde concludit, quod, dum potentia ex frequentatis actibus charitatis, & diuini amoris acquirit augmentum charitatis infuſæ, & ratione huius augmẽti actus aliarum virtutum diriguntur in Deum, fiunt hæroici, quatenus coniunguntur cum augmento prædicto charitatis.

3 Sed hæc explicatio nihil ſpeciale tribuit virtuti hæroicæ, quod non conueniat etiam virtuti, quæ non ſit heroica. Omnes enim virtutes, vt ſint perfectæ virtutes chriſtianæ, debent dirigi in Deũ per charitatem, ſine qua virtutes non proſunt; & proinde nõ ſunt perfectæ virtutes iuxta illud Apoſtoli 1. *Ad Corinth. cap. 13. Si diſtribuero in cibos pauperum omnes facultates meas; & ſi tradidero corpus meum, ita vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt. Charitas patiens eſt, benigna eſt &c.* Hinc D. Auguſtinus hanc doctrinam, quod nimirum ſine charitate non poſſint haberi perfectæ virtutes chriſtianæ, per quam referantur in Deũ, paſſim inculcat *lib. 1. De nupt. cap. 3. Abſit ergo pudicum veraciter dici, qui non propter Deum veram fidẽ connubij ſeruat.* Et *lib. 4. contra Iulian. cap. 3. Per hoc diſce, eum, qui non facit opera bona intentione fidei bonæ, hoc eſt eius, quæ per dilectionem operatur, totum quaſi corpus, quod illis, velut membris, operibus*

conſtat,

conſtat, tenebrorum eſſe, hoc eſt plenum nigredine peccatorum. Et lib. 21. de Ciuit. Dei. cap. 25. docens, virtutes non eſſe veras, & perfectas virtutes, niſi referantur in Deum, habet. *Licet à quibuſdam tunc veræ, et honeſtæ putentur eſſe virtutes, cũ ad ſe ipſas referuntur, nec propter aliud expetuntur, etiã tũc inflatæ, & ſuperbæ ſunt, & ideo non virtutes, ſed vitia iudicanda ſunt.* Et turſus eodem. *Cap. 3. lib. 4. contra Iulian.* ait *Amor fruendi quibuſcunque creaturis ſine amore creatoris nõ eſt à Deo; amor autem Dei, quo peruenitur ad Deum, non eſt niſi à Deo patre per Ieſum Chriſtũ cum Spiritu Sancto. Per hunc amorem benè quiſquam vtitur creaturis; ſine hoc amore nullus quiſquam benè vtitur creaturis.* Si ergo ſine amore Dei per D. Augus nemo benè vtitur creaturis, nec etiã exercet actus veræ, & perfectæ virtutis, quia omnis actus virtutis fundatur in bono vſu creaturarum. Similiter *lib. 3. De doctr. Chriſtiana. cap. 10.* Diſtinguit charitatem, & cupiditatem, & docet, quod ſcriptura informando mores hominum non præcipit, niſi charitatem, nec culpat niſi cupiditatem, quia nimirũ, vbi ſunt virtutes ſine charitate, non ſunt veræ & perfectæ virtutes, ita enim habet. *Non autem præcipit ſcriptura, niſi charitatem: nec culpat niſi cupiditatem; & eo modo informat mores hominum.* Et ſubdit. *Charitatem voco motũ animi ad fruendum Deo propter ipſum, & ſe, atque proximo propter Deum. Cupiditatem autem motum animi ad fruendum ſe, & proximo, & quolibet corpore non propter Deum.* Et *de Gratia Chriſti. cap. 21.* Non agnoſcit bonam voluntatem, niſi ſit informata charitate, qua propter Deum operetur, inquiens; *Quaſi verò aliud ſit bona voluntas, quàm charitas, quam ſcriptura nobis eſſe clamat ex Deo.*

4 Quod inſuper colligitur ex alio principio doctrinæ eiuſdem D. Auguſt. nimirum, quod perfectæ virtutes non ſint aliud, quàm charitas, ſeu amor Dei, quo diliguntur bona honeſta creata in ordine ad Deum. Vnde *De morib. Eccleſ. c. 15.* habet. *Quod ſi virtus ad beatam vitam nos ducit, nihil omnino eſſe virtutem affirmauerim, niſi ſummum amorem* Dei. Et *Epiſt. 29.* clarius id explicat. *Et vt generaliter, breuiterque complectar, quam de virtute habeam notionem, quod ad rectè viuendum attinet, Virtus eſt charitas, qua id, quod diligendum eſt, diligitur.* Similiter luculenter etiam. *Epiſt.* 52. habet *Quamquam & in hac vita virtus non eſt, niſi diligere, quod diligendum eſt.* Quid *autem eligamus, quod præcipuè diligamus, niſi quo nihil melius inuenimus? Hoc* Deus *eſt.* Ratio autem eſt, quia virtus eſt actus voluntatis rectus, & bonus, quo homo fit bonus: vnde ipſe Auguſt. *De eccleſ. morib. Cap. 6.* ait; *Nemo dubitauerit, quia virtus animam faciat optimam.* Non poteſt autem animus eſſe verè rectus, & verè bonus, niſi ordinatè ſe habeat, quia ſi non ſeruat ordinem debitum inordinatus eſt. Non poteſt autem ordinatè ſe habere in ſuis actibus, niſi teneat illum ordinem, cum quo à Deo inſtitutus eſt; eſt autẽ inſtitutus cum ordine ad vltimũ finem, qui eſt ordo amoris ipſius. Et hoc explicat D. Auguſt. *lib. 8. de Trinit. cap. 3.* inquiens. *Ideo nondum dicitur bonus animus, quoniam reſtat ei actio voluntatis, qua fit præſtantior; quam ſi neglexerit, iure culpatur, rectèque dicitur non bonus animus.* Diſtat *enim ab eo, qui hoc agit. Et quia ille laudabilis, profectò iſte, qui hoc non agit, vituperabilis eſt.* Deinde declarans, quomodo fiat bonus per virtutem ſubdit. *Cum verò agit hoc ſtudio, & fit bonus animus, niſi ſe ad aliquid cõuertat, quod ipſe non eſt, non poteſt hoc aſſequi. Quò autem ſe conuertat, vt fiat bonus animus, niſi ad bonum, cũ hoc amat, & appetit, & adipiſcitur? Vnde ſi rurſus ſe auertat, fiatque non bonus. hoc ipſo, quod ſe auertit à bono, niſi maneat in ſe illud bonum, vnde ſe auertit, non eſt, quò iterum, ſi voluerit emendare, conuertat. Quapropter nulla eſſent mutabilia bona, niſi eſſet incommutabile bonum.*

5 Et hoc non contentus deſcendit ad particularia, & declarat, quomodo quælibet perfecta virtus ſit amor, quo homo in Deum ſe conuertit. Sic *lib. De Eccleſ. morib. cap. 15.* vbi hæc habet. *Namque illud quadripartita dicitur virtus, &*

ipſius amoris vario quodam affectu, quantum intelligo dicitur. Itaque illas quattuor virtutes, quarum vtinam ita ſit in mentibus vis, vt nomina in ore ſunt omnium, ſic etiam definire non dubitem, vt Temperantia ſit amor integrum ſe præbens ei, quod amatur. Fortitudo amor facilè tolerans omnia, propter quod amatur. Iuſtitia amor ſoli amato ſeruiens, & propterea rectè dominans. Prudentia amor ea, quibus adiuuatur, ab eis, quibus impeditur, ſagaciter ſeligens. Sed hunc amorem, non cuiuslibet, ſed Dei eſſe diximus, id eſt Summi boni, ſummæ ſapientiæ, ſummæque concordiæ. Quæ definire etiam ſic licet, vt Temperantiam dicamus, eſſe amorem Dei ſeſe integrum, incorruptumque ſeruantem. Fortitudinem amorem omnia propter Deum facilè perferentem. Iuſtitiam amorem Deo tantum ſeruientem, & ob hoc benè imperantem cæteris, quæ hominibus ſubiecta ſunt. Prudentiam amorem diſcernentem ea, quibus adiuuetur in Deum, ab ijs, quibus impediri poteſt. Et pergit hoc ipſum explicare in ſingulis virtutibus: vnde eodem *lib. De morib. Eccleſ. cap.21.* de temperantia ait. *Prius temperantiam videamus, quæ nobis amoris illius, quo innectimur Deo, integritatem quamdam, & incorruptionem pollicetur. Munus enim eius eſt in coercendis, ſedandiſque cupiditatibus, quibus inhiamus in ea, quæ nos auertunt à legibus Dei, & à fructu bonitatis eius.* Et de fortitudine loquens *cap.22.* ait. *De fortitudine verò non multa dicenda ſunt. Amor namque ille, de quo loquimur, quem tota ſanctitate inflammatum eſſe oportet in Deum, in non appetendis iſtis temperans, in amittendis fortis vocatur.* Et *cap.25.* non minus luculenter habet. *Quid amplius de moribus diſputē? Si enim Deus eſt ſummum hominis bonum, quod negare non poteſtis, ſequitur profectò, quod ſummum bonum appetere, eſt benè viuere, vt nihil ſit aliud benè viuere, quàm toto corde, tota anima, tota mente Deum diligere; à quo exiſtit, vt incorruptus in eo amor, atq; integer cuſtodiatur, quod eſt Tēperantiæ. Vt nullis frāgatur incommodis, quod eſt fortitudinis. Nulli alij ſeruiat, quod eſt iuſtitiæ. Vigilet in diſcernendis rebus, ne fallacia paulatim, doluſque ſubrepat, quod eſt prudentiæ. Hæc eſt hominis vna perfectio, qua ſola impetrat, vt veritatis ſinceritate perfruatur. Hæc nobis teſtamento vtroque concinitur. hæc nobis hinc, atque hinc ſuadetur.*

6 Denique ponit diſcrimen inter virtutes Gentilium, quas paſſim præſertim *lib.4. contra Iulian. cap.3.* docet, non eſſe veras, & perfectas virtutes, & Chriſtianorum, quod illæ ortum habent à cupiditate; quæ à ſcriptura culpatur, vt habet *lib.3. de Doctr. Chriſt. cap.10.* Chriſtianorum verò ortum habēt à Charitate. ita *lib.1. Oper. imperfecti cōtra Iulian.* vbi habet, *Fortitudinem Gentilium mundana cupiditas; fortitudinem chriſtianorū Dei charitas facit, quæ diffuſa eſt in cordibus noſtris, non per voluntatis arbitrium, ſed per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis.* Quam ſententiam Cōcilium Arauſican. *can.17.* ijſdem verbis aſſumpſit pro determinatione Conciliari, & ſtatuit, eſſe de fide. Cum ergo omnis virtus, vt ſit vera, & perfecta virtus, debeat radicari in charitate, & eleuare hominem ad finem ſupernaturalem, nō poteſt per hoc, quod proueniat à charitate conſtitui in gradu heroico.

7 Sed neque ex intenſione, ſeu augmento charitatis, quod ex frequentatis actibus habetur, habet virtus ſuum peculiarem characterem, ratione cuius cōſtituatur in eſſe heroico. Eſt enim certum de fide, quod gratia augetur per bona opera, vt definit Concil. Trident. *ſeſſ. 6. can. 24. & 32.* & proinde quilibet iuſtus exercens bona opera recipit ex actibus augmentū gratiæ, & charitatis iuxta illud Apoſtoli *ad Epheſ.4. Veritatem facientes in charitate creſcamus.* Vnde ſequeretur, quod omnium iuſtorum virtutes eſſent in gradu hæroico, ſi augmētum charitatis ex freqnētatione actuum acquiſitum tribueret ipſis hanc eminentiam, & dignitatem. Deinde virtus heroica, licet non ſit diuerſæ ſpeciei, eſt tamen in diuerſo gradu, & ordine ſuperiori, vt conſtat ex dictis ſupra *num.1.* intenſio autem hoc non præſtat, quia non dat eminentiam ordinis, ſed tantum auget ſeruato eodem ordine.

Dicen-

8 Dicendum eſt igitur. *Quod virtus conſtituatur in gradu heroico per id, quod ita ir ratione virtutis pura, & defæcata ſit, vt non habeat admixtum quicquam cupiditatis mundanæ, ſiue ratione obiecti, ſiue finis, ſiue ratione circumſtantiarum*: & proinde dicat modum operandi ſupra conditionem humanæ naturæ corruptæ, quæ, cum pꝛona ſit ad bonum concupiſcibile, trahit, voluntatem operantem ad ipſum, & facit, quod etiam in exercitio virtutum interueniat aliquid concupiſcentiæ. Vnde, quando voluntas ſe eleuat per gratiam ſupra impreſſionem, quam faciunt cupiditates in operationē virtuoſam, operatur heroico modo. Et hoc pacto tunc homo habet virtutes in gradu heroico, quando operatur cum perfecto dominio ſuarum paſsionum, ita vt in nullo inficiant exercitium virtutis.

9 Deſumitur ex Aris. *lib. 7. cap. 1. Moral. Nicomach.* vbi ponit vitium feritatis, & habitum virtutis illi oppoſitum; per feritatem autem intelligit ſtatum hominis ita vitijs infectum, vt faciat ipſum ferino modo operari, hoc eſt cū totali immerſione in paſsionibus, vt operantur beſtiæ. habitum autem oppoſitum huic vitio vocat virtutem heroicam, quę operatur ſupra communem modum operādi, hoc eſt cum totali eleuatione ſupra paſſiones. Ponit namque triplex genus, vitium nimirum, cui opponit virtutem; alterum, quod vocat incontinentiam, quando homo ſequitur ſuos appetitus, cui opponit virtutem continentiæ, quæ appetitum moderatur ſecundum rationem. & Feritatem, quando homo totaliter ſubditur appetitui, cui opponit virtutem heroicam, quando homo totaliter ſe eleuat ſupra appetitum. ita enim habet. *Poſt hæc alia ſumpto initio dicendū eſt, rerum circa mores fugiendarum tres ſpecies eſſe, Vitium, Incontinentiam, & Feritatem; quarum duabus, quæ ſint contraria manifeſtum eſt; alterum enim virtutem, alterum continentiam vocamus. Feritati autem maximè contraire quiſquam diceret virtutem, quæ ſupra nos eſt heroicam quandam, ac diuinam, quemadmodum Homerus Priamum de Hectore dicentem induxit eo, quod valde erat bonus.*

Non hominis mortalis filius ille
Eſſe videbatur: ſed magna è ſtyrpe Deorum.

Quod ſi ex hominibus, ſicut dicunt, ob virtutis excellentiam diuini efficiuntur, huiuſmodi quidam eſſet habitus, qui feritati opponitur. Nam ſicut beſtiæ neque vitium eſt, neque virtus, ita neq; Dei, ſed hac præſtātius quid virtute, illa diuerſum quoddam à vitio genus eſt. Quam doctrinam approbat etiam D. *Th. in Comment. ad hunc locum*, inquiens. *Conſiderandum eſt, quod anima humana media eſt inter ſuperiores ſubſtantias, & diuinas, quibus communicat per intellectum, & animalia bruta, quibus communicat in ſenſitiuis potentijs. Sicut ergo affectiones ſenſitiuę partis aliquando in homine corrumpuntur vſque ad ſimilitudinem beſtiarum; ita etiam rationalis pars quandoque in homine perficitur, & formatur vltra communem modum humanę perfectionis, quaſi ad ſimilitudinem ſubſtantiarum ſeparatarum. Et hęc nominatur virtus diuina ſupra humanam virtutem, & communem*

An, qui ſuſcepit onus miſſarum perpetuarum, teneatur ſatisfacere, ſi contingat, ceſſare fructus aſſignatos pro tali onere. Quæſt. 342.

S V M M A.

1 *Onera perpetua miſſarum debent habere annexos prouentus congruos.*
2 *Pereunte prouentu ceſſat onus miſſarum perpetuarum.*
2 *Cenſus perit pereunte fundo.*
3 *Valet tàm de iure veteri, quàm de iure nouo.*
3 *Pereunte fundamento perit res in ipſo fundata, & pereunte principali perit acceſſorium.*
3 *Pereuntibus fructibus perit ius ad ipſos.*
4 *Onus celebrandi miſſas perpetuas fundatur in prouentibus aſſignatis.*
4 *Destructo vno correlatiuo deſtruitur & alterum.*
5 *Quod eſt in obligatione intuitu fructuū habet tacitam conditionem, ſi fructus naſcantur.*

6 Onus celebrandi miſſas perpetuas eſt annexum bonis immobilibus fructiferis.
6 Valet argumentum à contrario ſenſu.
6 Probatio à contrario ſenſu eſt probatio per textum.
7 Suſcipiens onus miſſæ perpetuæ non ſit dominus fundi, ſuper quo fundatur onus.
7 Periculum ſpectat ad dominum.
8 An pereunte fundo recurrendū ſit ad S. Congregat. pro tollendo onere miſſarum. &c.
8 Reductio eſt actio non de nullitate, ſed de iniquitate.

---

1 STante decreto S. Congregationis de celebratione miſſarum auctoritate Vrbani VIII. edito, quod onera perpetua miſſarum habeant ſuã vtilitatem coniunctam, & propterea pecuniæ, & bona mobilia relicta pro huiuſmodi oneribus debeant conuerti in bona immobilia fructifera cum mentione oneris illi annexi, ita vt ſint ſemper pro tali onere ſubſtinendo deputata; nec alienari poſſint, niſi auctoritate Apoſtolica, & ſequuta alienatione debeat pretium conuerti in alia immobilia fructifera, cum annexione, & repetitionis eiuſdem oneris. Dubitatur, an ſi caſu aliquo pereant prouentus deſtinati pro huiuſmodi oneribus perpetuis miſſarum, teneatur, qui talia onera aſſumpſit, adhuc miſſas celebrare.

2 Et *negatiuè reſoluendum puto, ſi tamen pereant prouentus, aut fundus abſque culpa illius, qui ſuſcepit onus*, ita vt ſi pereant in totum, extinguatur etiam in totum onus celebrandi, & ſi in parte pereant, in parte etiam deſinat onus. Reſolutio hęc à fortiori ſequitur ex eo, quod tradunt Bordonus *tom.* 1. *Conſil. Regular. reſol.* 25. *num.* 37. Auerſa *De ſacram. Euchar. q.* 11. *ſect.* 18. ver. *Quod ſi poſt.* Atque deducitur ex doctrina communi, quod cenſus pereat in totum pereunte in totum re, ſuper qua fundatur, & pereat in parte, ſi in parte res eadem pereat. Ita inter alios Feder. Martin. *De iure cenſ. cap* 8. *num.* 124. Cencius *de cenſib. part.* 3. *cap.* 1. *q.* 1. *ar.* 2. *num.* 3. *&* 4. Duard. *in Bullam Pij V. De cenſib. §.* 5. *q.* 1. *num.* 16. Sà. *verbo.* Cenſus. *num.* 1. Gail. *lib.* 2. *ob*, *ſeruat.* 7. *num.* 11. Fachin. *lib.* 2. *controuer. cap.* 44. *in fine.* Leſſius *lib.* 2. *de iuſt. & iure. Cap.* 22. *dub.* 2. *num.* 8. Rota *in Romana cenſus.* 30. *Octobris* 1602. *coram Mellino.* & eſt *Deciſio* 457. *apud Duar. De cenſib.* vbi alij citantur. & in terminis explicat, quod id valeat, quando fructus, qui remanent, non ſufficiunt pro ſoluendo integro cenſu.

3 Hoc definitur expreſsè, *in Bulla Pij V. De cenſibus edita anno* 1568. *§.* 1. vbi ita habet. *Poſtremò cenſus omnes in futurum creandos non ſolum re in totum, vel pro parte perempta &c. volumus ad ratam perire, ſed etiam poſſe pro eodem pretio extingui &c.* Et valet etiam de iure communi ſecluſa dicta conſtitutione, vt notãt Doctores citati præſertim Rota. Cuius rei ratio eſt, quia cenſus fundatur in re cenſita, & importat ius percipiendi fructus ex ipſa, & proinde ſe habet tanquam acceſſorium. Si ergo perit res, in qua fundatur, debet etiam perire ius ad percipiendos fructus ex ipſa, quia deſtructo fundamẽto deſtruitur etiam, quod in ipſo fundatur. Cap. *Cum Paulus.* 1. *Quaſt.* 1. & corruit acceſſorium lapſo principali. *l. Papinianus.* 8. *§. Sed nec. ff.* De inoffic. *teſt.* neque enim ius ad fructus ſubſiſtere poteſt non ſubſiſtentibus fructibus. *l.* 2. *ff.* De *vſufruc.* & *l. Caio.* 30 *§. fin. ff.* Quibus *mod. vſufr. amit.* & *l Corruptionem.* 16. *§. Sed hac nos. C.* De *vſufru.* & *§. Eò amplius.* Inſtit. *De vſufr.* Sic etiam re emphiteutica deſtructa, perit emphiteuſis. *l.* 1. C. *De iure emphitheut.* vbi Doctores. Cum enim ius cenſus ſit ius reale, ita rem ſequitur, vt ea ſublata ius quoque perire neceſſe ſit.

4 Hæc autem ratio militat etiam in caſu noſtro, quia obligatio celebrandi miſſas, ſeu onus fũdatur in fructibus deſtinatis iuxta Decretũ *de celebratione miſſarum*, ſicut etiam ius exigendi celebrationem ab eo, qui onus ſuſcepit; ſiquidẽ pro ipſo onere debent conſtitui bona immobilia fructifera iuxta præfatam conſtitutionem, quæ continuo oneri correſpondeant. Si ergo corruit fundamentum oneris celebrandi, corruet etiam onus, & ius exigendi celebrationem, quia tale onus correlatiuè ſe habet ad fructus com-

pen-

penſatiuos, & ad fundum ſubſtentatiuũ eiuſdem oneris. Deſtructo autem vno correlatiuo deſtruitur etiam alterum. *l. Filio.§. Matri.ff.* De *adimen.legat.*

5 Ratio autem concluſionis eſt. Quia quando aliquid eſt in obligatione contemplatione fructuum, ſubintelligitur tacita conditio, ſi fructus naſcantur. *l. Interdum 73 ff.* De *verbor. obligat.* & notat Caſtrenſ. *in l.Ex conducto.§. Si vis tẽpeſtatis. ff. Locati.* & *in l.Imperator.n.8.ff.* Ad *Trebellian.* Nunc autem ſumus in caſu, in quo onus celebrandi eſt contẽplatione fructuũ; vt proinde decreuerit Sacra Congregatio in præfata conſtitutione, quod ſemper conſeruari debeant bona immobilia fructifera, quæ correſpondeant oneri miſſarum perpetuarum.

6 Quod amplius confir. Ex eodem namque Decreto, onus celebrandi eſt, annexum bonis immobilibus fructiferis, ita vt ſi contingat alienari eadẽ immobilia, debeat pretium reinueſtiri in alijs bonis immobilibus fructiferis cum repetitione, & annexione oneris. Et *§.ſequenti* decernitur, quod ijs, ad quos ſpectat concedere licentiam aſſumendi onera perpetua miſſarũ, debeant habere præcipuam rationem, vt redditus omnino reſpondeant oneribus adiunctis ſecundum morem cuiuſq. ciuitatis. ergo mens eſt Sacræ Congregationis, quod onus celebrandi miſſas habeat ſemper proportionatum emolumentũ ſibi correſpondens: ergo etiã, quod pereunte emolumento pereat etiam onus: valet enim argumẽtum à contrario ſenſu *l.1. §. Huius rei. ff.* De *offic. eius, cui man. eſt iuriſd.* & *l. Qui teſtamento.§.Mulier.ff.* De *teſtam.* & Cap. *Cum Apoſtolica.* De *ijs. Quæ fiunt à Prælatis.* & Cap. *Quamquam.* De *cenſib. in 6.* vbi Doctores, præſertim quando ſumitur à contrarietate cauſæ finalis *l. Tale pactũ.§.fin. ff.* De *pact.* ita vt aſſerat Duran. *Deciſ.445. n.55.* quod id, quod tali argumento probatur, cenſeatur probatum per textum.

7 Nec dici poteſt, quod bonorũ immobilium fructiferorũ, quæ ſunt addicta pro onere perpetuo miſſarum, periculũ pertineat ad eum, qui onus aſſumpſit, & proinde ipſis pereuntibus non extinguatur obligatio. Quia cum non fiat dominus taliũ immobiliũ, ſiquidẽ ea alienare non poteſt ex præfato decreto, niſi cum facultate Sedis Apoſtolicæ, & cum ea conditione, vt mox pretium reinueſtiatur in alijs immobilibus fructiferis, atque adeo non habeat liberam diſpoſitionem ipſorum, nec etiam periculum ad ipſum ſpectat, ſi quidem periculum ſpectat ad rei dominum. *l.1.* & *l.Cum inter.* C. De *peric.& commodo rei vend.* & notant Paris. *Conſil.47. n.17. lib.1.* Dec. *Conſil.102.* Menoch. *Conſil.122.n.44.*

8 Neque etiam. Quod iuxta præfatũ decretum S.Congregationis §. *Ac primò diſtrictè.* pro reductione miſſarum recurrendum ſit ad Apoſtolicam Sedẽ. Quia ex hoc ad ſũmũ ſequeretur, quod ad ipſam recurrendum eſſet pro declaratione, quod onus aut in totum, aut in parte ceſſauerit, non autem, quod ex ſui natura non ceſſet. Deinde non ſumus in caſu, in quo agatur de reductione, atq. adeo nec in caſu illius diſpoſitionis, quia reductio tendit ad reducendam rem ad terminos æquitatis, atque adeo ſupponit, quod obligatio reducenda in ſe ſubſiſtat, non autem, quod ex ſui natura euanuerit, quia petitio reductionis eſt actio de iniquitate, non de nullitate, vt notant Bald. *in l. 1.* C. De *Arbitr.* Alexan. *§. Arbitrorum. ff.* Pro *ſocio.* Et proinde quando obligatio ex ſe non ſubſiſtit, vt in caſu noſtro, non eſt opus reductione.

An quando quis rationabilitèr dubitat, quod aliqua actio contineat ſuperſtitionem, liceat illa vti cum proteſtatione. Quæſt. 343.

S V M M A

1 *Proteſtatio contraria facto non iuuat proteſtantem.*
2 *Conſentiens in factum ſuperſtitioſum, conſenſit in ſuperſtitionem.*
3 *Conſenſus efficacius declaratur facto, quàm verbis.*

An

2 An liceat cum proteſtatione facere, quod prudenter dubitatur eſſe ſuperſtitioſum.

3 Proteſtatio alia contraria facto, alia auertit animum ab ipſo.

4 Proteſtatio auertens animum à facto iuuat proteſtantem.

5 Dubium practicum de ſuperſtitione non efficit, quod actio non ſit licita ſtante proteſtatione.

---

1 Videtur negatiuè reſpondendum. Quia quamuis proteſtetur, ſe nolle conſentire in ſuperſtitionem, proteſtatio tamen eſt contraria facto, & ideo nihil iuuat proteſtantem. *l. In bello. §. Facti. ff. De capt. & poſtlim. reuer.* & Cap. *Gratum.* De *offic. deleg.* & Cap. *Cum M. Ferrarienſis.* De *conſtit.* Imo facto ipſo conſentit in ſuperſtitionem, quia, dum conſentit in factum ſuperſtitioſum, conſentit etiam in ſuperſtitionem, quę in ipſo facto continetur, ita vt factum ipsũ trahens animum ad ſui conſenſum declaret etiam efficacius conſenſum in ſuperſtitionem, quam ſi verbis idem conſenſus exprimeretur. Cap. *Dilecti Filij. 1* De *appellat.* & *l. Si tamen. §. Ei, qui ff.* De *adilit. edicto.* & notant Roman. *Cõſil.* 291 *n.4.* Iaſ. *Conſil.* 153. ver. *Confirmantur prædicta. lib. 2.* Abbas *Conſil.* 116. *nu.* 3. *lib. 2.* Neuizan. *Conſ.* 76. *n.* 53.

2 Tenendum tamen eſt, *quod liceat adhibere huiuſmodi actiones cum proteſtatione non conſentiendi in ſuperſtitionem, & pactum implicitum cum demone, etiam ſi dubium ſit practicum, & non deponatur.* Ita Caiet. *in Sũma. verbo.* Incantatio. *§. Quartò ex excellentia.* Sanchez *lib. 2. Sum. cap. 40. n. 25. in fine.* Facundez *in Decal. Pracep. 1. lib. 1. cap. 35. num.* 16. Quamuis Raphael à Turre *in Sum. Quæſt. 96. ar. 1. diſp. 1 aſſert. 4.* abſolutè neget, id eſſe licitum.

3 Ratio autem eſt, quia duplex eſt proteſtatio; alia, quæ eſt contraria facto, quæ nõ poteſt ſtare ſimul cum facto, ſed per ipſum deſtruitur; alia autem, quæ poteſt ſtare ſimul cum facto, ſed auertit animum ab ipſo. *l. Non ſolum. §. Morte. ff.* De *noui oper. nuncia.* vbi Doctores, & Rota *Deciſ. 218. n. 3. par. 5. Recent.* Nunc autem ſumus in caſu, in quo proteſtatio non eſt contraria facto, ſed tantum auertit animum à facto: ſi quidem factum non cõtinet ex natura ſua ſuperſtitionẽ, ſed ſi continet, ſolum continet per extrinſecũ pactum implicitum cum Demone; vnde eſt ſeparabile à ſuperſtitione tanquam ab eo, quod conuenit ab extrinſeco, & ideo poteſt quis vti facto, & excludere ſuperſtitionem, quod fit mediante proteſtatione, quę operatur, vt vtens conſẽtiat ſolum in merum factum, & auertat animum à ſuperſtitione.

4 Quando autem proteſtatio auertit animum à facto, iuuat proteſtatem, quia facit, quod non conſentiat in id, à quo per proteſtationem auertit animum, vt notant Rub. *in Repet. l. Non ſolum. §. Morte. num. 349. ff.* De *noui oper. nunc.* Ripa *in Cap. Cum M. Ferrar. num. 70. & 83.* De *conſtit.* Burſat. *Conſil. 214. n. 36. lib. 2.* Rota *Deciſ. 218. n. 6. par. 5. Recent.* & Doctores in *dict. l. Non ſolum. eodem. §. Morte.*

5 Vnde ceſſat etiam periculum exponendi ſe peccato, quia cum per proteſtationem animus auertatur à ſuperſtitione, etiamſi in facto adeſſet ſuperſtitio, non adeſſet conſenſus in ipſam, atq. adeo nec etiam peccatum. Deponitur etiam dubium practicum, quod poſſet obſtare rectæ conſcientiæ, quia quamuis adſit dubium de facto, an ſit ſuperſtitioſum, an non, atque adeo an liceat illo vti; Quia tamen vtens cognouit, quod proteſtatio auertit animum à ſuperſtitione, ideo format iudicium, quod cum tali proteſtatione liceat vti, atq. conſequenter excludit dubium de licito vſu talis facti.

An

An valeat locatio rei eccleſiaſticæ facta ad triennium cum conditione tamen, quod ſi vltimis ſex menſibus eiuſdem triennij partes quieſcant, & nihil innouent cenſeatur facta ad aliud triennium, & ſic deinceps. Quæſt. 344.

S V M M A

1 *Locatio Eccleſiaſtica rei prohibetur ad longum tempus.*
1 *Quodnam ſit modicum tempus pro locatione rerum eccleſiaſticarum.*
2 *Contractus conditionalis non parit obligationem, niſi purificata conditione.*
2 *Conditio caſualis impedit ortum obligationis.*
3 *Paria ſunt fieri tempore habili, & fieri tempore inhabili, ſed conferri in tempus habile.*
4 *Locatio rei eccleſiaſticæ cum pacto, quod ſi partes ſex vltimis menſibus taceant, cenſeatur innouata ad aliud triennium, an valeat.*
4 *Conditio ſuſpendit actum.*
4 *Conditio appoſita in dicto contractu non eſt ſuſpenſiua, ſed reſolutiua.*
5 *Locatio ad beneplacitum, licet reſolubilis, eſt pura.*
6 *Locatio reſolubilis eſt locatio cum omni proprietate.*
6 *Clement. & Paulin. de rebus Eccleſ non alienan. an fauorabiles.*
7 *Vna via prohibitum non cenſetur alia permiſſum.*
8 *Locatio continuanda ex ſolo ſilentio partium eſt pura ab initio quò ad contractum, & ad ſummum conditionata quò ad executionem.*
9 *Conditio retrotrahitur à die euentus ad diem conceſſionis, & operatur, vt actus cenſeatur factus initio.*

1 CVm prohibita ſit locatio rei eccleſiaſticæ ad longum tempus, & ſolum ad modicum per Clemen. 1. *De reb. eccleſ. non alien.* conceſſa, & hoc modicum tempus ſit ſpatium tiennii, vt declaratur in Paulina, *Ambitioſæ. eodem tit.* alias irrita ſit, dubitatur modo, an licita ſit locatio ad triennium cum ea tamen conditione, quod, ſi vltimis ſex menſibus dicti triennij locans, & locatarius taceāt, cenſeatur innouata ad aliud triennium, & ſic deinceps. Qui quidem caſus diuerſus eſt ab eo, in quò ab initio fit locatio ad triēnium cum pacto, quod eo completo cēſeatur innouata ad aliud triennium. nam in hoc caſu locatio eſt neceſſaria etiam pro ſecundo triennio; in priori verò non eſt neceſſaria, ſed poſſunt partes reſilire ad libitum. Et apud neminem reſolutum reperi.

2 Et videtur affirmatiuè reſpondendum, quia cum ſit appoſita conditio, ſi partes ſex vltimis menſibus primi triennij tacuerint, locatio pro ſecundo triennio eſt conditionalis expectās euentum futuræ conditionis, & proinde non parit obligationem, niſi purificata cōditione, *l. Neceſſario. §. Quod ſi pendente. ff. De peric. & com. rei vend.* & *l. Si pecuniam. ff. Si certum pet.* Conditio namque caſualis, qualis eſt iſta, cum poſſit eſſe, & non eſſe, impedit ortum obligationis, donec purificetur. *l. Cedere diem. ff. De verbor. ſignificat.* vbi Gloſ. verbo *Pendente.* & *l. Nō omnis. ff.* Si *cert. pet.* Gloſ. *magna in l. Item quia. §. fin. ff.* De *pact.* Bald. *ibid. in 2. lect. n. 3.* Angel. *n. 15. ver. In gloſa.* Mantica *De tacit & ambig. lib. 14. tit. 34. n. 7.* Rota *Deciſ. 567. nu. 3. part. 3. Recent. apud Farinac.*

3 Et cum paria ſint fieri tempore habili, & fieri tempore inhabili, ſed conferri in tempus habile. *l. In omnibus. ff.* De *hered. inſtit.* quamuis, dum primò fit locatio, ſit tempus inhabile, quia non poteſt fieri pro ſecundo triennio, dum tamen ſuſpenditur, & confertur in tempus conditionis, confertur in tempus habile, quia tunc fieri poſſet noua locatio pro alio triennio, & ideo tanquam facta in tempore habili, ſubſiſtet.

4 Tenendum tamen eſt, *quod talis locatio nō ſubſiſtat, ſed ſit cōtra diſpoſitionem Paulinæ Ambitioſæ.* De *reb. eccleſ. nō alien.* Ratio autem eſt, quia cōditio illa appoſita non eſt vera conditio, quia vera conditio ſuſpendit actum, ita vt nullum ſortiatur effectum, donec ipſa eueniat. *l. Cōditionales. ff.* De *verbor ſignificat.* hæc autem

tem conditio non ſuſpendit actum vſqi ad ſui euentum; ſiquidem ſupponit locationem perfectam, etiam pro ſecundo triennio, & ipſam ita modificat, & qualificat, vt faciat reſolubilem ad beneplacitum partium, quod ſatis ex eo conſtat, quia durabit pro ſecundo triẽnio, ſi partes noluerint reſoluere in vim primę conuentionis. Vnde non eueniente conditione reſolutionis permanebit locatio contra naturam actus cõditionalis, qui non eſt, niſi eueniat conditio. Quare eſt conditio reſolutiua, quę facit actum iam præexiſtẽtem reſolubitem iuxta doctrinam, quam tradunt Gloſ. *in l. 2. ff. De in diem adiect.* Bart. *in l.* 1. *ver. Tertia differentia ff.* De *condit. & demõſtr.* Ancharan. *Conſil.*69. *circa fin.* Socin. *Conſil.*62. *num.*3. *lib.*4. Pariſ. *Conſil* 5. *num.*12 *lib.*4.

5 Quare locatio prædicta pro primo triennio eſt irreſolubilis, & irreuocabilis; atque adeo neceſſaria: pro ſecundo autẽ triennio eſt ad beneplacitum partium, ita vt poſſint partes ex libito eã cõtinuare, vel non continuare. Quare nũs autẽ eſt ad beneplacitum, intelligitur pura, ſed poſtea partium voluntate reſolubilis, vt per tex. Cap. *Si gratioſè.* De *reſcripts.in* 6. & *l.* 4. *ff. Locati, & cõducti.* & cum Decio. *Conſil.* 108. *n.* 5. notat Mantica *De tacit. & ambig. conuent lib.* 5. *tit.* 4. *n.* 2. & habetur etiã ex *l* 2. *ff.* De *in die addit.* ibi. *Erit pura emptio, quæ ſub cõditione reſoluitur.* Vnde hi doctores pro noſtra reſolutione afferri poſſunt.

6 Atque ex his ſoluuntur, quæ in oppoſitum allata sũt, cũ procedant ex falſo fundamento, quòd locatio ſit conditionalis, cum tamen ſit pura, ſed reſolubilis. Adhuc tamen obijci poſſet, quod dicta locatio non ſit prohibita per dictã Clementin. 1. *De reb. eccleſ. non alien.* nec per Paulinam *Ambitioſæ. eodem tit.* quia, cum ſit locatio reſolubilis, & ad beneplacitum, non cenſetur contineri ſub dictis prohibitionibus, ſi quidem tanquã odium continentes reſtringendę ſunt ad locationem neceſſariam, & quę partium voluntate non ſit reſolubilis. Sed hoc dici non poteſt, quia locatio, licet reſolubilis, eſt vera locatio, & cum omni proprietate, quia eſt locatio pura, vt conſtat ex dictis *num. præcedenti.* Sicut etiam venditio eſt propriè venditio, quamuis ſit reſolubilis, & cum pacto retrouendẽdi; & ideo continetur ſub dictis prohibitionibus. Imo dictæ conſtitutiones fauorabiles ſunt, quia tendunt ad fauorem Eccleſiæ, vt conſtat ex proemio dictæ Paulinæ. *Ambitioſæ*, & ideo extendendæ ſunt ad omnes ſpecies locationis.

7 Et eo fortius ita dicendum eſt, quia aliàs fieret fraus legi, quæ prohibet locationes vltra triennium, nam hoc modo fierent vltra triennium, imo per plura triennia, quia eſt in poteſtate partium tacere ſex vltimis menſibus cuiuſcunq. triennij, & tunc locatio duraret ex vi primæ conuentionis. Quod autẽ eſt prohibitum vna via, non cenſetur alia permiſſũ. *l. Quod dictum. ff.* De *pactis.* & *l. Cum hi. §. Si cum ijs. ff.* De *tranſact.* & Cap. *Cum quid vna via.* De *reg. iur. in* 6.

8 Nec dici poteſt, quod ſilentium partium ſit conditio, qua extante in vltimis ſex menſibus, ſit ſignum voluntatis innouandi locationem pro ſequenti triennio, quia cum huiuſmodi ſignum ſit appoſitũ ab initio contractus, arguit etiam tunc voluntatem continuandi locationem pro ſecundo triennio; atque adeo quod locatio fiat de præſenti, ſed ad beneplacitum, & reſolubilem per manifeſtationem voluntatis reſoluendi. Vnde cum reſultet ex ſolo ſilentio partium, & opus ſit expreſſa voluntate partium, vt non continuetur, iam ſubſiſtit in primo contractũ locatio etiam pro ſecũdo triennio. et proinde erit locatio in ſe pura, & ſolum habebit annexam conditionem, quæ afficiat non ipſum contractũ, ſed exequutionẽ contractus, vt docent Bald. *Conſil.* 285. *lib.* 3. & *Conſil.* 478. *lib.* 1. Boer. *Deciſ.* 38. *num.* 28. *et* 29. Tuſch. *Littera.* C *Concluſ.* 579. *num.* 4. 6. *et ſequent.*

9 Imo dato, quod eſſet locatio conditionalis, contineretur ſub prohibitione, quia eueniente conditione fieret abſoluta. Vnde cum conditio retrotrahatur à die euentus ipſius conditionis ad diem conuentionis *l. Qui balneum.* & *l. Potior. ff.* Qui

ff. Qui pot. pign. habean. & l. Si quis ſub cō-ditione. ff. De vulg. ſubſtit. vbi Angel. & Alex. ſequeretur, quod ab initio eſſet facta locatio vltra triennium, quia etiam pro ſecundo triennio valeret in virtute prioris diſpoſitionis, contra determinationem Paulinæ; & proinde eſſet nulla.

An, qui ligatus iuramento de non fideiubendo ſub certa pœna pecuniaria alteri ſoluenda ſibi impoſita, teneatur ſoluere, ſi fideiubeat. Quæſt. 345.

S V M M A

1 *Iurans non fideiubere, an incurrat pœnam ſibi impoſitam, ſi fideiubeat.*
1 *Corruente cauſa corruit effectus.*
2 *Iuramentum non fideiubendi an teneat.*
2 *Contrariatur virtuti.*
3 *Quid ſi moueatur ad iurandum non fideiubendi, ne damnum patiatur.*
3 *Iuramentum de materia partim licita, & partim illicita non tenet.*
4 *Clericis interdicitur fideiubere, & quomodo.*
4 *An in ipſis valeat iuramentum de non fideiubendo.*
5 *Iuramentum de non fideiubendo irritionabiliter valet.*

1 NEgatiuè *reſpondendum eſt*: quia huiuſmodi iuramentum, nullum eſt, atque irritum. Vnde cum non inducat obligationem ad abſtinendum à fideiuſſione, nec etiam inducit obligationem ad ſubeundam pœnam, ſi fideiubeatur, ſiquidem pœna eſt effectus tranſgreſſionis obligationis ſibi impoſitæ: corruente autem cauſa, corruit etiā effectus. *l. Cum re* C. De *pactis int. empt.* & *l. Generaliter* C. De *Epiſcop. et Cler.* & Cap. *Magnæ* De *voto.* & Cap. *Cum ceſſante.* De *appellat.*

2 Quod autem huiuſmodi iuramentum ſit irritum, & nullam inducat obligationem, tradunt Abbas *in Cap. Si verò. num. 6. De iureiur.* Nauar. *in Manual. cap.* 12. *n.* 16. Aragon. 2. 2. *quæſt.* 88. *ar.* 2. *dub.* 2. *circa quintam concluſ.* Caiet. *in Summa verbo.* Votum *cap.* 2. Angelus *verbo.* Iuramentum. 5. *nu.* 4. Syluester. *verbo* Iuramentum 4. *quæſt.* 29. Sotus *lib.* 7. *De Iuſt. et iure. Quæſt.* 1. *ar.* 2. *dub.* 2. Ledeſma *par.* 2. *Sum. trac.* 10. *cap.* 2. *dub.* 5. Azor *par.* 1. *lib.* 11. *cap.* 5. *q.* 1. Rodriquez *to.* 2. *Sum. cap.* 94. *num.* 13. Couaruu. *De pact. par.* 1. *cap.* 72. *nu.* 5. *et ſequent.* Barboſa *in l. Alia* §. *Eleganter. num.* 28. *ff.* Soluto *matrimonio.* Gutierez *par.* 1. *de iuram cap.* 72. *num.* 5. *et ſequent.* alios citans. Sanchez *lib.* 4. *in Decal. cap.* 8. *num.* 18. Anton. Correus *De abſolut. foren. iuram. promiſſor. par.* 4. *Caſu* 6. *n.* 18. *et ſequent.* & ij, qui docēt, nō tenere iuramētū de nō præſtādis operibus pietatis, miſericordiæ, charitatis, & ijs omnibus, quæ de conſilio ſunt, vt D. Antonin. 2. *par. tit.* 10. *cap.* 6. §. *Tertius Caſus.* Suarez *tom.* 2. *de relig. lib.* 2. *De relig. lib.* 2. *De iuram. promis cap.* 17. *num.* 24. Facundez *in Decal. Præcep.* 2. *lib.* 2. *cap.* 14. *n.* 16. Villalob. *par.* 2. *Sum. tract.* 36. *difficul.* 4. *nu.* 5. Trullench. *in Decal. lib.* 2. *cap.* 1. *dub.* 8. *n.* 4. Palaus *par.* 3. *oper. moral. tract.* 14. *de iuram. diſp.* 2. *punc.* 7. §. 2. *n.* 2. & alij. Et ratio clara, eſt, quia tale iuramentum contrariatur virtuti, cū ſit impeditiuum exercitij pietatis, miſericordiæ, & charitatis, atque adeo maioris boni. Iuramentū autē contrarians virtuti non tenet, quia non poteſt quis ſe obligare, vt non faciat opera virtutis & exerceat, quod bonum eſt, cum talis obligatio ſit contra inclinationem rationalis naturæ; quæ naturaliter eſt inclinata ad honeſtū, & virtutem; nec Deus acceptat tales obligationes, cum ſint cōtra conſilium ſuum, & proinde ipſis non aſſiſtit.

3 Et hoc valet, etiam ſi moueatur ad iurandum, ne fideiubendo damnum patiatur. Cum enim fideiuſſio ſit contractus læſiuus ex ſui natura *l.* 1. *C. De fil. fam. min.* & *l. Ait prætor.* §. 1. *ff.* De *minorib.* & notant Socin. iun. *Conſil.* 47. *nu.* 2. *lib.* 4. Rota *in Romana arg[illegible] or.* 27. *Iun.* 1607. *coram Ludouiſio*; & fideiuſſores reprehendantur tanquam malè vtentes ſubſtantia ſua, vt cum pluribus dixi in *Deciſ. mo-*

ra-

ralib. Deciſ. 401. *num.* 2. ſequitur, quod poſſit quis ad vitandum huiuſmodi dãnũ moueri ad iurandum, ſe non fideiuſſurum pro aliquo, in quo tamen caſu adhuc iuramentum erit nullum, & ideo neque adhuc tenebitur ad pœnam ſibi impoſitam. Et ratio eſt, quia iuramentũ de non fideiubendo comprehendit non ſolũ materiã licitam, ſed etiam illicitam per modũ vnius, ſi quidem licet aliquãdo fideiubere malũ ſit, quando fit irrationabiliter, attamen aliquando non ſolũ eſt opus virtutis, & conſilij, ſed etiam cadit ſub præcepto charitatis, vt cum pluribus dixi in iiſdem *Decis. moralib. Deciſ.* 402. Quando autem materia iuramenti eſt partim licita, partim illicita, aut inutilis, iuramentũ non tenet, quia viciatur tota materia ratione partis, cum ſe habeat per modum vnius.

4 Et hoc extendendum eſt etiam ad Clericos, in quibus militat eadem ratio. Quia licet ipſis interdicatur fideiubere, *ex* Cap. *Te quidẽ*. 11. *Q.* 1. & Cap. 1. *De fideiuſſ.* Quia tamen non interdicitur fideiubere in omni caſu, vt notant Gloſ. *in citat. text.* Turrecrem. *in citat. Cap. Te quidem.* Angel. *verbo.* Fideiuſ. *n.* 51 Armilla *num.* 3. Syluest. *quæſt.* 5. Imo nec abſolutè prohibeantur Clerici fideiubere, ſed tantum exercere profeſſionem fideiuſſoris, ita vt ſe exponant ad fideiubendũ indiſcriminatim, nam tex. loquitur de Clerico fideiuſſioni inſeruiente, inſeruire autem importat continuũ exercitium: & finis prohibitionis eſt, ne occupetur negocijs ſæcularibus, quod non habet locũ, ſi pro vno, aut altero fideiubeat. Idcirco neq. in ipſis iuramentum valet, quia ſimiliter eſt de materia partim licita, partim illicita.

5 Vniuerſaliter tamen valeret iuramentũ, quoties reſpiceret tantũ fideiuſſionem irrationabilem ex quocunque capite eſſet talis, vt ſi eſſet damnoſa fideiubenti, aut occaſio alicuius peccari. Ita Ledeſma *tom. 2. ſum. tract.* 10. *cap.* 2. *dub.* 5. Sotus *lib* 7. *De iuſt. et iure. q.* 1. *ar.* 2. *dub.* 2. Aragon. 2. 2. *q.* 88. *ar.* 2. *dub.* 2. *circa* 5. *Concluſ.* Nauar. *cap.* 12. *Manual. n.* 36. Rodriquez *tom.* 2. *Sum. cap.* 94. *n.* 13. Sanchez *lib.* 4. *in Decal. cap.* 8. *n.* 18. Palaus *par.* 3. *oper. moral. trac.* 14. *diſp.* 2. *de iuram. pũc.* 7. §. 2. *n.* 3. Quia tunc iuramẽtum habet materiam honeſtam, & ordinatur ad vitandum malum; & ideo in tali caſu iurans ſubijceretur pœnæ ſibi impoſitæ, dum iurauit, ſi contrauenitet iuramento.

An valeat matrimonium initum aſſiſtente ſacerdote de licentia Parochi, *ſed cum aliquo dolo obtenta. Quæſt.* 346.

S V M M A.

1 *Caſus.*
2 *Diſpenſatio tacitis qualitatibus, quæ ſi exprimerentur, non concederetur, eſt nulla.*
2 *Defectus conſenſus ortum habens ex errore inualidat licentiam.*
3 *Matrimonium cum licentia dolo obtenta aſſiſtendi an valeat.*
4 *Voluntas abſoluta prævalet conditionali, & cur.*
5 *An voluntas interpretatiua prævaleat abſoluta.*
5 *In reſcriptis ſemper cenſetur ineſſe conditio, ſi preces veritati innitantur.*
6 *Quando vitietur conceſſio ex taciturnitate eorum, quæ eſſent impedimento.*
6 *Solum taciturnitas eorum, quæ de iure, vel de ſtylo ſunt exprimenda, vitiat conceſſionem.*
7 *Quando ex natura rei taciturnitas vitiet conceſſionem.*
7 *Error circa cauſam finalem facit deficere conſenſum.*
8 *Subreptio quando habeat locum.*
9 *Quando conſenſus oriens ex errore cenſeatur deficere.*

1 Fieri poteſt, quod quando inſtatur apud Parochum pro obtinenda licentia, quod aliquis ſacerdos aſſiſtat pro ipſo matrimonio, nolint partes notificare parocho qualitates eorum, qui cõtracturi ſunt matrimonium, verentes, ne Parochus cognitis perſonis non ſit conceſſurus licentiam; & proinde taceant nomina, & cognomina ipſorum, & ſolũ

ex-

exponant; quod matrimonium contrahendum ſit inter quamdam ipſius Parochianam, & quemdam virum profeſſione v. g. militarem; & concedatur licentia, ita tamen, vt reſpiciendo ad voluntatem interpretatiuam Parochi non eſſet licentiam conceſſurus, ſi noſſet perſonas, quę contracturę ſunt matrimoniū. Dubitatur modo, an talis licentia ſubſiſtat, & proinde an matrimonium validum ſit.

2 Ratio dubitandi eſt, quia licentia tali modo conceſſa habetur pro ſubreptitia, cum non ſit expreſſum id, quod ſi fuiſſet expreſſum, non fuiſſet conceſſa; Vnde licentia remanet nulla, atq. adeo etiam irritum quicquid in virtute ipſius geritur. Deinde diſpenſatio conceſsa cū taciturnitate qualitatum, quæ, ſi exprimerentur, non concederetur, eſt nulla. Cap. *Quia circa*. De *conſanguinit.* vbi etiā Doctores, conceſſio autem dictæ licentiæ eſt quædam diſpenſatio. Denique nihil magis inualidat licentias, quā defectus cōſenſus ortum habens ex aliquo errore *l. Si per errorem. ff.* De *iuriſd. om. iud.* In conceſſione autem talis licentiæ interuenit conſenſus originatus ex errore, quia parochus tacitis qualitatibus perſonarum, quæ contracturæ ſunt matrimonium, putat eſse perſonas ordinarias, non autem qualificatas, cum taceantur qualitates eas qualificantes, & ideo concedit licentiam, quam non concederet, ſi ſciret, eſse eas perſonas qualificatas, quę reuera ſunt. Et propter has rationes nonnulli Recentiores arbitrati ſunt prædictum matrimonium eſse nullum.

3 Tenendum tamen eſt, *eſſe omnino validum*. Ita Gutierez *de Matrimonio Cap.69. num. 15.* Coninch. *De ſacramen. diſp.27. de matrim. num.1.* Sanchez *lib. 3. de matrimon. diſp.39. num. 14.* Filliuc. *trac. 10. cap.6. num. 227.* Reginald. *lib.31. Praxis Fori Pœnit. num.182.* Bonac. *de matrimon. quæſt 2. punc. 2. num. 17.* Barboſa, *De poteſt. Epiſcop. allegat. 32. num. 133. & De Paroch. cap.21. num.7. & in Collect. ad Concil. Trident. Seſſ.24. cap. 1. De reformat. matr. num. 4.* Boſſius *de matrimon. Cap.4. §.46. n.126.* Gaſpar. Hurtad. *de Sacram. diſp.5. de matrimon. difficul.11. in fine.* Palaus *par. 5. oper. moral. diſp.2. de matrim, punc.13. §.12. num.2.* Trullench. *De iure Parochi cap.8. num. 5.* Auerſa *quæſt. 6. de matrim. ſect.4.* ver. *Debet item licentia.* Ochagauia *De ſacramen. tract.3. de matrim. quęſt.13. num. 5.* Martinon. *3. par. diſp.71. de matrim. ſect.5. num. 58.* Perez *de matrimon. diſp.41. ſect. 6. præſertim nu. 5. & 6.*

4 Ratio autem eſt, quia voluntas, per quam conceditur licentia aſſiſtendi matrimonio, eſt abſoluta & efficax. Voluntas autem, per quam non concederet licentiam, ſi ſciret qualitatem perſonarū, quæ volunt contrahere matrimoniū, eſt interpretatiua, & conditionalis, quia non eſt, ſed eſſet, ſi notæ eſſent perſonæ. Concurrente autem voluntate abſoluta, cum conditionali præualet abſoluta, quia abſoluta, vt pote efficax, ſortitur ſuū effectum, & proinde transfert facultatē aſſiſtendi, conditionalis verò non negat dictam facultatem, quia conditio nihil ponit in eſſe. *l. Si quis ſub conditione dandorum. ff.* Si *quis omiſ. cau. teſt.* & Cap. *Si pro te*. De *reſcript.6.* vbi Gloſ. & Doctores. Cū ergo in dicto caſu ſit verè conceſſa licentia aſſiſtendi matrimonio, validè contrahetur, cum validitati ſolum poſſit obſtare nullitas dictæ licentiæ.

5 Nec dici poteſt, quod voluntas interpretatiua tollat abſolutam, quando abſoluta ortum habet ex dolo, quia nimirum tacetur id, quod impediret volūtatem abſolutam, quia hoc non eſt abſolutè verum, ſed ſolum, quando volūtas, qua aliquid conceditur, non eſt abſoluta, ſed cōditionata, ita vt habeat pro fundamento conditionem, *Si preces veritati nitantur*. Quæ conditio, quia ſemper cenſetur ineſſe reſcriptis, & gratijs Principis *l. fin. C.* De *diuerſis reſcriptis.* & Cap. *Ex parte. 1.* De *reſcriptis.* Et in huiuſmodi litteris intelligenda eſt hæc conditio, etiam ſi non apponatur, vt dixit Rota *in Burgenſi canonicatus* 19. *Ianuar.* 1590. *coram Cardin. Pamphilio. apud Marcheſan. De commiſ. par. 2. & in Cæſarauguſtana Penſionis. 21. Decemb. 1591. coram eodem;*

apud eumdem Marcheſan. de cōmiſ. eadem. par. 2. & *in Tudertina Penſionis* 2. *Iunij* 1617. *coram Cardin. Veroſpio.* ideo conceſſiones Pontificię cenſentur ſubreptitiæ, & nullæ defectu voluntatis, ſi non exponatur veritas, quod non habet locū in conceſſionibus priuatis, quia ius de ipſis hoc non decernit.

6 Neque item dici poteſt, quod vitietur conceſſio, & nulla ſit, quando taceatur id, quod expreſſum impediret conceſſionem, aut difficiliorem redderet, nā hoc quoq. habet ſolum locum in cōceſſionibus principis, quia ita iura diſponūt, non autem in conceſſionibus priuatis. Et procedit ſolū de ijs, quę de iure, aut de ſtylo curiæ exprimenda ſunt, vt notant Bellam. *Deciſ.* 698. ver. *Tertiò principaliter.* Veral. *Deciſ.* 310. *num.* 1. *par.* 1. Ludouiſ. *Deciſ* 108. *num.* 6, & *Deciſ.* 150. *num.* 2. & 11. Loquentes de ijs, quæ de iure exprimenda ſunt. Et de ijs, quę de ſtylo curiæ debent exprimi, notant Menoch *De arbitr. Caſu* 201. *nu.* 27. Garzias *De benefic. par.* 3. *cap.* 3. *n.* 21.

7 Ex natura autem rei ſolum poteſt vitiare conceſſionem taciturnitas, quando verſatur circa cauſam finalem, non autem quādo eſt de qualitatibus extrinſecis diſpenſationi, vt notant Suarez *to.* 2. *De relig. lib.* 6. *De voto. cap. vlt. num.* 11 & *ſequent.* Salas *de legib. diſp.* 20. *ſect.* 15. *num.* 115. Sanchez *lib.* 8. *de matrim. diſp.* 21. *num.* 17. *et ſequent.* & *lib.* 4. *Sum. cap.* 47. *num.* 13. Bonac. *diſp.* 1. *de legib. quæſt.* 2. *punc.* 4. *num.* 3. Quia nimirum cum concedens verſetur in errore circa cauſam finalem, cenſetur deficere in ipſo conſenſus *l. Si per errorem. ff.* De iuriſd. *om. iud.* & latè Tiraquel, *tract. Ceſſante cauſa. limit.* 1. Sanchez *lib.* 3. *de matrimon. diſp.* 39. *nu.* 14. In caſu autem prædicto non tacetur aliquid concernens cauſam finalem, aut qualitates intrinſecas diſpenſationis, ſed ſolum concernens cauſam impulſiuam, & qualitates extrinſecas.

8 Ex dictis autē facilè ſoluuntur, quæ in oppoſitum *num.* 2. allata ſunt. Ad 1. enim reſpond Ex natura rei conceſſionē reddi ſubreptitiam, quando non exprimitur id, quo expreſſo non concederetur licentia, ſi concernat cauſam finalem, aut eſſet intrinſecum conceſſioni, ſeu ipſum obiectum; nam tunc conceſſio nō ſe extendit ad obiectum conceſſionis taliter qualificatum, aut prout ſtat ſub tali fine. & ideo redditur inuoluntaria, & proinde nulla. Secus autem, ſi taciturnitas ſit circa alia, quia hęc non reddunt obiectum conceſſionis ignoratū, neque finem, atque adeo, nec inuoluntarium. De iure autem conceſſio ex taciturnitate redditur ſubreptitia ſolum, quando ea tacentur, quæ de iure, vel de ſtylo curiæ explicanda ſunt, vt dictum eſt *nu.* 6. & 7. Ex quibus etiam ſolutum manet, quod ſecundo loco allatum eſt.

9 Ad 3. reſp. quod tunc conſenſus ortum habens ex errore cenſetur deficere, atque adeo reddere actum nullum, quando error verſatur circa ſubſtantiā actus, aut cauſam finalem, à qua determinatur actus, quia tunc, cum reddat actum quò ad ſuam ſubſtantiam, & finē ignoratum, reddit etiam inuolūtarium. Non autem, quando error verſatur circa qualitates accidentales, aut quæ extrinſecus adueniunt actui, qualis eſt etiam cauſa impulſiua, nam tunc adhuc adeſt debitus conſenſus, cum non ignoretur ſubſtantia actus, & finis ipſius, & ideo nō poteſt error impedire conſenſum neceſſarium, cum impediat tantum circa ignorata.

An licentia parochi conceſſa contra prohibitionem Epiſcopi, aut Statuti Synodalis pro aſſiſtendo matrimonio, teneat. Et quid ſi in ea petenda taceatur qualitas ratione cuius prohibetur concedi. Quæſt. 347.

S V M M A

1 *Licentia conceſſa à Parocho contra prohibitionem &c. ſubſiſtit, niſi adſit clauſula irritans.*

2 *Matrimonium initum contra interdictum, tenet.*

Pa-

3 *Parochus habet à iure poſſe delegare, qui matrimonijs aſſiſtant.*
3 *Stante facultate ad actum, actus tenet, niſi irritetur.*
4 Declaratio S. Congregat. *Matrimonium tenere cum licentia aſſiſtendi conceſſa contra probibitionem.*
5 *An valeat licentia contra probibitionem, ſi taceatur qualitas, ob quam probibetur concedi.*
6 *Ignorantia antecedens cauſat inuoluntariũ, & excludit conſenſum.*
6 *Voluntas vt potentia cæca ſequitur intellectum.*
7 Ignorantia *concomitans cauſat inuoluntarium negatiuè.*
7 *Excuſat à peccato.*
8 *Qualitas afficiens obiectum mutat ipſum in ratione obiecti.*
9 *Qualitas, & circumſtantia aliquando variant ſpeciem actus.*
10 *Licentia probibita concedi, & non probibita ſunt diuerſa obiecta.*
11 *Licentiam tacita qualitate perſonæ, pro qua probibetur concedi, eſt nulla.*
12 Petitio *eſt doloſa, quando tacetur id, ratione cuius probibetur concedi, quod petitur.*
13 *Suppreſſio qualitatis, ratione cuius probibetur aliquid concedi, coarctat conceſſionem ad non probibita.*
13 *Semper facienda eſt interpretatio excluſiua delicti.*
14 *Nemo præſumitur velle, niſi quod de iure poteſt.*

---

1 SVbſiſtere *dictam licentiam, & proinde non præiudicare validitati matrimonij*, tenendum eſt, dummodo tamen in prohibitione non adſit clauſula irritans, vt tradunt etiam Gutierez *de matrimon. cap. 62. num. 25.* Sanchez *lib. 3. de matrimon. diſp. 32. num. 2.* Ledesma *de matrimonio quæſt. 45. ar. 5. punc. 3. dub. 2.* Salzed. *in Pract. cap. 63. §. Primum dubium.* Pontius *lib. 5. de matrimon. cap. 29. num. 3.* Cauallos *in Commun. quæſt. 604. num. 71.* Palaus *par. 5. oper. moral. diſp. 2. de matrim. punct. 13. §. 12. num. 9.* Sà *verbo.* Matrimonium. *num. 1. & 2.* Ochagauia *De ſacram. tract. 3. de matrim. q. 11 num. 9.* Barboſa *de Poteſt. Epiſ. allegat. 32. num. 134. & de Paroch. cap 21. nu. 70.* Rodriquez *par. 1. Sum. cap. 219. num. 4.* Boſſius *de matrim. cap. 4. §. 47.* Syluius *3. par. quæſt. 45. ſupplem. ar. 5. quæſt. 7. ver. Si quæratur.* Filliuc. *tract. 10. par. 1. num. 215.* Auerſa *quæſt. 6. de matrimon. ſect. 4. ver. Ac etiam.* Rota *Deciſ. 750. num. 3. & 4. par. 1. Nouiſſim. apud* Farinac.

2 Et probant ex Cap. 2. *De matrim. contra interd. Eccleſ.* ibi. *Licet enim contra interdictum Eccleſiæ ad ſecunda vota tranſire non debuerit, nũ tamen eſt conueniens, vt ob id ſolum Sacramentum coniugij diſſoluatur.* Verum ex hoc textu ſolum habetur, quod ex ſola prohibitione legis matrimonium non reddatur irritum; non autem, quod licentia aſſiſtendi non ſit irrita conceſſa contra prohibitionem legis, aut Epiſcopi, cum aliud ſit matrimonium, & aliud licentia aſſiſtendi matrimonio. Sic Epiſcopus poteſt irritare licentiam alteri conceſſam, non tamen irritare matrimonium.

3 Vera ergo ratio eſt, quia Parochus habet a iure facultatem aſſiſtendi matrimonio, & facultatem ipſam delegandi iuxta Trident. *ſeſſ. 24. cap. 1.* De *matrim.* ibi. *Qui aliter, quàm præſente parocho, vel alio ſacerdote de ipſius parochi licentia. &c.* Cum ergo Epiſcopus, aut Synodus non habeat facultatem ſupra ius commune, non poſſunt priuare Parochum tali facultate, neq. illam coarctare, aut modificare; & conſequenter nec poſſunt facere, quod actus prohibitus ſit irritus, quia prohibitio nõ tollit, quin proueniat à debita, & ſufficienti facultate. Quia tamen vſus dictæ facultatis eſt ſubordinatus Epiſcopo, ideo poteſt irritare actũ illius, ſeu licentiam alteri conceſſam. Hinc quotieſcunq. adeſt facultas faciendi actum, & superuenit prohibitio ſiue per præceptum, ſiue per legem, ſupponẽs dictam facultatem abſque tamen clauſula irritante, actus tenet, vt tenent Gloſ. communiter recepta *in Clemen. 1.* verbo. *Inhibentes.* De *iurepatron.* Rota alijs relatis *Deciſ. 750. n. 4. par. 1. in Nouiſſim. per Farinac.*

4 Et proinde S Congregatio declarauit, matrimonium, cui de licentiá Parochi, licet contra prohibitionem Epiſcopi, ſacerdos interfuit, validum eſſe, & proinde validam quoque fuiſſe licentiam, licet contra prohibitionẽ, vt habe-

tur in declarat. *ex Bibliotb. Bellar. ad c. 1 ſect. 24.* Ibi. *Si Epiſcopus probibet, ſuſpendit, tollit iuriſdictionem à Parocho, ne quos iungat in matrimonium, ſi quos iungit, matrimonium tenet.* Item. *Si probibitio fiat Rectori parochiali amouibili, ſi contra probibitionem coniungit, tenet. &c.*

5 Maior difficultas eſt, ſi in petenda huiuſmodi licentia, taceatur qualitas perſonarum, ratione cuius facta eſt prohibitio Parocho, ne pro ipſis concedat licentiam. Vt ſi, quemadmodum Concil. Trident. prohibet parochis, ne aſſiſtant, aut dent facultatem aſſiſtendi matrimonio vagorum ſine licentia Epiſcopi, ita etiam, ſi Epiſcopus, aut Synodus prohibuiſset, ne Parochus aſſiſteret, aut daret licentiam aſſiſtendi matrimonio aduenarum, etiam ſi vnus tantum ex contrahentibus eſset talis, ſine licentia eiuſdem Epiſcopi, & petens licentiam taceret qualitatem aduenarum, an licentia conceſsa valida ſit, an verò nulla? & conſequenter an etiam matrimonium. *Eſſe autem nullam dictam licentiam, & inferre nullitatem matrimonij, tenendum eſſe exiſtimo.*

6 Hoc autem colligitur ex duobus principijs theologicis omnino certis. Primum eſt, quod ignorantia antecedens cauſat omnino inuoluntarium, atque adeo excludit conſenſum in omne id, quod ignoratur, ita vt etiam ſi voluntas feratur in aliquod obiectum affectum certa aliqua qualitate, ſi ignoretur talis qualitas, licet obiectum voluntariũ ſit, non ſit tamen voluntaria illa qualitas, præſertim ſi per accidens ſit illi annexa. Ita cõmuniter cũ Ariſt. 3. *Ethic. cap. 1.* D. Damaſc. *lib. 2. Orthodoxæ fidei. cap. 24.* D. Th. 1. 2. *quæſt. 6. ar. 8. in corpore.* Ratio autem eſt, quia voluntas eſt potentia cœca, nec poteſt amplecti, aut reſpuere aliquid, atque adeo nec in aliquid conſentire, niſi præeat intellectus proponendo quod eſt amplectendum, vel reſpuendũ. Quod autem ignoratur, nullo pacto poteſt ab intellectu proponi.

7 Hinc non ſolum ignorantia antecedens, ſed etiam concomitans reddit inuoluntarium negatiuè, hoc eſt non voluntarium, vt cõmuniter conueniũt cũ D. Th. *num. præced. citato.* & Ariſ. *cit. lib. 3. Eth. cap. 3.* Adhuc enim locũ habet eadem ratio, quia quod etiã concomitanter ignoratur, cum non ſit in cognitione, nec etiam poteſt ab intellectu proponi voluntati: vnde nec voluntas poteſt circa ipſum voluntario modo ſe habere exercendo conſenſum, vel diſſenſum. Et ideo hanc quoq. ignorantiã excuſare à peccato tradũt. Almain. *trac. 1. Moral. cap. 4.* Corduba *in Quæſtion. lib. 2. quæſt. 19.* Zumel. 1. 2. *quæſt. 76. ar. 3. diſp. 1.* Vaſquez *diſp. 125. cap. 2.* Salas *quæſt. 6. tract. 5. diſp. 4. ſect. 2. num. 16. & ſequen.* Medina *ar. 8.* Valent. *to. 2. Sum. diſp. 6. quæſt. 6. punc. 2.* Azor *par. 1. lib. 1. cap. 14. quæſt. 4.* Suarez 3. *par. tom. 3. diſp. 4. de cenſur. ſect. 8. num. 8.* Sanchez *lib. 1. Sum. cap. 16. num. 13.* & *lib. 9. de matrimon. diſp. 32. num. 26* Baldel. *to. 1. theol. moral. lib. 1. diſp. 26. num. 2. ver. Ad 1.* Quia nimirum cum hæc quoque ignorantia excludat cognitionem, excludit etiam voluntarium, quod eſſentialiter fundatur in ipſa, atque adeo etiam peccatum, quod eſſentialiter requirit voluntarium.

8 Secundum principium eſt, quod qualitas, quæ afficit obiectum voluntatis, mutat ipſum in ratione obiecti, & in ordine ad mouendam ipſam voluntatẽ, ita vt idem obiectum cum diuerſa qualitate poſſit modo eam allicere, & mouere ad ſe amplectendum, & modo mouere, vt reſpuat. Cum enim voluntas moueatur ab obiecto, ſicut etiam quælibet alia potentia, diuerſimodè etiã mouetur iuxta qualitatem obiecti, vt cõmuniter docent cum D. Th. 1. 2. *quæſt. 10. ar. 2.* Et cum voluntas ſumat ſpeciem in ſuis actibus etiam quò ad eſse morale, ſeu bonitatem, & malitiam ab eodẽ obiecto, vt cum eodem D. Th. 1. 2. *quæſt. 18. ar. 2.* docent communiter, ideo ex diuerſitate obiecti conſurgit etiam diuerſitas actus ſecundum ſpeciem.

9 Hæc autem diuerſitas ſpecifica in actibus cauſari poteſt ex obiecto etiam ex ſola diuerſitate qualitatis, qua afficiatur, ſiue hæc qualitas ſit intrinſeca obiecto, ſiue etiam extrinſeca, ſe habens

per modũ circumſtantiæ; nam circũſtãtiæ quoq; dant ſpeciem actui, vt cõmuniter docent cum D. Th. 1. 2. *quæſt.* 18. *ar.* 10. tunc autem tribuunt diuerſam ſpeciem, quando continent diuerſa motiua, vt notat idem D. Th. *eadem* 1. 2. *q.* 72. *ar.* 9. vel quando reſpiciunt ſpecialem rationem ordinis ſiue ſecundum contrarietatem, ſiue ſecundum conformitatẽ, vt habent *eadem* 1. 2. *ci. quæſt.* 18. *ar.* 10. *in fine corporis.*

10 Hinc autem fit, quod licentia aſſiſtendi matrimonio, pro qua fit inſtantia apud parochum, eſt longè diuerſa in ratione obiecti in ordine ad voluntatem, atque ad ſpecificationem actuum ipſius, quando conſideratur nuda, & ſecundum ſe, ac quando conſideratur, vt ſtat ſub qualitate prohibitionis, & in ordine ad perſonas, pro quibus prohibetur concedi. Siue enim prohibitio conſideretur vt qualitas intrinſeca obiecti, ſiue vt circumſtantia, ita variat obiectum, vt faciat de licito illicitum, atque adeo aptum ad ſpecificandam diuerſam ſpeciem actus, nempe actũ turpem, & peccaminoſum contra poſitum actui licito, quo concederetur licentia non prohibita concedi.

11 Ex his ergo concluditur, quod ſi in petenda licentia aſſiſtendi matrimonio taceatur qualitas perſonarum, ratione cuius prohibetur parocho eam concedere, licentia conceſſa non ſe extendet ad fauorem illarũ perſonarũ, ſed erit nulla, vt pote non voluntaria, atque adeo defectu conſenſus. Cũ enim dicta qualitas ſit omnino ignorata, licentia quoque, vt ſtat ſub ipſa qualitate, eſt ignorata, atque adeo inuoluntaria ſaltẽ negatiuè, & proinde in parocho deficit conſenſus in ipſam iuxta ſuperius dicta, at licentia, quæ conceditur, eſt licentia nuda, nempe illa, quæ ipſi non prohibetur concedi, & conſequenter ex intentione concedẽtis non ſe extendit ad perſonas, pro quibus petitur, cum taciturnitas dictæ qualitatis prohibeat extendi prohibendo conſenſum, quo ad ipſas extendatur. Si quidem non poteſt conſenſus extendi ad perſonas affectas qualitate ignorata, cum non trahatur ad ignorata *l. Si per errorem ff.* De *iuriſd. om. iud.* & *l. Nec ignorans. ff.* De *donationib.*

12 Quod amplius ex eo conſtat, quia ideo tacetur qualitas, quia ſi explicaretur, parochus non concederet licentiam, cum ſit illi prohibitum concedere; vnde petitio eſt doloſa, & proinde facit, quod conſenſus parochi nõ trahatur ad ipſam tanquam quid dolosè diſpoſitum iuxta id, quod tradunt Socin. *Conſil.* 159. *nu.* 29 *lib.* 2. Pariſ. *De reſignat. lib.* 13. *quæſt.* 3. *n* 5 Tuſch. *Littera* C. *Concluſ.* 754. *n.* 48.

13 Rurſus cum ſuppreſſio dictæ qualitatis operetur, quod obiectum proponatur voluntati Parochi ſub diuerſo determinatiuo in ordine ad ſpeciem actus, ita vt non proponatur tanquam obiectũ prohibitum, ſed taquam obiectum, quod illi liceat, determinat etiam voluntatem ad ſpeciem actus liciti, & parochus eam concedens nullo modo peccat, ergo cõcedit illam licentiam, quam licitè poteſt concedere, & in ipſam ſolam conſentit. ergo dicta licentia non ſe extendit, ſicut nec etiam conſenſus ipſius ad matrimonium perſonarum, pro quibus prohibetur licentiam concedere. Præſertim, quia non debet præſumi, quod in illa conceſſione delinquat contra prohibitionem, cum ſit ſemper facienda interpretatio, quæ ſit excluſiua delicti, etiam ſi ſimus in dubio *l. Merito ff.* Pro *ſocio.* & *l. Prætor.* *§. Docere. ff.* De *vi bonor. rapt.* & Cap. *Eſtote.* De *reg. iur.* & notant Abbas *in Cap. Cum tu.* De *teſtib.* Natta *Conſil.* 549. *n.* 11. Alexan *Conſil.* 127. *nu.* 12. *lib.* 4. Menoch. *lib.* 5. *Præſump.* 161. *nn.* 26. Maſcar. *de probat. concluſ.* 495. & *concluſ.* 1418. *n.* 2. Farinac. *in praxi par.* 3. *quæſt.* 85. *nu.* 1. *& ſequent.* Tuſch. *Littera* D. *concluſ.* 165. Modo autem ſumus in caſu, in quo cõniectura non fũndatur in dubio, ſed in certo, cum certum ſit, non poſſe eſſe voluntarium, quod fuit ignoratum.

14 Denique cum nemo præſumatur velle, niſi quod de iure poteſt vt notant Bald. *in l. Ex facto ff.* De *vulg. & pupil. ſubſtit.* Felin. *Conſil.* 31. *nu.* 7. Quia voluntas hominis præſumitur conformis legibus,

bus, & de pari iudicatur. §. *Diſponat.* Authent. *De nuptijs*, & latè Iaſ. *in l. Certi cõdictio. §. Si nummos. num. 5. & ſequent. ff. Si cert. pet.* Georg. Euerar. *Conſil. 46. nu. 5. vol. 2.* Non eſt præſumendum, quod Parochus velit concedere licentiam, quam de iure non poteſt concedere; & proinde licentia conceſſa accipienda eſt intra terminos habiles, & quatenus de iure concedi poteſt. Sic autem accepta non ſuffragatur ijs, pro quibus petitur, cum non poſſit in fauorem matrimonij ipſorum eam concedere, & ideo ſequitur, quod matrimonium contractum ſit nullum, iuxta determinationem Concilij Tridẽtini *ſeſſ. 24. cap. 1. de matrimonio.*

An ſubſiſtat ſponſio, quod ciuitas obſeſſa capietur ab hoſte, ſi tempore, quo inita eſt, erat ſoluta obſidio. Quæſt. 348.

S V M M A

1 *Sponſio, quod ciuitas obſeſſa capietur, non ſubſiſtit, ſi ſit ſoluta obſidio.*
1 *Contractus non ſubſiſtit, niſi ſubſiſtat res, quæ venit in contractum.*
1 *Contractus non tenet, ſi res ſit destructa tempore, quo contrahitur.*
2 *Deficiente qualitate rei, quæ ipſam reddit aptam pro contractu, deficit contractus.*
3 *Qualitas debet adeſſe tempore, quo actus deducitur ad effectum, ſi ſe habeat vt fundamentum.*
3 *Qualitas cuius intuitu inducta eſt ſucceſſio, debet adeſſe tempore, quo defertur ſucceſſio.*
4 *Corruente fundamento corruit, quod in ipſo fundatur.*

1 NOn *ſubſiſtere dictam ſponſionem, & proinde neutram partem alteri obligari ad ſoluendum, quod in ſponſione promiſſum eſt*, tenendum eſt. Cum enim ſponſio ſit contractus quidam, quo contſponſores ſe mutuò obligant iuxta caſualem euentum, non poteſt ſubſiſtere, niſi ſubſiſtat materia, quę venit in contractu. Hoc enim eſt ſubſtantiale cuicunque contractui, quod non ſubſiſtat, niſi ſubſiſtat res, quæ venit in contractum. *l. Domum.* & *l. In venditionibus. ff.* De *contrahen. empt.* & *l. Mulieres. §. 1. ff.* De *verbor. ſignificat.* vbi Alexan. & *l. 1. ff.* De *hered. vel act. vend.* & *l. Neceſſariò. ff.* De *per. & com. rei vend.* Vnde ſi res antea extabat, & tempore contractus non extiterit, deſtructa ex aliquo caſu fortuito, non tenet contractus *l. Arboribus. ff.* De *contrahen. empt.* & loquentes de venditione notãt communiter Doctores *in hanc leg.* Bart. Bald. &c. Surdus. *Deciſ. 32. num. 44. & 45.* Arbert. Brun. *tra. de meliorat. & deteriorat. num. 87. & 88.* Cauallos. *q. 536. num. 40.* Hermoſilla *in Addit. ad Gloſ. 1. num. 1. l. 14. tit. 5. part. 5.*

2 Nunc autem ſumus in caſu, in quo tempore contractus, nempe ſponſionis deficiebat res, quæ veniebat in contractum, ſi quidem materia huius ſponſionis eſt vrbs capienda, vel non capienda per obſidionem ab hoſte obſidente; & ideo obſidio erat qualitas determinans materiam contractus, & faciens eam proximè aptam pro tali contractu; ſi quidem fatuus eſſet, qui vellet ſpondere, quod vrbs caperetur ab hoſte, niſi eſſet ab ipſo obſeſſa, vel certè conſtaret, quod contra ipſam intentaret; Vnde cum tempore contractus defuerit qualitas obſidionis, quę conſtituebat materiam habilem pro tali contractu, cenſendum eſt, defuiſſe etiam materiam; ſi quidem deficit qualitas, quæ illam conſtituit in diuerſa ſpecie. §. *Propterea.* Inſtit. De *inut. ſtipulat.* & Cap. *Cum Martha. § Quæſiuiſti.* De *celebrat. miſſar.* nempe in ſpecie materiæ aptæ pro tali contractu.

3 Confir. Quãdo actus inducitur ratione alicuius qualitatis, debet qualitas adeſſe tempore, quo actus ipſe ad effectum perducitur, ſi qualitas ſe habeat per modum exiſtentiæ, & fundamenti. §. *Proximus.* Inſtit. *de leg. agn. ſucceſ.* & *l. 2. §. Proximum. ff.* De *ſuis, & leg.* & *l. Tutelas. init. ff.* De *cap. diminut.* & *l. Si vſusfructus. ff.* Quib. *mod. vſufr. amit.* & notant Alexan. *in l. Si rem meam. in fine. ff.* De *verb. obligat.* Bald. *in l. Humanitatis. nu. 28.*

ver. *Quandoque* C. De *impub. & alijs ſubſt.* Menoch. *Conſil* 106. *num.* 94. Craueta *Conſil.* 202. *num.* 31. & iuxta doctrinam aliorum Doctorum, dum loquuntur de delatione ſucceſſionis, in qua requiritur qualitas, cuius intuitu inducta eſt, tempore, quo defertur ſucceſſio. Ita præcipuè Bald. *in l.* 2. *num.* 5. C. De *iure emphiteut.* Alex. *in l. Ex facto. §. Si quis autem. not.* 1. *ff.* Ad *Senat. conſul. Trebel.* Dec. *Conſil.* 443. *num.* 14. Tiraquel. *De iure primogen. quæſt.* 34. *num.* 7. & 28. In caſu autem noſtro ſponſio fuit facta ratione, & intuitu obſidionis, quæ tanquã exiſtens mouit partes ad ſponſionem; & proinde fuit fundamentum illius; ergo debuit adeſſe tẽpore, quo ſponſionis actus perductus fuit ad effectum, ſeu tempore, quo ſponſio vtriuſq; partis conſenſu concluſa fuit, & ſi non adfuit, corruit actus ſponſionis.

4 Et ratio generalis eſt, quia corruente fundamento, corruit etiam id, quod in ipſo fundatur. *l. Nam origo. ff.* Quod *vi, aut clam.* & *l. Egi tecum. ff.* De *excep. rei iud.* & Cap. *Paulus.* 1. *Quæſt.* 1. & ideo ſi non exiſtẽte fundamento fiat aliquid, quod ipſum requirat, nulliter fiet, quia non aderit, in quo fundetur, vt poſsit ſubſiſtere. Prædicta autem ſponſio habet pro fundamento obſidionem, quia ſtante obſidione partes fundant ſuam intentionem, & ſponſionem ſuper ipſa; ita vt pars vna eligat partem, quod dicta obſidio ſortietur ſuum effectum, nempe capturam vrbis; altera, quod non ſortietur. Si ergo tempore ſponſionis erat ſoluta obſidio, non potuit ſponſio ſubſiſtere defectu fundamenti.

An oratorium habens duplicem ingreſſum, alium in via publica omnibus communem, & alium correſpondentem priuatæ domui, cenſendum ſit publicum, ita vt poſſit in ipſo celebrari. Quæſt. 349.

S V M M A.

- 1 *In priuatis oratorijs non poteſt celebrari, niſi de licentia ſummi Pontificis.*
- 2 *Oratorium habens publicum ingreſſum, licet habeat alium ingreſſum priuatum, eſt publicum oratorium; & poteſt in ipſo celebrari.*
- 2 *Publicum quid ſit.*
- 3 *Denominatio ſit ab eo, quod praualet.*
- 4 *Declarationes S. Congregationis non ſortiuntur aliquem effectum, niſi ſint in forma authentica.*
- 4 *Non eſt recedendum à diſpoſitione Concilij Tridentini quò ad celebrationem miſſæ.*
- 5 *Lex non trahitur ad præterita.*
- 5 *Præſcriptio habet vim priuilegij.*
- 6 *An contineat verum priuilegium.*
- 6 *Fictio habetur pro veritate, & idem operatur, quod veritas.*

1 Cum non poſſit celebrari miſſa in oratorijs priuatis, niſi de licentia Summi Pontificis, vel ſecundum aliquos per Decretum Concilij Tridentini *ſeſſ.* 22. *in Decreto de Celebratione miſſarum*; vel ſecundum alios per decretum S. Congregat. *editum iuſſu Pauli V. anno* 1615. quod attuli in *Decis. mor. Deciſ.* 165. *num.* 3. dubitatur modo, an Oratorium habens duplicem ingreſſum alterum in via publica, & alterum correſpondentẽ priuatæ domui, cenſendum ſit Oratorium priuatum, ita vt non poſsit de iure in ipſo celebrari.

2 Non *eſſe autem priuatum, ſed poſſe in ipſo celebrari de licentia Epiſcopi*, tradidi in *Deciſ. moralib.* *Deciſ.* 173. Et quamuis nullum Doctorem pro hac ſententia attulerim, quia apud nullum hanc difficultatem reperi, eam tamen tenent plures doctiſſimi viri, quos ſuper hac difficul-

tate

tate conſului; nec quiſquam etiam pro contraria ſententia afferri poteſt; Imo quod Oratorium erectum in cortili non ſit priuatum, ſed publicum, tradunt Riccius *Deciſ.* 78. *part.* 2. Alphonſ. *de* Leone *de offic. capel. quæſt.* 3. *ſect.* 1. *in fine*. Et quidem ſtando in iure communi hanc opinionem exiſtimo certam; nam de iure cõmuni publicũ id eſt, quod eſt omniũ vſui deſtinatũ. § *fin.* Inſtit. *De rer. empt.* & *l. Sed Celſus* & *l. Pacta conuenta*. §. *Papinianus. ff.* De *contrahen. emptione*. & *l. Riparum. ff.* De *rer. diuis.* & *l. Prætor ait.* §. 1. ver. *Hoc interdictum. ff.* Ne *quid in loco publ.* & notant Gloſ. *in dict. leg. Prætor ait.* verbo. *Publico vſui*, & *in* §. *Superior.* verbo. *Publica.* & *in* §. *Riparum.* verbo. *Publicus*. Inſtit. *De rer. diuis.* Bart. *in l.* 1. *ff* De *publ. iudic.* Alciat. *in l. Littus. ff.* De *verbor. ſignificat.* Conſtat autem manifeſtè, quod dictum Oratorium ſit deſtinatum omnium vſui, ſi quidem cum habeat ingreſſum correſpondentem viæ publicæ, poteſt quilibet ingredi ad orandum, &c. atque adeo participare in vſu ipſius, quo eſt deſtinatum diuino cultu pro quocunque, qui Deum in ipſo colere voluerit. Rurſum cum ſit erectum auctoritate Epiſcopi, tali cõmunis vſus eſt auctorizatus, & ideo adſunt omnes conditiones neceſſariæ, vt ſit publicum.

3 Nec obſtat ingreſſus è domo priuata, quia ſicuti talis ingreſſus non tollit, quin omnium vſui pro cultu diuino inſeruiat, ita neque facit, quod nõ ſit publicũ, ſi quidẽ adhuc permanet forma, per quam conſtituitur publicitas oratorij. Et proinde adhuc ſtat ſub denominatione ſuæ formæ, quia præualet eſſe deſtinatum omnium vſui, cum non excludatur ab ingreſſu è domo priuata. Denominatio namque fit ab eo, quod præualet, & à potentiori. *l. Cum ex aliqua. ff.* De *acquir. rer domin.* & *l. Quæritur. ff.* De *ſtat. hom.* & *l.* 1. *init. ff.* De *verbo. ſignificat* vbi Gloſ. & Doctores. Sic via non deſinit eſſe publica ex eo, quod in ipſam pateant ingreſſus è priuatis domibus. Nec flumen deſinit eſſe publicum ob ingreſſus è priuatorum domo.

4 Quare certum manet, quod de iure huiuſmodi Oratoriũ pro publico habendum ſit. Solum poteſt obijci, quod ſit in contrarium quædam declaratio ſacræ Congregationis. Verum obiectio non ſubſiſtit, quia de hac declaratione nullus Doctor, quem viderim, facit mentionẽ, neque reperitur inter declarationum collectiones, ſed ſolum, quod Epiſcopi nõ permittant celebrari in Oratorijs priuatis exiſtentibus intra domos priuatas: vnde neſcio, quo fundamento ab aliquibus allegetur. Deinde dato, quod adeſſet huiuſmodi declaratio, cũ non ſit in forma authentica, non debet ſortiri aliquem effectum iuxta Decretum Vrbani VIII. à Sacra Cõgregatione editum iuſſu ipſius *die* 2. *Auguſti.* 1631. Cum enim habeamus legem, quod ſolum Epiſcopi non patiantur celebrari miſſam extra Eccleſiam, & oratoria diuino tantum cultui dedicata, vt in Concil. Trident. *in Decreto De obſer. & vitan. in celebrat. miſ.* non debemus ab ipſa recedere, niſi in virtute alicuius diſpoſitionis, quæ poſſit ipſi derogare. Et ideo cũ huiuſmodi oratoria publica ſint tantũ diuino cultui publico deſtinata, atque adeo comprehendantur ſub ijs locis, in quibus ex mente Concilij celebrari poteſt, non debet Epiſcopus id prohibere intuitu prædictæ declarationis.

5 Rurſus ſi extaret huiuſmodi declaratio, conſiderandum eſſet, an reuera eſſet declaratio alicuius legis, ita vt traheretur ad præterita; an verò eſſet decretum de nouo editum; & tunc cum lex non extendatur ad præterita, ſed ſolum ad futura *l. Leges.* C. De *legib.* & Cap. *Cognoſcentes.* & Cap. *fin.* De *conſtit.* non eſſent ex vi talis decreti tollendus ingreſſus ad oratoria è priuata domo ſtante poſſeſſione, ſed ſolum prohibendum, ne poſt decretum induceretur de nouo. Rurſus eſſet etiam conſiderandũ, an perdictam declarationem auctoritate Summi Pontificis ſublata eſſent priuilegia, quia niſi tollantur, non deberent priuari tali ingreſſu, qui ipſum præſcripſerunt, etiam ſi declaratio traheretur ad præterita, quia præſcriptio habet vim priuilegii, vt docent Gloſ. *in Cap. Conqueſtus. verbo.*

Con-

Conſuetudo. *q.3.* & *in Cap. Nouit.* verbo. *Conſuetudinem*, De iudic. Bald. *in l.1.* C. De eman. *lib.8.* Balb. *De præſcrip. p.1. princip. q.6. princip. n.7.* Petr. De Vbald. De *canon. por. par.2. c.26. n.28.* Barbat. *Conſ.81. ver. Quinimo plus videtur. lib.1.* Grammat. *Cõſil. Ciuil. 98.* Horat. Mandoſ. *De priuil. ad inſt. Gloſ. 15. num. 59.* Suarez *lib.8. De legib. cap.7. num.7.*

6 Et quamuis aliqui velint, quod pręſcriptio non contineat verum priuilegiũ Gloſ. *in Cap. Nouit.* verbo. *Conſuetudo.* De *iudic.* Socin. ſen. *Conſil.* 260. *vol.* 2. Crauet. *De antiquo temp. par.4. §. Abſolutis diſferentijs. quaſt.3. num.10.* Rolan. *Conſ.66. num.40. vol.2.* Cacheran. *Deciſ.139. nu.12.* Tapia *ad l. fin. ff.* De *conſtit. princip. par.2. cap.11. num.23.* concedunt tamen, quod æquiparetur priuilegio, & quod ſit priuilegium præſumptum fictione iuris. Vnde cum fictio iuris habeatur pro veritate. *l.1. ff. De adopt.* & *l. Cum ex oratione. ff.* De *excuſat. tut.* Et idem operetur, quod veritas *l.1. §. Hoc ſenat. ff.* Ad *Senatuſcon.* *Trebel.* & Cap. *Ad audientiam. De cler. non reſid.* idem omnino erit in caſu noſtro, ac ſi eſſet verum priuilegium.

An hæres Epiſcopi habens apud ſe fructus Epiſcopatus poſſit ſibi compenſare, quod de patrimonio expendit Epiſcopus mortuus pro expeditione Bullarum. Quæſt. 350.

S V M M A.

1 *Quando Epiſcopus cenſeatur compenſaſſe expenſas Bullarum ex fructibus Epiſcopatus.*
2 *An expenſæ Bullarum debeantur de fructibus Eccleſiæ. & num.3.*
4 *Expenſæ pro vtilitate Eccleſiæ, & ſubſtentatione Prælati debentur ex fructibus Eccleſiæ.*
4 *Expenſæ Bullarum ſunt ob vtilitatem Eccleſiæ.*
4 *Prælatus eſt propter bonum Eccleſiæ.*
5 *Verens vtiliter negocium alterius poteſt repetere expenſas.*
6 *Prouiſio habet vim electionis, & confirmationis.*
6 *Prouiſus habet plenum ius etiam ad fructus pro expenſis &c.*
7 *Expenſæ pro electione prælati Sede vacante debentur ex fructibus Eccleſiæ.*
8 *Prælatus intendit principaliter commodum Eccleſiæ.*
8 *Prælatura principaliter eſt onus, miniſterium, &c.*
8 *Principale attenditur, non quod venit in conſequentiam.*
9 *Omnes expenſæ, factæ intuitu epiſcopatus, debentur de fructibus Eccleſiæ.*
10 *Hæredes poſſunt ſibi compenſare expenſas factus de patrimonio ab Epiſcopo mortuo pro epiſcopatu.*
11 *Etiam ſi Epiſcopus non declarauerit, quod habuerit intentionem de tali compenſatione.*
11 *Actus cenſetur factus ex titulo vtiliori.*
12 *Quando expenſæ factæ intuitu pietatis non poſſint repeti.*
13 *Quando hæredes Epiſcopi non poſſint repetere expenſas factas de patrimonio pro Eccleſia à ſucceſſore.*
13 *Subſtentatio clerici præferenda cuicunq; creditori.*
13 *Subſtentatio militis præfertur vtilitati creditorum.*
13 *Clericus non poteſt cogi ad ſoluenda debita, quando non poteſt.*

---

1 Difficultas procedit, ſuppoſito, quod Epiſcopus antequam moreretur, non fecerit compenſationem. Tunc autem debet cenſeri facta compẽſatio, quando ex Epiſcopatu tot fructus percepit, qui nõ ſolum ſufficiant pro cõgrua ipſius ſubſtentatione pro tempore, quo inſeruiuit Epiſcopatui, & cœteris expenſis, quæ vel perſonam ipſius concernunt, & manutentionem familiæ, vel commodum Eccleſiæ; ſed etiam, quod tot fructus his deductis liberi ſuperſint, vt adæquent expenſas bullarum. Vnde moriatur, antequam tot fructus perceperit, aut ſi percepit, non ſint ab ipſo conſumpti, ſed adhuc poſt mortem ipſius extent, tunc locum habet propoſita difficultas.

2 Solutio autẽ difficultatis ex eo dependet, an dictæ expenſæ debeantur de fructibus Eccleſiæ; quia, ſi ſunt debitæ, poteſt hæres facere compenſationem de

fru-

fructibus, quos apud te habet, ſi nondum ſit facta. In quo dubio Abbas *quæſt.* 3. *dub.* 2. § *Ad ſolutionem huius dubij.* adhibet plures diſtinctiones, quæ tamen omnes eò tendunt, quod ſi Epiſcopus fecit dictas expenſas quærens proprium commodum petendo nimirum dignitatem, vt præſit, eundo ad Curiam &c. tunc expenſæ non ſunt debitæ de fructibus Eccleſiæ. Si autem eas ſecit propter commodum Eccleſiæ, vel quia motu proprio à Papa aſſumptus eſt, vel quia petiuit dignitatem ob bonum Eccleſiæ, vt nimirū illi prodeſſet, tunc debentur expenſæ de fructibus Eccleſiæ. Et hanc doctrinam videntur ſequi Redoan. *De ſpol. quæſt.* 10. *num.* 37. Grilenzan. *Conſil.* 112. *num.* 15. Et in idem etiam coincidit, quod habet Calderin. *Conſil.* 2. *De ſolut.* & Nicolaus Noalis *De transmiſ. caſu* 28. *num.* 75. dum inquiūt, quod tūc expenſæ ſunt debitæ, quando Prælatus geſſit negocium Eccleſiæ, quia acceptauit, vel fuit electus, & poſtulatus ex ſola obedientia ſuperiorū, vel pro vtilitate, ſeu neceſſitate eiuſdem Eccleſiæ principaliter conſiderata, & tūc non debentur, quando geſſit negocium proprium, quia acceptauit Eccleſiam, vel ad illam fuit electus, aut poſtulatus voluntariè nulla vtilitate, vel neceſſitate Eccleſiæ cogente. Et hoc ipſum etiam ſentit Bald. *Conſil.* 298. *num.* 5. *lib.* 1.

3 Verū hęc diſtinctio non videtur neceſſaria, & proinde abſolutè tenendum eſt, *quod ſiue prouiſio prælati fiat hoc, vel illo modo; ſiue ipſo petente, ſiue ex motu proprio Pontificis, expenſa debeantur de fructibus Eccleſiæ, & ideo ſi mortuo Epiſcopo non ſint compenſata, compenſandas eſſe aut de fructibus, quos reliquit, aut de ijs, qui poſtea percipiuntur.* Ita Marcus Antonius Genuenſ. *in Pract. eccleſiaſ. q.* 588. *num.* 4. *& ſequentib.* Lauor. *in Varijs Lucubrat. tit.* 4. *de elect. cap.* 25. *num.* 15.

4 Ratio autem eſt. Quia expenſæ factæ pro vtilitate, & neceſſitate Eccleſiæ, imo etiam pro ſubſtentatione prælati ipſius, debentur de fructibus Eccleſię, & debent etiam ſolui, ſi nondum ſint ſolutæ per ſucceſſorem, & non per hæredes Prælati, Cap. *Quicunque* 12. *Quęſt.* 4. & Cap. 1. *De ſolut.* & Cap. *Dilecti.* De *foro compet.* & Cap. 1. *De depoſito*, vbi Doctores. & notant Gloſ. *in Cap. fin.* De *elect. in* 6. & cœteri Doctores. Redoan. *De ſpol. Eccleſiaſ. Quæſt.* 10. *num.* 36. ver. *Vnde habetur.* Noalis *De transmiſ. Caſu* 28. *num.* 61. iuxta regulam, *Qui ſentit commodum debet etiam ſentire incommodum.* De *reg. iur. in* 6. Sumptus autem pro promotione, & expeditione bullarum abſque alia probatione præſumuntur verſi in vtilitatem Eccleſiæ, vt notant Bald. *Conſil.* 298. ver. *Alij dicunt.* Alber. *in Authent. Hoc ius. C. De ſacroſanc. eccleſ.* Gloſ. *ad Capel. Tholoſan. Deciſ.* 497. Et ratio eſt, quia Prælatus eſt inſtitutus propter bonum, & vtilitatē Eccleſiæ, ſicut paſtor eſt propter bonum gregis. Vnde Eccleſia ſine prælato dicitur deſtituta paſtore. Cap. *Innotuit.* Dicitur viduata, & expoſita diſpendijs, & inuaſioni luporum rapacium. Cap. *Ne pro defectu.* Deſtituta ſolatio. Cap. *Cumana.* De *elect.* Vnde cum tot emolumēta proueniant Eccleſię à prouiſione Prælati, non poteſt eſſe dubium, quod expenſæ factæ pro tali prouiſione non tendant ad vtilitatem, & fauorem ipſius.

5 Quod etiam confir. Qui gerit vtiliter negocium alterius, poteſt repetere expenſas *l. Sed an vltro ff.* De *neg. geſt.* & Cap. *Cum pro cauſa.* De *procur.* & per alia vulgata iura. Quando autem fiunt expenſæ pro prouiſione paſtoris, & expeditione bullarum, vtiliter geritur negociū Eccleſiæ; agitur enim de intereſſe ipſius; ſiquidem ipſius intereſt habere paſtorē, & ſponſum, à quo adminiſtretur, ita vt abſolutè ipſo indigeat. Qui ergo facit expenſas, poterit repetere ab Eccleſia aſſumendo ex fructibus ipſius tanquam factas propter eius vtilitatem, cum in hoc prælatus vtiliter geſſerit negocium Eccleſiæ per notata in Cap. *Vt præterita.* De *elect.* & in Cap. *Cupientes.* De *elect. in* 6.

6 Quod eo fortius procedit, quia antequā expediātur Bullę, eſt facta prouiſio; prouiſio autē habet vim non ſolum electionis, ſed etiam confirmationis Cap. *Si tibi abſenti.* De *prębendis in* 6. & notat Innocent. *in Cap.* Cum *olim.* De *cauſ. poſſeſ.*

& pro-

& propr. Vnde prouiſus habet plenum ius,& poteſt dicere,quod beneficium ſit ſuum per modò *citat. text.* Cap. *Si tibi abſenti*, ergo habet ius etiam ad fructus Eccleſiæ pro ſumptibus neceſſarijs ad proſequendam ſuam prouiſionem. Præſertim quia ſumptus pro ſoluenda annata,& expeditione Bullarum non facit ex propria electione, ſed de neceſſitate, & ex tacita ordinatione Papæ; & ideo poteſt detrahere de bonis Eccleſiæ.

7 Denique expenſæ, quæ fiunt à Capitulo pro electione Prælati ſede vacante, debent fieri de bonis Eccleſiæ,& reddēdæ ſunt, ſi de alijs bonis erogatę ſunt, vt deciditur in Cap. *Vt præterita*. *De electione*. & notant Compoſtel. *ibid*. Archidiacon. *in Cap. fin. Diſt*. 64. Pauin. *De poteſt Capit. Sede vacan. par*. 2. *quæſt*. 8. *in fine*. Non alia ratione, niſi quia ſicut electio tendit in vtilitatem Eccleſiæ, & agitur de intereſſe ipſius, ita etiam ſumptus pro electione. ergo ſiue electio fiat à Capitulo, ſiue ab alijs prouideatur Eccleſia, ſemper expenſæ de bonis Eccleſiæ erogandæ ſunt, cum ſemper fiant in ipſius vtilitatem.

8 Nec obſtat, quod prælatus intendat proprium commodum, nempe dignitatem, præſidentiam,& etiam fructus Eccleſiæ; nam hoc non intendit principaliter,& per ſe primò; ſed ſolum in conſequentiam ad officium, quod aſſumit in vtilitatem Eccleſiæ; & proinde per ſe primò intentio ipſius dirigitur in Eccleſiæ commodum, & conſequenter etiam expenſæ. Epiſcopatus enim, ſicut & quælibet alia prælatura, eſt principaliter onus, & ſolum conſequenter eſt honor. Cap. *Quia Epiſcopatum*. 8. *quæſt*. 1. & eſt nomen operis, & miniſterij per *dict. tex*. vt notant Azo *in ſum*. De *Epiſcop. & Cler*. Speculator *De inſtrument. edit* §. 14. *De Epiſcopo*. in fine. Vnde quando quis reſpicit ad honorem, dignitatem, prouentus percipiendos in Epiſcopatu, reſpicit ad ipſos tanquam aſſequendos mediante Epiſcopatu, atque adeo in conſequentiam ad ipſum; & ideo neceſſariò dirigit intentionem ad onus, atque ad officiū, vt ad principale,& ad cœtera tamquam acceſſoria & venientia in conſequentiā. Et proinde tanquam ea, quæ veniunt in conſequentiam, non attenduntur, ſed attēditur ſolum principale, nempe onus, inſeruiendi Eccleſiæ *l*. 1. *ff. De auctorit. tut*. & *l*. *Is qui. ff*. De *liber. cau*. & *l Conditionibus. ff*. De *condit. & demon*. & *l*. *Si quis nec cauſam. ff*. Si *cert. pet*. vbi latè Iaſ. *num*. 3. *& ſequen*.

9 Ex his autem deducitur, quod non ſolum ſumptus pro expeditione bullarū, & ſolutione annatæ, ſed etiam omnes aliæ expenſæ, quæ fiunt intuitu epiſcopatus, vt pro veſtibus Epiſcopi, pro inſtruēda domo, pro itinere ad Eccleſiam, & aliæ huiuſmodi, quæ fiunt in Romana curia, debētur de fructibus Eccleſiæ, quia omnes tendunt ad vtilitatem ipſius Eccleſiæ, cum tendant ad ipſi prouidendū de Prælato, & Sponſo; & proinde habent locum omnia, quæ adducta ſunt.

10 Colligitur ſecundo. Quod ſi Prælatus faciat expenſas, de ſuo patrimonio, & ſuccedat mors ipſius, antequam ex fructibus Eccleſiæ cōpenſet patrimonium diminutum, poterunt hæredes ipſius vti compenſatione, ſi habeant apud ſe fructus Eccleſiæ, aut ſi non habent, poterunt eas repetere ab ijs, ad quos peruenniunt fructus Eccleſiæ, iuxta regulam, quam ex Cap. *Vt præterita*. De electione. ponunt Redoan. *De ſpol. eccleſiaſ qu*. 10. *num*. 36. ver. *Vnde habetur*. Calderin. *Cōſil*. 2. *De ſolut*. Grilenzan. *Conſil*. 112. *n*. 15 Bald. *Conſil*. 298. *num*. 5. *lib*. 1. Noales *de tranſmiſ. caſu* 28 *num*. 75. Genuenſ. *in Practic. eccleſ. q*. 584. *nu*. 4. Lauor. *in Var. Lucubrat. tit*. 4. *cap*. 25. *n* 16.

11 Quod locum habet, etiam ſi Prælatus mortuus non declarauerit intentionem ſuam cōpenſandi expenſas ex fructibus Eccleſiæ, quia de iure pertinent expenſæ ad Eccleſiam, cum agatur de intereſſe ipſius,& vtiliter geratur negociū, eius, & ideo præſumitur voluntas compenſationis in Prælato mortuo, quia præſumitur, quod faciat expenſas, prout, de iure faciendæ ſunt; Siquidem actus, quādo ex diuerſo capite procedere poteſt, cenſetur factus ex vtiliori. *l*. 3. *ff. De teſtam. milit. & l. Cum pater. ff*. De *iure dot*.

Nec

12 Nec dici poteſt, quod prędictus mortuus fecerit dictas expenſus ex pietate compatiens Eccleſiæ viduatæ, & proinde non poſſe repeti Cap. *Sacrorum.* 12.*q.* 1. *& l. Alimenta*. C. De *negoc.geſt.* Quia non ſemper excluditur repetitio expenſarum, quãdo quis inducitur ex pietate ad aliquid faciendum; ſed inſuper oportet, quod ex pietate inducatur etiã ad faciendas ipſas expenſas, ita vt pietas non ſolum ſit motiuum faciendi actum ſed etiam faciendi expenſas pro actu, vt deſumitur ex *l. Si quis hæc actio ff.* De *re lig. dom. & ſump. fun.* & ex Cap. *Vt prætеritis.* De elect. & Cap. *Quicunq.* 12. *Q.* 4. Modo autem ſumus in caſu, in quo licet prælatus ex pietate inductus ſit ad cooperandum prouiſioni Eccleſiæ, non tamẽ cenſetur inductus ex pietate ad cooperandum expenſis proprijs, cum poſſit Eccleſia omnes ſumptus de ſuo ſubminiſtrare.

13 Hæc tamen, quæ dicta ſunt, tunc ſolum locum habent, quando extãt fructus, aut ſucceſſori in Eccleſia ſuperſunt, vnde poſſint dicti ſumptus compenſari. Si enim ſucceſſor perciperet ſolũ tot fructus, quot ſufficiunt pro ipſius ſubſtentatione; non poſſent ab ipſo repeti prædeceſſoris expenſæ, quantumuis factæ pro vtilitate Eccleſiæ, vt notant Ripa *in l. Obligatione. nu.* 46 *in fine. ff.* De *pignor.* Ferret, *Conſil.* 317. *n.* 3. Noales *De transmiſ. caſu* 28. *n.* 80. Quia Clericus cogi non poteſt ad ſoluenda debita, quando ſoluere nequit. Cap. *Odoard.* De *ſolut.* Sunt enimim primis debita alimenta Eccleſiaſticis, ita vt non poſſit Epiſcopus aliquem ordinare, niſi habeat patrimonium, vnde ſubſtentetur, aut niſi ipſe ſubminiſtret, vnde poſſit alimenta percipere. Cap. *Non liceat.* De *pręben.* Et ratio eſt, quia cum Clericus militet Deo, debet præferri ſubminiſtratio ipſius, vt pote tendens in obſequium Dei, cuicunque creditori, ſicut ſubſtentatio militis, quia tendit in publicam vtilitatem, præfertur vtilitati creditorum tanquam priuatæ, ita vt non poſſit cogi ad ſoluenda debita, quando non ſupereſt ipſi, vnde ſoluat. *l. Miles. init.* & *l. Item miles. ff.* De *re iud.*

An, ſi teſtator leget alicui centum aureos, & poſtea in codicillo adhuc exprimat dandos eidem centum aureos nulla facta mentione de teſtamento, cenſendum ſit duplicatum legatum. Quæſt. 351.

S V M M A

1 *Pluries eadem res legata in eodem teſtamento, ſemel tantum debetur.*
1 *Niſi euidentiſſimè conſtet teſtatorem multiplicare legatum.*
2 *Quando in codicillo idem legatur, quod in teſtamento, debetur duplicatum.*
3 *Cur cenſeatur duplicatum.*
4 *Quando ex codicillo non debeatur legatum, quod etiam in teſtamento relictum eſt.*
5 *Quid ſi verba codicilli ſint enunciatiua.*
6 *Quid, ſi ita ſint enunciatiua, vt tamen ſint propter ſe prolata.*
6 *Verba debent ſemper habere aliquem effectum.*
7 *Quid, ſi ſint enunciatiua, ſed prolata in vim modi, & conditionis.*
8 *Quando verba enunciatiua inducant diſpoſitionem.*
8 *Quod neceſſario infertur ex expreſſo, habetur pro expreſſo.*

---

1 Difficultas procedit, quando non conſtat de mente teſtatoris, an ſcilicet voluerit legare alia centum, an verò repetere legatum factum in teſtamento. Quod autem legauerit etiam in codicillo ex intentione repetendi dictum legatum, videtur deſumi ex *l. Planè.* §. *Si eadem res.* vbi, quod ſi pluries eadẽ res legetur in eodem teſtamento, ſemel tantũ debetur. codicillus autem non importat diuerſum teſtamentum, ſed eſt cõplementum prioris, & §. *Sed ſi non corpus*, vbi deciditur, quod quantitas eadem ſępius in eodem teſtamento legata, tunc ſolum ſępius debetur, quando euidentiſſimis rationibus oſtendatur, teſtatorem voluiſſe multiplicare legatum. *ff De legat.* 1. Vnde cum in caſu præſenti non adſint euidentiſſimæ probationes pro mul-

multiplicatione legati, ſemel tantum debebuntur centum aurei.

2 At *oppoſitum tenendum eſt, nempe legatum duplicatum deberi, niſi hæres oſtēdat, quod teſtator noluerit duplicare legatum, ſed in codicillo repetere legatum factū in teſtamento.* Et ita tenet Gloſ. *in l. Plane. ff.* De legat. 1. & habetur deciſum in *l. Quinquaginta. ff.* De probat. ibi. *Quinganta teſtamento tibi legata ſunt; idem ſcriptum eſt in Codicillis poſtea ſcriptis, refert, duplicare legatum voluerit, an repetere, & oblitus, ſe in teſtamento legaſſe, id fecerit, ab vtro ergo probatio eius rei exigenda eſt.* & concludit. *Cum petitor duas ſcripturas, oſtendit hæredi, poſteriorem inanem eſſe, ipſe hæres id probare iudici debet.*

3 Et ratio tangitur in ipſo textu, quia nimirum, cum ſint teſtamentum, & codicillus diuerſæ ſcripturæ, habet legatarius intentionem ſuā fundatam ad petendum duplicatum legatum, nam in virtute teſtamenti poteſt petere legatū, & in virtute codicilli de nouo eādē ſummā. Sicut ſi creditor in virtute duarum ſcripturarum conueniat creditorem, quę factæ ſint in diuerſo tempore, quamuis vtraque contineat eādē ſūmā, poteſt petere duplicatam, niſi debitor oſtendat, eſſe eamdem ſummam, quæ debetur ex vi vtriuſque ſcripturæ.

4 Hoc tamen limitandum eſt, vt non habeat locum, quando verba, quibus in codicillo exprimitur legatum, ſunt prolata propter aliud, & non vt legatarius percipiat legatum; nam tunc non inducunt diſpoſitionem, & proinde non faciunt, quod de nouo ſit debita eadem ſumma iuxta regulam tex. *in l. Ex his verbis.* C. De *teſtam. milit.* vbi Bald. Bart. *in l. Ex hac ſcriptura. ff.* De donat. & *in l. Fideicommiſſa §. Si quis ita. ff.* De legat. 3 Surd. *Deciſ.* 250. *num.* 8. *& ſeq.* Mantica. *De coniect. vlt. volunt. lib.* 3. *cap.* 12. *num.* 2.

5 Rurſus etiam limitandum, vt non valeat, ſi verba Codicilli ſint merè enūciatiua, quia verba enunciatiua non diſponunt *l. Vnum ex familia. §. fin. ff.* De *legat.* 2. & notant Curtius Sen. *Conſil.* 64 Dec. *Conſil.* 584. *num.* 9. Gozadin. *Conſil.* 64. *num.* 14. Paris. *Conſil.* 41. *num.* 18. & *Conſil.* 75. *num.* 50. *lib.* 2. & *Conſil.* 66. *num.* 26. *lib.* 3. Menoch. *Conſil.* 1135. *num.* 9.

6 Dixi, ſi ſint purè enunciatiua, quia ſi ita enunciatiua ſint, vt tamē ſint propter ſe prolata, tunc inducunt diſpoſitionem, & faciunt, quod nouum legatū ſit debitum. *l. Ex hac ſcriptura. ff.* De *donat.* Tunc enim non poſſunt habere aliū effectum, niſi diſponant verba autem ſemper debent ita accipi, vt operentur aliquem effectum. *l. Si quando. ff.* De *legat.* 1. & *l. fin. ff.* Ne *quid in loco pub.* & Cap. *Si Papa. in fine.* De *priuileg. in* 6.

7 Quod etiam dicendum eſt, licet nō ſint propter ſe prolata, ſed propter aliud, dummodo tamen prolata ſint in vim modi, aut conditionis, vt ſi teſtator dixiſſet, Relinquo Titio decem millia, ita vt centum ex his det Caio. In hoc enim caſu verba illa enunciatiua, quia prolata ſunt in vim modi, ſeu conditionis, habēt vim diſponendi indirectè; quia conditio, & modus determinat priorem diſpoſitionem, & facit, quod tacitè inſit alia diſpoſitio de dandis centum Caio & ita habetur deciſum *in l. Ex his verbis. ff.* De *his, quæ ſub modo leg. &c.*

8 Inſuper adhuc verba enunciatiua habebunt vim diſponendi, & conſtituendi nouum legatum, ſi dirigantur ad aliquam perſonam, in qua teſtator confidat, ita vt tacitè, vel expreſsè imploret fidem ipſius, vt ſi dicat, Non dubito, quod hæres meus non ſit daturus centū Caio, vt habetur ex *l. Vnum ex familia. §. vlt ff.* De *legat.* 2. & *l. Pamphilio. init. ff.* De *legat.* 3. & notant Caſtrenſ. & Comenſ. *ibid.* Menoch. *Conſil.* 1135. *num.* 10. Licet enim hæc verba, quantum eſt de ſe, non ſint diſpoſitiua, debent tamen accipi tanquam diſpoſitiua, quia confidentia teſtatoris, ratione cuius implorauit alienam fidem, non debet remanere vacua, neque debet decipi teſtator de fide aliena, quam implorauit. Et proinde dicta verba oſtendunt tacitam volūtatem diſponentem, quam præfata cōmendatio neceſſariò ſupponit. Et talis diſpoſitio habetur pro expreſſa, quia neceſ-

ceſſariò infertur ex eo, quod eſt expreſſum, *l. Prætor ait.* §. 1. *ff.* De *noui oper. nunc.* vbi Gloſ. *verbo. Expreſſum.* & *l.* Si *ita.* § *Si filio. ff.* De *ſecun. tab.* Bald. *in l. fin. num.* 9. C. De *hæred. inſtit.* Rebuf. *in* Praxi *beneficior. par.* 1. Tit. *Forma vicariatur. num.* 57.

An liceat alicui occidere eum, qui paratus eſt apud Principem occultè detrahere, & ipſi grauem infamiam impingere. Quæſt. 352.

S V M M A.

1 *Opinio affirmans.*
2 Eius *fundamenta.*
3 Non *licet occidere paratum occultè detrahere apud* Principem.
4 *Bonum priuatum debet poſtponi publico.*
5 *Publica vtilitas eſt ratio ſufficiens auferendi ius proprium priuatis.*
5 *Maius bonum debet præferri minori.*
6 *Detractiones occultæ ſunt minus malum, quàm præuenire homicidio detractores etc.*
7 Cur *inuaſor poſſit occidi.*
7 *Remedium iuris pro iniurijs, detractionibus &c.*
8 *Abſurdum conſequens ex doctrina quod liceat occultum detractorem occidere.*
9 *Remedium diluendi maculam illatam verbis infamatorijs &c.*
9 *Retorſio habet locum, quando læſio facta eſt in abſentia,*
10 *Honor, & fama æquiparantur vitæ, ſed diuerſo modo defendi debent.*
10 *Argumentum ab æquiparatis non valet, quando eſt diſpar ratio.*
11 *An liceat occidere furem, quando aliter bona ablata recuperari non poſſunt.*
11 *Cur liceat occidere furem nocturnum, & non diurnum.*
12 *Quid requiratur, vt impunè occidatur fur nocturnus.*

1 SImilem quæſtionem quòad terminos, & eamdem in te tractaui *Centur.* 1. *quæſt.* 32. & negatiuã ſententiam contra Amicum *De iuſt. & iure diſp.* 36. *ſect.* 7. *num.* 118. tradidi, Nunc autem, quia nonnulli Recentiores ſub terminis propoſitis partem affirmatiuã tradiderunt, & Facundez *lib.* 5. *in* 5. *Præcep. Decalogi cap.* 6. *num.* 9. aſſerit, hanc opinionem ſpeculatiuè loquendo probabilem videri, & addit, quod ſi nulla adſit via euitandi damnum, talem opinionem etiam in praxi eſſe probabilem. & citat *nu. præced.* Petrum Nauar. *lib.* 2. De *reſtit. cap.* 3. *num.* 375. tanquam inclinantem in hanc opinionem, & Bannes 2. 2. *quæſt.* 64. *dub.* 4. dicentem, eſſe probabilem. Cogor rurſus hanc doctrinam adeo pernicioſam confutare, & ex falſis fundamentis deductam, quorum vnum eſt, quod liceat contumelias, & verbales iniurias armis impedire etiam occidendo, ſi opus ſit, quod latè reieci in *cit. quæſt.* & *in Deciſ. moralib. Deciſ.* 441. Nunc autem alia fundamenta proponam, vt ex eorum ſolutione falſitas patefiat.

2 Prob. ergo quando nullum aliud medium ſuppetit pro tuenda propria fama, & honore poſſum iniuſtum inuaſorem occidere, vt me defendam in fama, & honore, quia defenſio eſt de iure naturali, & facit, quod ſint licita omnia media, quæ non ſunt intrinſecè mala, qualis eſt occiſio iniuſti inuaſoris, vt cõſtat, quando quis vult me occidere, nam poſſum præueniendo ipſum occidere. Sed multoties non ſuppetunt alia media defendendi proprium honorem, & famã. ergo. 2. Periculũ honoris, & famæ æquiparatur periculo vitæ, vt notat Clar. *lib.* 5. *ſentent.* §. *Homicidium. num.* 62. ergo ſi ad tuendam vitã poſſũ occidere inuaſorem, potero etiam occidere ad tuendam famam, & honorem. Tertiò. In tali caſu nõ agitur ſolũ de defenſione honoris, & famæ, ſed etiam de defenſione noſtrarũ rerum, nempe fauoris, gratiæ, atque officij, quod quis habet apud Principem, quod iuſtè, atque abſque iniuria alterius poſſidet. ergo ſi permittitur, quod poſſit occidi fur, quando aliter res noſtras recuperare non poſſumus Cap. 2. De *homicidio*, erit etiam licitum occidere dictum inuaſorem.

3 At contrarium omnino tenendum eſt, *& recitata opinio omnino reijcienda.* Quam etiam reijciũt Leſſius, Binsfeldius,

Fi-

Filliuccius, Molfeſſius, Azorius, Petrus Hurtadus, Diana, quos citaui in *Deciſ. moralib. dicta Deciſ.* 441. *num.* 3. & inſuper Bocerus. Obrecthus, Chrbergius, Io. Happrecthus, Voltzius, Romuleus, Matthias Stephanus, Vaſquius, Zoanettus, Decius, Bolognetus, Ceſpedes, quos citaui *Centur.* 1. *quæſt.* 32. *num.* 2. Quibus nunc addendi ſunt Claud. *in l. Vt vim. num.* 75. *ff.* De iuſt. & iure. *in lect.* & *in Repet. eiuſd. l. num.* 100. & 104. Aret. *Conſil.* 34. *num.* 1. & 3. Alexan. *Conſil.* 140. *num.* 9. *lib.* 2. Carrer. *in Pract. tract. De homicid. & aſſaſſin. n.* 12. Foller. *in Prac. verbo.* Recipiatur. *num.* 11. Gomez *tom.* 3. *Variar. cap.* 3. *Rubr. de homicid. num.* 24. Boer. *Deciſ.* 169. Tiraquel. *De pœn temp. Cauſa* 1. *num.* 3. Boſſius. *Tit. de homicid. num.* 60. Clarus *lib.* 5. *§. fin. q.* 60. *num.* 14. Farinac. *in Praxi. quæſt.* 125. *de homicid. tit.* 14. *num.* 42. & 98. & alij apud Clarũ, & Farinac. qui omnes aſſerunt, non licere in foro conſcientiæ occidere, qui verbis nos lædunt.

4 Ratio autem eſt, quia, quando cõcurrunt bonũ cõmune, & bonũ priuatũ, ita vt alterum ipſorum neceſſe ſit euerti, debet bonum priuatum cedere, ita vt ceſſet ius priuatum, quando eſſet cõcontrarium publico bono, ſi quidem publica vtilitas priuatæ præferenda eſt. l. *vnica. §. fin.* C. De *caducit. tollen.* & *l. Sancimus.* C. De *Sacroſanc. Eccleſ.* & *l. Actione. §. Labeo. ff.* Pro Socio. & Authen. *Res, quæ.* C. Cõmunia *de legat.* & notãt Gloſ. *in l.* 1. *ff. Solut. matrim.* & item Gloſ. *in Cap. Bonæ.* 1. De *poſtul. prælat.* vbi & Doctores, Barr. *in l.* 1. *num.* 20. *ff.* Soluto *matrim.* vbi & cœteri Doctores. & idem Batt. *in Authen. De hæred. & faleid. num.* 4. Bald. *in l. Iubemus.* C. De *ſacroſanc. Eccleſ.* Caſtrenſ. *in l. De pupillo. §. Si quis ri- uos, num.* 3. *ff.* De noui oper. nun. Iaſ. *in Authen. Quæ res. nu.* 29. C. Cõmunia *de legat.* Dec. *in Rubr. Si cert. pet. num.* 28. *in* 2. *Lectura.* Paris. *Conſil.* 110. *in fine. lib.* 4. Colleg. *Bonon. Conſil.* 1. *num.* 14. *poſt Conſil. Zabarel.* Rolan. *Conſil.* 86. *num.* 65. *lib.* 1. Socin. *Conſil.* 16. *num.* 16. *lib.* 1. Crot. *Conſil.* 156. *num.* 7. *lib.* 2. & *Conſil.* 336. *nu.* 14. *lib.* 3. Gramat. *Deciſ.* 12. *num.* 18. Benincas. *ad l.* 1. *num.* 137. *ff.* Soluto *matrimon.* Reſtaur. Caſtald. *De Imperat. quæſt.* 98. vbi plura cumulat. A Ponte *De poteſt. Pro reg. Tit.* 1. *n.* 5.

5 Quod adeo verum eſt, vt publica vtilitas ſit ratio ſufficiens auferendi ius ſuum priuatis hominibus, vt notãt Doctores in Cap. *Quæ in Eccleſiarum.* De *conſtit.* vbi Felin. *num.* 27. Dec. *num.* 20. Natta *Conſil.* 11. *num.* 4. *lib.* 1. Rebuf. *in Praxi benefic. reg. de non tollen. iur quæſit. num.* 29. A Ponte *de Poteſt. Pro reg. tit.* 1. *n.* 26. Et deſumitur *ex l. Item ſi verberatũ. §. Item ſi forte. ff.* De *rei vend.* Cuius rei ea ratio eſt, quod in publica vtilitate omnes communicant, & ideo continet maius bonum, cum contineat illud bonum, quod omnes tangit. Maius autem bonum debet ſecundum rectum ordinẽ amabilium præferri minori, vt pote quia habet maius motiuum trahendi ad ſe voluntatem. Imo cum publica vtilitas ſit omnium vtilitas, eſt etiam vtilitas illius, cuius ius cedere debet; & ideo priuata vtilitas ipſius compenſatur per participationem publicæ vtilitatis.

6 In caſu autem præſenti concurrit priuata vtilitas cum publica vtilitate, & ius priuatum conſeruandi propriã bonam opinionem cum iure publico conſeruandi tranquillitatem reipublicæ, & bonum ſtatum ipſius. Si enim liceret occidere occultè detrahentem apud Principẽ, aut apud alios, aperiretur via occultis homicidijs, venenis &c. cum maxima perturbatione reipublicæ; & maximo periculo proximi, quia facilè ex ſolis quoque ſuſpicionibus quis induceretur ad talia homicidia, & plures innocentes perirent; plures etiam innocentes inculparentur de homicidijs. Et proindè inſurgit publica vtilitas exigens, quod hæ perturbationes arceãtur à cõmunitate. Ex alia autem parte concurrit ius priuatum conſeruandi bonam opinionem, quod cum debeat cedere publicæ vtilitati, deſinit in talibus circumſtantijs; & ideo ratione talis iuris non licet occidere occultum detractorem.

7 Altera quoque pars eiuſdem fundamenti falſa eſt; quod nimirum fieri poſ-

poſſit, quod non ſuppetat aliud medium pro ſe indemni conſeruando ab occultis detractoribus. Nam ſi detractio præuidetur, poteſt pluribus modis occurri, quibus impediatur, ne detractori fides habeatur. Quod ſi nullo modo poſſet præcaueri damnum, quia tamen non eſſet damnum irreparabile, non erit licitũ præuenire homicidio. In tantum enim iura concedunt, inuaſorem occidi, quia dum inuadit perſonam, poteſt inferre damnũ irreparabile; iniuria autem verbalis, & infamatio non infert damnum irreparabile, ſiquidem reparari poteſt aut media ſatisfactione, aut reſtitutione famæ. Et proinde à iure inſtitutum eſt remediũ pro læſo verbis iniurioſis, aut infamatorijs, nempe actio iniuriarum, de qua *§. In ſumma.* Inſtit. *De iniur.* Et proinde cum lex tribuat remediũ, falsò dicitur; quod non ſuppetat medium contra malignam detractionem.

8 Imò ſi prædicta doctrina valeret, poſse ex ipſa inferri, quod liceret occidere iudicem, qui præuidetur laturus ſententiam iniuſtam in graue præiudicium partis, præſertim quando ex ipſa ſequeretur infamia. Quod ſi reſpondeatur, non licere, quia adeſt remedium appellationis; ſequitur, quod nec liceat occidendo anteruertere damnum ex detractione, cum adſit remedium actionis iniuriarum, cum homicidium ſolum ſit licitum, quando eſt neceſſarium pro defenſione propriæ vitæ *l. Scientiam. §. Qui cum aliter ff.* Ad *leg. Aquil.*

9 Et inſuper præter remedium actionis iniuriarum, adeſt etiam remedium retorſionis, quo diluitur omnis macula ex verbis iniurioſis, & infamatorijs illata, approbatum à iure *l. Qui cum maior. §. Si libertus. ff.* De *bon. libert.* & *l. Quæ omnia. ff.* De *procurat.* Quod remedium cõtinet debitam defenſionem conceſſam à iure naturali *l. Vt vim. ff.* De *iuſt. & iure.* Et hoc remedium habet locum etiã, quando læſio fit in abſentia, ſi quidem adhiberi poteſt, quando primo cõmodè fieri poteſt, argum. *l. 2. §. Confeſtim autem. ff.* Ad *Senatuscon. Tert.* & *l. Annus. ff.* De *calumnia* & *l. 1. ff.* De *diuer. & tẽpor. præſcrip.* & *l. 1. ff. Quæ in frau. credit. fac. ſunt.* & *l. Continuus. init. ff.* De *verbor. obligat.* nam tunc cenſetur in continenti fieri. Hoc autem eſt ſufficiens remedium ad purgandam omnem maculam honoris. *l. Quæ omnia. ff.* De *procurat.*

10 Quod ſpectat ad argumenta in oppoſitum, primum ex dictis ſolutum manet, cum conſtet, falſa eſſe, quæ aſſumuntur ad probandam concluſionem. Ad 2. reſp. quod, licet honor, & fama vitæ æquiparetur *l. Iuſta. init. ff.* De *manumiſ. vin.* vbi Gloſ. & *l. Iſti quidem. §. Quod ſi dederit. ff.* De *eo quod met. cau.* eſt tamẽ diuerſa ratio de defenſione vitæ, & de defenſione famæ, & honoris; ſiquidem vita defendi debet tanquam ea, quæ ſi amittatur, damnum irreparabile eſt, & proinde pro ipſa eſt licitum omne genus defenſionis, etiam cum morte inuaſoris. At honor, & bona opinio, ſi lædatur, non affert damnum irreparabile, cũ multis vijs reparari poſſit, & ideo non eſt licitũ pro ipſis adhibere omne genus defenſionis, atque adeo nec occidere lædentem. Vnde cum ſit diſpar ratio, non valet argumentum ab æquiparatis. *l. Iulianus. §. 2. ff.* De *condit. indeb.* & notant Iaſ. *in l. Creditori ff.* De *noui oper. nunc.*

11 Ad 3. reſp. falſum ſupponi in eo argum. quod nimirum liceat occidere furem, quando res ablatæ aliter recuperari non poſſunt. Neque id colligitur ex Cap. 2. *De homicidio*; imò colligitur oppoſitum, nam ibi in *§. Si autem.* dicitur. *Sine odij meditatione te, tuaque liberando.* Vnde excuſatur de homicidio, quia, vt conſtat ex dicta narratione facti, occiderat non ſolum res proprias, ſed etiam ſeipſum liberando. Et ſimiliter, quod non liceat occidere furem, etiam ſi res ablatæ non poſſent aliter recuperari, habetur ex Cap. *Si perfodiens* & Cap. *Suſcepimus.* De *homicid.* & *l. Si ex plagis. §. Tabernarius.* ibi, *Sed ſi ab eo non prior vapulaſſet. ff.* Ad *l. Aquiliam.* Et ratio eſt, quia bona externa ſunt inferioris ordinis reſpectu vitæ, & ideo iuxta debitum ordinem charitatis plus amanda eſt vita proximi, quàm propria bona externa,

tan,

tanquam ea, quæ magis participat de motiuo charitatis, ſicut debemus plus amare ſalutem ſpiritualem proximi, quàm propriam vitam corporalem, iuxta doctrinam communem cum D. Th. 2.2. *quæſt.* 26. *ar.* 4. & 5. Vnde quando in dicto Cap. Si *perſodiens.* dicitur, quod non imputatur ad homicidium, ſi fur nocturnus occidatur, ideo dicitur, quia vt ibi declaratur, præſumitur, quod non ſolum venerit ad furandum, ſed etiam ad occidendum. Diurnus autem fur non poteſt occidi, ſi tantum furetur, quia diſcerni poteſt, quod tantum ad furandum venerit, vt etiam habetur ex *l. Furem. ff.* Ad *leg. Cornel. de ſicar.* & *l.* 3. §. *Eum igitur. ff.* De *vi, & vi arm.* ibi. *Qui cum armis in nos venit, cum armis poſſumus repellere.* Ex hac enim ratione, quæ adducitur, ſignificatur, quod fur non propter bona, quæ ſurripit, ſed quia armatus intentat vim, poſſumus ipſi armis reſiſtere, & occidere, ſi neceſſe ſit pro vita tuenda.

12 Et ex his declaratur etiam text. *l. Itaq.* §. *Lex duodecim. ff.* Ad *leg. Aquil.* dum dicitur. Quod, *Lex duodecim tabularum furem noctu deprehenſum occidere permittit, vt tamen id ipſum cum clamore teſtificetur.* Nam taxatiuè loquitur de fure nocturno, & in ſequentibus excludit furem diurnum, quem; non vult, poſſe occidi, niſi armis quoque vtatur; quia nimirum quando fur eſt nocturnus, ignoratur, an animo furandi tantum venerit, an verò intentet etiam in vitam, vt inter alios explicant. Io. de Anan. *in Cap.* 2. & *in Cap. Suſcepimus.* ver. *Vtrum autem ſit licitus.* De *homicidio.* Zonnet. *in Repet. ad l Vt vim. par.* 1. *nu.* 40. *ff.* De *iuſt. & iure:* & colligitur etiam ex *l Sed & ſi.* §. 1. *ff.* Ad *leg. Aquil.* Vbi declaratur, impunè occidere furem, qui metu mortis occidit, non autem, qui occidit, cum poſſit adprehendere. & clarè in cit. *l. Furem. ff.* Ad *leg. Cornel. de ſicar.* vbi dicitur, quod furem nocturnum impunè quis occidit, *Si parcere ei ſine periculo ſuo non potuit.* Vnde in lege quoque duodecim tabularum, quæ recitatur in dict. *l. Itaq. ff.* Ad *leg. Aquil.* vt fur nocturnus impunè occidatur, requiritur, vt occidens id ipſum cum clamore teſtificetur. ea nimirum ratione, vt ſi ad furandum tantum venerit, cum ſe detectū videat, poſſit fugere, vt notat. Cunradus Rittherſhus. *ad leg.* 12. *tabul. Claſ.* 2 *cap.* 3 ver. *Atq. hæc vna.*

A quibus diſpenſandi ſint Regulares in interſtitijs, quò ad ordines ſuſcipiendos. Quæſt. 353.

S V M M A

1 *Regulares à quibus diſpenſandi in interſtitijs & num. ſeq.*
2 *Declaratio S. Congregationis in hac materia.*
3 *Probabilior opinio.*
4 *Prælati regulares quò ad ſuos ſubditos habent totam illam facultatem, quam habent Epiſcopi quò ad ſuos.*
5 *Epiſcopi quomodo diſpenſent in interſtitijs.*
5 *Quibus conueniat diſpēſare in interſtitijs.*
6 *Diſpenſatio in interſtitijs eſt actus iuriſdictionis.*
6 *Abbates Regulares diſpenſant in interſtitijs ſubditos, quos ordinant.*
7 *Regulares quomodo ſubditi Epiſcopis quò ad ordines.*
8 *Ex declaratione S. Congregat. colligitur, ſuperiores regulares diſpenſare in interſtitiis.*
9 *Superiores regulares cur petant, ſuos ſubditos diſpenſari in interſtitijs ab Epiſcopis.*
9 *Verba debent accipi ſecundum naturam rei, de qua agitur.*
9 *Non ſortiri effectum, & non fieri paria ſunt.*
10 *Concil. Trident. cur remittat diſpenſationem interſtitiorum Epiſcopo.*

---

1 Eſſe diſpenſandos ab Epiſcopo, tradit Rodriquez *tom.* 1. *Quæſt. Reg. quæſt.* 22. *ar.* 7. Vgolin. *De poteſt. Epiſcopi. par.* 2. *cap.* 26. §. 27. *nu.* 3. Genuens. *in praxi cap.* 83. *n.* 1. Bonac *diſp.* 8. *de Sacram. q. vn. pun.* 5. *nu* 34 Madius *de ſacris Ordinib. cap.* 10. *n.* 13. Vaſquez 3. *par. diſp.* 246. *n.* 57. Molfeſ. *par.* 1. *ſum tract.* 2. *cap.* 1. *num.* 56. Gratian. *Diſcept. forenſ. cap.* 212. *n.* 43. Confet. *in Compen. priuil. tit.* 15. *c.* 3.

ver. *Nomine amplitud:nis.* Riccius *in praxi fori Eccleſi.ıſtici. D:ciſ.*361. *nu* 5. Barboſa *De poteſt. Epiſcopi part.*2. *all:gat.*18. *num.* 10. qui ılios etiam citat. Piaſeccus *in praxi . par.*1. *cap.*1. *nu.* 50. Henriquez *lib.*10. *Sum. cap.*23. *n.*4. *in Schol. littera L.* Miranda *tom.*1. *Manual. q.*38. *art.*7. Ledeſ. *par.*1. *ſum. Cap.*8. *de Sacram:n. ordin. Concluſ.* 11. Campanil. *in Diuer. ıur. Rubr.* 12. *Cap.*13. *n.*4. Portel. *in dub. R:gul. verbo.* Ordines ſacri. *n.*5. Tambur. *d: ıur. Abbat. tom.*2. *diſp.*2. *q.*22. *num* 1. Lezana *tom.*1. *Quæſt. R:gul. cap.*18 *n.*15. & fundantur in declaratione S. Congregat. ſub *die* 31. *Martij anno* 1597. quæ apud Gallemart. habetur *ad ſ:ſſ.*23. *cap.* 11. De *r:format.* quæ ita habet *Congregatio Concılij cenſuit rem:ſſionem interſtitiorũ etiam quò ad Regulares, ex cauſis tantum à Concilio expreſſis faciendam, pertinere ad Epiſcopum ordinantem eum. tamen hac in re d:bere quò ad cauſas d:ferre iudicio, & atteſtationi ſuperioris regularis ordinandi.* Quod etiam confirmatur. Quia quandocunque Tridentinum concedit facultatem diſpenſandi ſuper interſtitijs, ſemper nominat Epiſcopum, ergo Epiſcopis tantum eſt conceſſa talis facultas.

2 Obſeruat tamen Suarez. *tom.* 4. *de relig. lib.*2. *de relıg. prælatis. cap.*12. *nu.*22. extare aliam declarationem apud Marzillam *lib.*3. *tit.*13. *cap.*9. quæ præcedenti contrariatur. nam ita habet. *Non eſt Epiſcopi, ad quem dimiſſus eſt ordinandus, hoc iudicium facere;* nempe circa diſpenſationem interſtitionum, imo diſpenſare in ipſis pertinet ad concedentes dimiſſorias, vt conſtabit ex declarationibus infra afferendis. & proinde ſtante hac diuerſitate erit vnicuique licitum amplecti quam partem libuerit.

3 Secunda ergo ſententia aſſerit, hãc diſpenſationem pertinere ad prælatos regulares. Ita Suarez *tom.* 4. *de relıg. lib.* 2. *De relig. prælat. cap.*12. *num.*22. Sanchez *lib.*7. *Conſil. moral. cap.*1. *dub.*54. Cœleſtin. *in Compend. Theol. mor. tract.*8. *cap.*4. *q.*4. Quæ *quidem ſententia ſtando in iure mihi videtur probabilior,* præſertim ſtante priuilegio pij V. de quo mox.

4 Ratio autem eſt, quia prælati regulares quò ad ſuos ſubditos habent totam illam facultatem tàm in ordine ad abſoluendum, quàm in ordine ad diſpenſandum, & ad omnem aliam facultatem, quam habent Epiſcopi quò ad clericos, & laicos ſibi ſubditos, vt declarauit, & conceſſit Pius V. *Sub die* 21. *Iulij* 1571. *in ſua Conſtit.*132. in Bullar. veteri. ibi. *Et inſuper, quia Sacrum œcumenicum generale Tridentinũ Concilium cõceſſit Epiſcopis, vt abſoluere poſſint in foro animæ, ſeu conſcientiæ ab omnibus peccatis, & diſpenſare in irregularitatibus, prout ſeſſ.*24. *cap.*6. *habetur, ne Prior conuentualis, & ſuperiores Prælati totius Ordinis tàm in dicta prouincia, quàm extra eam cuilibet in hac parte deterioris conditionis, quàm clerici, aut ſæculares exiſtant, eiſdem Priori conuentuali, & Superioribus Prælatis, vt ipſi per ſe ipſos idẽ omnino poſſint in fratres, & Moniales dicti ordinis ſibi ſubditos, quod poſſunt Epiſcopi in Clericos, & Laicos ſibi ſubiectos, tàm quò ad abſoluendi, & diſpenſandi huiuſmodi; quàm aliàs quaſcunque facultates ea dem auctoritate, & tenore eam perpetuò concedimus, & indulgemus, ac etiam declaramus.* Quo priuilegio gaudent omnes Regulares, qui habent communicationem priuilegiorum. Neque hoc priuilegium fuit reuocatum à Gregor. XIII. Sed etiam confirmatum in ſpecie in fauorem Congregationis S. Bernardi Hiſpaniæ, vt habetur in *Compend. priuil. dicti ordinis. verbo.* Abſolutio *quo ad fratres.* §.11. Et ita notant. Sigiſmund. à Bonon. *part.* 2. *de elect. dub.*60. Sayr. *lib.*7. *de Cenſur. cap.*7. *n.*23. Henriquez *lib.*7. *Sum. cap.*25. Molina *tract* 3. *de Iuſt. & iure d. ſp.*61. *n.*4. & 5. Beia *par.*4. *caſu* 37. Sorb. *in Compen. priuleg. Tit.* Abſolutio *quò ad Fratr. & ſecul. in reſol.* Marchin. *De Sacram ordin. tra.*1. *par.*9. *difficul.*1. *n.* 9. Io. à Cruce *De ſtatu relig. lib.*1. *Cap.*6. *dub.*16. Trullench. *lib.*1. *in Decal. cap.*3. *dub.*4. *n.*5. Barboſa *par.*2. *de poteſt. Epiſcopi. alleg.*39. *n.*18. vbi alios cit. Tamburin. *tom.*2. *de iur. Abbat diſp.* 17. *q.*8. *n.*2. Lezana, *tom.*1. *Quæſt. Reg. cap.*18. *n.*31. Ergo ſi Epiſcopi poſſunt diſpenſare ſuos ſubditos ſuper interſtitijs, poterunt etiã diſpenſare Regulares prælati proprios ſubditos, cum habeant ex

præ-

prædicta declaratione eamdem omnino facultatem.

5 Neque dici poteſt, facultatem diſpenſandi ſuper interſtitijs non concedi à Concilio Epiſcopo tanquam prælato, ſed tanquam ordinatori: vnde ſi Epiſcopus concedat dimiſſorias, ſed non ordinet, non pertinebit ad ipſum diſpenſare, ſed ad ordinantem. Et proinde talem facultatem non conuenire Prælatis regularibus, cum non ſint ordinantes, & ex tantum facultates conueniant, quæ conueniunt Epiſcopis, vt prælatis. Hæc enim reſponſio rejicitur ex declarationibus S. Cōgregationis, ex quibus habetur, quod talis diſpenſatio pertinet ad concedentes dimiſſorias. vnde in Aſtorienſi *ſub die* 21. *April.* 1595. apud Gallemart *ad cap.* 11. *de Reformat ſeſſ.* 23. declarauit. *Congregatio Concilij cenſuit, facultatem remittendi interſtitia Epiſcopo competentem ex cauſis comprehēſis in Cap.* 11. *&* 14. *ſeſſ.* 23. *transire in Vicarium* Capituli *Sede vacāte.* Ex qua declaratione habeatur, quod talis facultas ſit in Epiſcopo Ordinario, & quod tranſeat ad Vicarium capitularem, & proinde ſit facultas annexa iuriſdictioni epiſcopali. Et idem etiam habetur in alia declaratione *ſub die* 5. *Martij* 1597. quæ ita habet. *Congregatio Concilij cenſuit Epiſcopi Vicarium habentem generale mandatum in forma poſſe abſente Epiſcopo concedere dimiſſorias ad ordines, atque item remittere interſtitia.* Ex quibus conſtat, quod talis diſpenſatio non ſpectat ad ordinantem, ſed ad ſuperiorē ordinandi, à quo debet obtinere dimiſſorias. Et ita in ſpecie declaraſſe ſacram Congregat. *ſub die* 9. *Auguſti.* 1593. refert Piaſecius *citandus*. Sed opus eſſe, quod in dimiſſorijs hoc expreſsè ordinanti concedatur, & ita notat etiam Nauar. *Conſ.* 17. *De tempor. ordinat lib.* 1. Piaſec. *in praxi par.* 1. *cap.* 1. *num.* 11. Barboſa *de poteſt. Epiſcopi par.* 2. *allegat.* 18. *num.* 9. Lezana *in Sum. verbo.* Interſtitia. *n.* 1. *&* 2. Sorbus *in Compen. priuileg. verbo.* Ordines *ſacri.* Marchin. *part.* 7. *tract.* 1. *cap.* 2. *num.* 15.

6 Ex quibus ſequitur, quod diſpenſatio in interſtitijs ſit actus iuriſdictionis, & proinde quod non poſſit exerceri, niſi cum ſubditis. Vnde, quando Epiſcopi nō habent ordinationes, & concedunt dimiſſorias, quando opus eſt, diſpenſant ſuper interſtitiis in ipſis dimiſſoriis. Atq; Abbates regulares, qui habent facultatem conferendi ſuis ſubditis ordines minores, diſpenſant cum ipſis in interſtitiis, vt docet Rodriquez apud Sanchez *lib.* 7. *Conſ. Moral. cap.* 1. *dub.* 54. *n.* 8. Sorbus *in Compend. priuileg. verbo.* Ordines *ſacri.* Miran. *to.* 1. *Manual. q.* 38. *concluſ.* 3. Barboſa *De poteſt. Epiſcopi alleg.* 18. *n.* 6. Marchin, *de Sacram. ordin. tr.* 1. *par.* 7. *c.* 2. *n.* 11. *& ſequent.* Vnde cum Epiſcopus non habeat iuriſdictionem ſuper Regulares exemptos, non poterit eos diſpenſare ſuper interſtitiis, ſed ſolus Prælatus regularis, cuius ſunt ſubditi.

7 Dices. Regulares eſſe ſubditos Epiſcopis quò ad ordines recipiendos, vnde debent etiam ab ipſis examinari, & ideo eſſe etiam ſubditos quò ad diſpenſationem interſtitiorum. Reſp. eſſe ſubditos, quatenus ſe illi ſubiiciunt volūtariè quò ad receptionem ordinum, atque adeo in ordine ad poteſtatem ordinis, nō autem in ordine ad iuriſdictionem, quia ordinando exercēt poteſtatem ordinis, non autem poteſtatem iuriſdictionis. Vnde ſpectat ad prælatos regulares concedere ipſis dimiſſorias pro ordinibus, quod nō haberet locum, ſi ipſi Epiſcopi quo ad ordines haberent iuriſdictionem ſupra Regulares. Vnde eodem pacto res ſe habet, ac quando Epiſcopus cū dimiſſorijs mittit clericos ſibi ſubiectos ad recipiendos ordines ab alio Epiſcopo. Nec obſtat, quod examinetur: nam etiam Epiſcopus ordinans ſubiectos aliorum Epiſcoporū, eos examinat, cum tamen neque quò ad ordines ſuſcipiendos ipſi iuriſdictionaliter ſubijciantur.

8 Nec obſtat declaratio S. Cōgregat. de qua, *n.* 1. nam cum in ipſa habeatur, quod debet ſtare iudicio prelatorum Regularium, ex ipſa colligitur, quod Epiſcopus non diſpenſet ſuper interſtitijs, ſed ſolum, quod admittat diſpenſationem factam à prælatis regularibus, Quia cum inferior, qualis eſt Epiſcopus, non poſſit diſpen-

diſpenſare in lege ſuperioris, qualis eſt lex Concilij Tridentini de interſtitijs, ſine cauſę cognitione, dum ex dicta declaratione non debet cognoſcere cauſam, ſiam non diſpenſabit, ſed admittet diſpenſationem, aliàs S. Congregatio velle, quod diſpenſaret ſine cauſæ cognitione.

9 Nec item obſtat praxis, quod prælati regulares petant in dimiſſorijs, ſuos ſubditos diſpenſari ab Epiſcopo, quia poſſet primò reſponderi, id prouenire, quia ſequuntur opinionem, quod ad Epiſcopos pertineat diſpenſatio. Deinde reſp. quod petere diſpenſati eſt petere, quod admittant diſpenſationē, & faciãt, quod diſpenſatio ab ipſis impertita ſortiatur effectum. Verba enim debent intelligi ſecundum naturã rei, de qua procedunt, vt notant Geminian. *Conſil.* 122. *n.* 3. ver. *Et facit.* Alexan. *Conſil.* 68. ver. *Nec obſtat.* Ruin. *Conſ.* 25. *n.* 19. Craueta *Conſil.* 732. *nu.* 23. Surd. *Deciſ.* 322. *num.* 37. Tuſch. *Littera V. Concluſ.* 91. *num.* 26. Et ideo in præſenti caſu *diſpenſare* debet accipi pro acceptam habere diſpenſationem, quia niſi admittatur, non ſortietur ſuum effectum. Non ſortiri autem effectum, & non fieri, paria ſunt *l.* 1. *§. Nihil. ff.* De *inoffic. teſt.* & *l. Si quis ſub conditione. ff.* De *teſtam. tut.* & *l. Ex conſenſ.* *§.* 1 *ff.* De *appellat.*

10 Ad confir. autem pro oppoſita ſentent. reſp. Concil. Trident. ideo remittere diſpenſationem interſtitiorum Epiſcopo, quia loquitur de ordinationibus clericorum ſæcularium in omnibus illis capitulis, vt præcipuè conſtat ex *cap.* 7. *de reformat. dictę ſeſſ.* 23. ibi. *Epiſcopus autem ſacerdotibus, & alijs prudentibus viris peritis diuinæ legis, ac in eccleſiaſticis ſanctionibus exercitatis ſibi aſcitis ordinandorũ genus, perſonam, ætatem, inſtitutionem, mores, doctrinam, & fidem diligenter inueſtiget, & examinet.* & in conſequentiam ad hæc tradit, quæ ſequuntur in ſubſequentibus capitulis, præſcribens, quæ Epiſcopi ſeruare debent circa ordinationem clericorum ſibi ſubiectorum. Vnde etiam *Cap.* 16. Nullus debet ordinari, qui iudicio ſui Epiſcopi non ſit vtilis, aut ſuæ Eccleſiæ neceſſarius. Quę autem in conſequentiam ad aliud diſponuntur, habent locum in ijs, in quibus incipit diſpoſitio.

An ſi quis non completis interſtitijs ordinetur abſque diſpenſatione, incurrat aliquam pœnam. Quæſt. 354.

S V M M A

1 *Accedens ad ſuſcipiendos ordines non completis interſtitijs an incurrat aliquam pœnam.*
2 *Pœna contra eos, qui abſque diſpenſatione canonica ſe faciunt promoueri ad ſacros ordines.*
3 *Pœna ſuſpenſionis contra malè promotos quando habeat locum.*
3 *Quod lex non dicit, nec nos debemus afferre.*

1 NOn incurrere aliquam pœnam, ſi quis nondum interſtitijs peractis accedat ad ordines ſuſcipiẽdos, docent communiter Nauar. *Conſil.* 4. *&* 6. *De tempor. ordinat.* Zerola *in praxi. verbo.* Dimiſſoriæ. *nu.* 5. & *par.* 2. *verbo.* Ordo *num.* 8. Piaſec. *in praxi Epiſcop. tit. de conſer. ordin. num.* 50. Madius *de Sacris ordinib. cap.* 9. *n.* 11. Suarez *De cenſur. diſp.* 31. *ſect.* 1. *num.* 43. Riccius. *par.* 3. *Collect.* 356. Filliucius. *tract.* 20. *cap.* 7. *nu.* 190. Bonac. *diſp.* 8. *de ſacram. quæſt. can. punc.* 5. *nu.* 35. Diana *par.* 4. *tract.* 4. *Reſol.* 209. Marchin. *De Sacram. ordin. tract.* 1. *par.* 7 *cap.* 2. *n.* 12. Villalobos *par.* 1. *ſum. tract.* 11. *difficul.* 12. *n.* 2. Tamburin. *De iure Abbat. t.* 2. *diſp.* 2. *quæſt.* 24. *num.* 8. Lauretus de Franchis. *in contrauer. inter Epiſcop. & Regul q.* 32. Campanil. *in diuerſ. iur. canon. rubr.* 6. *c.* 3. *n.* 13. Barboſa *ad Concil. Trident. ſeſſ.* 23. *cap.* 13. *n.* 13. vbi alios citat. Quorum fundamentum eſt, quia Concilium Trident. nullam pœnam imponit non obſeruantibus interſtitia.

2 Hanc tamen communem ſententiam in dubium reuocat Lezana *in Sum. verbo,* Interſtitia. *num.* 3. quia Pius II. in

Bul-

Bulla, quę incipit. *Cum ex ſacrorum*. quæ eſt 7. *eiuſdem* Pontificis *in Bullario*. pœnam ſuſpenſionis ſtatuit contra eos, qui abſq; diſpenſatione canonica ad aliquem ex ſacris ordinibus ſe fecerint promoueri, per diſpēſationem autem canonicam intelligitur diſpenſatio in quocunque impedimēto canonico ad ſacros ordines recipiendos, quorũ vnum eſt, quod nōdum ſit elapſum tempus inter vnum, & alium ordinem recipiendum. Quę cōſtitutio confirmata fuit à Clemente VIII. *in Bulla*, quæ incipit. *Romanus* Pontifex. quæ eſt 40. *eiuſdem* Pontificis *in Bullario*, in qua moderatur pœnas impoſitas à Sixto V. contra malè promotos.

3 Verum *reſoluitur dubium attendendo ad verba eiuſdem conſtitutionis Pij II.* ex quibus manifeſtum fit, quod non diſponat Pontifex contra eos, qui ſuſcipiūt ordines non ſeruatis interſtitijs. Ita enim habet. *Statuimus, & ordinamus, quod omnes, & ſinguli, qui abſque diſpenſatione canonica, aut legitima licentia. ſiue extra tempora à iure ſtatuta, ſiue ante ætatem legitimam, vel abſque dimiſſorijs litteris etiam citramontanis ad aliquem ex ſacris ordinibus ſe fecerint promoueri, à ſuorum ordinum exequutione ipſo iure ſuſpenſi ſint*. Ex quibus fit manifeſtum, quod in tribus tantum caſibus imponit malè promotis pœnam ſuſpenſionis, quorum primus eſt, ſi ordinentur abſque diſpenſatione, & debita licentia extra tempora: ſecundus, ſi ordinentur ante legitimam ætatem. tertius, ſi ordinentur abſq; litteris dimiſſorijs, & proinde pœnam non eſt extendenda extra dictos tres caſus, cum lex de ipſis tantum loquatur, nec vllo pacto loquatur de ijs, qui non ſeruant debita interſtitia, nec de alijs impedimentis canonicis. Quod enim lex non dicit, nec nos debemus aſſerere. *l. Diſſentientis*. C. De *repud.* & Cap. *Illa*. Ne *ſede vacante*.

An, qui ordines ſuſcepit ſabbato ante Dominicam paſſionis, aut ſabbato Sancto, poſſit ordinari anno ſequenti in temporibus quadrageſimæ abſque diſpenſatione interſtitiorum. Quæſt. 355.

SVMMA

1 *Annus interſtitiorum quomodo accipiendus.*
2 *Qui ordinatus eſt ſabbatho Sancto, an poſſit ordinari temporibus Quadrageſima ſequentis, ſine diſpenſatione interſtitiorum completo anno naturali.*
2 *Naturalis ſignificatio verborum debet primò attendi in interpretanda lege.*
3 *Quid, ſit non ſit completus annus naturalis.*
4 *Ordinationes ſabbathi Sancti, & ſabbathi ante paſſionem ſunt pars ordinationis proximè antecedentis.*
4 *Pars continetur in toto.*
5 *Ordinationes ſabbathi Sancti &c. ſunt appendices ordinationis antecedentium temporum.*
5 *Principale trahit ad ſe acceſſorium.*

1 EX declaratione S. Congregationis *in Valentina ſub die 5. Februarij* 1595. Annus, qui à Concilio Tridentino *ſeſſ.23. cap. 11. & ſequentib.* aſſignatur pro interſtitijs inter vnum ordinem, & alium ſuſcipiendum, non eſt neceſſe, quod ſit completus ſecundum præfixũ numerum dierum, ſed ſufficit eccleſiaſticus, hoc eſt computatus de temporibus ad eadem tempora anno ſequenti recurrentia. Ita enim habet. *Congregatio cenſuit, eos, qui ad ſubdiaconatus ordinem quattuor temporibus Quadrageſimæ promoti fuerunt; poſſe anno ſubſequenti eiſdem quattuor temporibus Quadrageſimæ ad Diaconatum promoueri, licèt annus naturalis integer tunc lapſus non fuerit, cũ futuro anno Paſchæ feſtum celerius, quàm ſuperiori celebretur.*

2 Ex his autem videtur deduci, quod qui ordinatus eſt in ſabbato Sancto, non poſſit citius ad ſubſequentes ordines aſcen-

cendere; quam in ſequenti ſabbatho Sancto anni ſequentis, ſi quidem tunc, & non prius, eſt completus annus eccleſiaſticus; aut ad ſummum in Sabbatho ante Dominicam paſſionis, ſi tunc ſit completus annus naturalis ob tarditatem Paſchæ. *Et quidem non eſſe neceſſariò expectandum ſabbathum Sanctum, aut ſabbathum præcedens Dominicam paſſionis, ſi ſit completus annus naturalis exiſtimo omnino certum*; quia Concilium Tridentinum ſolum requirit, quod ab vno ordine ad alium elabatur annus. quando autem annus naturalis eſt completus, eſt iam elapſus annus, & proinde eſt lex adimpleta attendendo naturalem ſignificationem verborum, quæ in interpretatione legum debet primo loco attendi, vt deſumitur ex *l. fin.* C. *De his, qui ven. ætat.* & ex Cap. *Suſceptum*. De *reſcriptis*. *in* 6 vbi Gloſ. *verbo*. Non *morte*, & notant Tiraquel. *in l. Si vnquam. verbo.* Suſceperit. *num.* 17. C. *De reuocan. donat.*

3 Nihilominus probabile exiſtimo, *Quod etiam ſi annus naturalis non ſit completus, qui ordines ſuſcepit in Sabbatho præcedente Dominicam paſſionis, aut ſabbatho Sancto, poſſit anno ſequenti in temporibus quadrageſimæ abſque diſpenſatione interſtitiorum ſuſcipere ſequentes altiores ordines.* Colligitur hoc ex declaratione Summi Pontificis cum voto S. Congregationis apud Marzillam *ad Concil. Trident. tit.* 13. *cap.* 13. vbi facta interrogatione. *An annus, qui interponi debet in promotione de vno ad alium ſacrum ordinem duodecim menſium completus eſſe debeat, vel ſufficiat elapſa eſſe quattuor interſtitia, quæ propter varietatem feſtorum mobilium occurrunt, quouſque* (puto legendum Abſque quod) *duodecimus menſis compleatur?* Sanctiſſimus. D. N. ex ſententia congregationis dixit. *Attendendum eſſe curſum quattuor dictorum interſtitiorum, non autem tempus duodecim menſium completorum.* Si ergo ſufficit, quod ſit expleta, ſeu elapſa quattuor interſtitia, ſequitur, quod, qui ordines ſuſcepit in ſabbatho Sancto, poſſit ordinari in quattuor temporibus Quadrageſimæ, quia tunc elapſa ſunt quattuor interſtitia. nempè à Sabbato Sancto ad Pentecoſtem, à Pentecoſte ad Tempora Septembris, ab his ad tempora Decembris, & ab iſtis ad tempora Quadrageſimæ.

4 Ratio autem eſt, Quia ordinationes, quæ habentur in ſabbathis ante Dominicam paſſionis, & Reſurrectionis, ſunt partes ordinationum, quæ habentur in ſabbatho quattuor temporum Quadrageſimæ. Vnde cum pars contineatur in toto, ſeu totum complectatur ſingulas partes *l.* 1. *§. Si ſtipulanti. ff.* De *verbor. obligat.* & *l. In toto. ff.* De *reg. iur.* & Cap. *In toto.* De *regul. iur. in* 6. Sequitur, quod ordinationes dictorum temporum cenſeantur extendi etiam ad illa duo ſabbatha; & proinde omnes habeantur pro vna integra, & completa ordinatione, & conſtituant vnicum curriculum eccleſiaſticum, ſeu terminum vnicum vnius ex quattuor eccleſiaſticis curriculis, quæ reducunt tempora deſtinata pro ordinationibus.

5 Et ſaltem, ſi quis velit accipere, vt diſtinctas ordinationes, erunt appendices prioris ordinationis, & tanquam acceſſoriæ venient in conſequentiam ad ordinationes prioris hebdomadæ; ſi quidem omnes ſpectant ad vnicum ex quattuor anni temporibus in quibus ordinationes decretæ sũt, & incidunt intra eamdem temporis periodum. Vnde cum principale trahat ad ſe ſuum acceſſorium. *l. Hæres meus. §. fin. ff.* De *legat.* 3. & *§. Litteræ*, Inſtit. *De rer. diuis.* & *l. Si non ſunt. §. Perueniamus. ff.* De *auro, & arg. leg.* Ordinationes prioris ſabbathi Quadrageſimæ trahent ad ſe ordinationes aliorum ſabbatorum tanquam ſuas appendices, & ſibi acceſſorias, & omnes pro vna, & eadem ordinatione computabuntur; atque adeo pro vno, & eodem termino interſtitiorum.

An regulares habentes communicationem priuilegiorum vti poſſint priuilegio conceſſo Ieſuitis à Gregorio XIII. quod poſſint ordinari extra tempora non ſeruatis interſtitijs. Quæſt. 356.

S V M M A.

1 *Priuilegium Ieſuitarum quò ad ordines ſuſcipiendos.*

2 *An communicetur cæteris regularibus, & nu. ſeq.*

4 *Priuilegium cũ probibitione communicationis non communicatur ex vi generalis communicationis.*

5 *Generi per ſpeciem derogatur.*

6 *In generali conceſſione non veniunt, quæ quis in ſpecie non eſſet veriſimiliter conceſſurus.*

7 *Priuilegium cum probibitione communicationis quomodo incommunicabile.*

8 *Priuilegium cum probibitione communicationis quando communicetur.*

9 *Probibitio communicationis priuilegij quid tollat.*

10 *Priuilegia probibita communicari an ſpeciali nota digna.*

11 *Dictio*, Omnibus, & ſingulis, *quid importet.*

11 *Comprebendit, quæ aliàs non comprebenderentur.*

12 *Aequiualet ſpeciali, & expreſſæ mentioni.*

12 *Non recipit reſtrictionem.*

12 *Multum operatur.*

12 *Facit, quod veniant omnia, & ſingula per ſe ſumpta.*

13 *Dictio*, Quomodolibet conceſſis, *quid operetur.*

13 *Comprebendit, quæ aliàs non comprebenderentur.*

14 *Expreſſio omnis modi babet vim ſpecialis expreſſionis.*

15 *Vis clauſulæ*, In omnibus, & per omnia, *& quid operetur.*

16 *Dictio*, pariformiter, *repetit qualitates præcedentes.*

1 Gregorius XIII. *in ſua Conſtitione 77. tom. 2. Bullar.* conceſſit Ieſuitis, quod poſſint extra tempora in tribus diebus feſtiuis ſuſcipere ſacros ordines, etiam præsbiteratus; ita tamen vt prohibeat, cœteros regulares participare hoc priuilegium, etiam ſi communicent cum ipſis in priuilegijs. ita enim habet. *Præſentis autem conſtitutionis, & gratiæ communicationem omnibus alijs, qui ſua priuilegia cũ ipſa Societate copiosè participant, participareq. poterunt quomodolibet in futurum fieri omnino probibemus.* Aliud etiam extat priuilegium, quo Clemens VIII. *ſub die 23. Nouemb. 1596.* idem conceſſit Patribus Cõgregationis. S. Io. Euangeliſtæ in Portugallia. quod teſtatur Portel ſe vidiſſe in compendio priuileg. dictæ. Congregat. Idem etiam Conceſſit Alexand. VI. & Eugenius IV. religioſis D. Hieronimi, & D. Benedicti. Quæ non eſſe reuocata per Concil. Trident. tenent Rodriguez, & Villalobos locis infra citandis.

2 Sed ſtando in priuilegio Gregorij XIII. de quo certè conſtat, Prima ſententia tenet, non poſſe alios regulares vti dicto priuilegio ſtante prohibitione communicationis. Ita Suarez *lib. 8. de legib. cap. 17. num. 8.* Vaſquez *3. par. tom. 3. diſp. 246. cap. 5. num. 50.* Miranda *tom. 1. Manual. Prælat. quæſt. 38. ar. 4.* Peirin. *to. 1. Priuileg. ad Conſtit. 2. Sixti IV. nu. 39.* Portel. *in Dub. Regular. verbo.* Communicatio *priuilegiorum. num. 5.* Palaus *par. 1. oper. moral. tract. 3. diſp. 4. punc. 2. §. 9. num. 3.* Merol. *tom. 3. theol. moral. diſp. 6. de priuileg. c. 4. dub. 3. n. 20.* Lezana *to. 1. Quæſt. Regular. cap. 14. n. 19. & in Summa verbo.* Ordines *ſacri. n. 19.*

3 Altera ſententia tenet, quod poſſint Regulares vti dicto priuilegio, ſi habeant communicationem priuilegiorũ. Ita Io. à Cruce *in Directorio cõſcientiæ par. 2. de ſacram. ordin. dub. 5. concluſ. 2.* Villalob. *par. 1. Sum. tract. 11. difficul. 22. nu 8.* Rodriquez *tom. 2. Quæſt. Regul. q. 13. ar. 6.* Hieronim. Rodriquez *in Compend. q. Regul. Reſol. 106. nu. 7.* Homobonus *par. 1. Examin. eccleſias. tract. 2. cap. 1. quæſt. 3.* Marchinus *De ſacram. ordin. tract. 1. par. 4. cap. 2. num. 4.* Diana *par. 3. tract. 2. de dub. Regul. reſol. 31. & reſolut. 112.* Barbõſa *de Poteſt. Epiſcop. par. 2. allegat. 17. num. 6.* Moneta *de commutat. vlt. voluntat. cap. 10 num.*

num. 188. Quia, inquiunt ipſi, communicatio priuilegiorum facta eſt regularibus à ſubſequentibus Pontificibus.

4 In hac difficultate exiſtimo, *Quod ratione generalis communicationis priuilegiorum non poſſint regulares vti dicto priuilegio, nec alio ſimili concesso cum eadem clauſula, quod ſit incommunicabile, niſi in conceſſione communicationis ſint tales clauſulę, quę ipſam extendant ad priuilegia quoque incommunicabiliter conceſſa*, qualem nullam hucuſque vidi. Et hoc valet, etiam ſi communicatio ſit facta à ſucceſſoribus Pontificibus. Quod efficaciter conuincunt rationes prioris ſententiæ.

5 Eſt enim certum in iure, quod generi per ſpeciem derogatur. non ſolum ſi genus præcedat, ſed etiam ſi præcedat ſpecies ipſa, nam habet vim contra genus ſubſequens, ita vt ipſi deroget, vt inter alios notant Dec. *in l. In toto. num.* 8. *ff.* De *reg. iur.* Panor. *in Cap.* 1. *De reſcript.* Felin. Beroius, & alij *ibid.* Menoch. *lib.* 1. *de arb tr. quæſt.* 97 *num.* 2. Gonzalez *ad Reg.* 8. *Cancellar gloſ.* 1. §. 3. *num.* 66. ergo cum prohibitio cõmunicationis ſit ſpecifica, nempe circa ſpeciale priuilegium, & communicatio priuilegiorum ſit in genere, prohibitio derogabit communicationi generali, & faciet, quod non ſe extendat ad tale priuilegium.

6 Accedit etiam, quod in generali conceſſione nõ veniunt, quæ quis in ſpecie non eſſet veriſimiliter conceſſurus iuxta. Reg. Cap. *In generali.* De *reg. iur. in* 6. Vnde in conceſſione facultatis abſoluendi à peccatis non venit facultas abſoluendi à reſeruatis, vt omnes concedunt. Ergo nec in generali communicatione priuilegiorum veniunt, quæ quis in ſpecie non eſſet veriſimiliter communicaturus. Tale autem eſt priuilegium conceſſum cum prohibitione, ne cõmunicetur, quia ex vi dictę prohibitionis declaratur, quod priuilegium ſit tale, vt indigeat ſpeciali conceſſione, & proinde non cadat ſub generali cõmunicatione. Et cum extrahatur à generali communicatione iam conceſſa per alios Pontifices, extrahitur etiam à generali communicatione facienda, quia conſtituitur inter ſpeciales gratias reſeruatas, quæ indigeant ſpeciali beneuolentia Pontificis, atque adeo etiam ſpeciali conceſſione.

7 Denique cõmunicatio ex natura ſua dicit ordinem ad cõmunicabile, & nullo pacto ſe extendit ad incõmunicabile. Priuilegiũ autem conceſſum cum ſpeciali prohibitione communicationis conſtituitur incõmunicabile ex ſpeciali voluntate Pontificis. ergo generalis cõmunicatio non ſe extendet ad ipſum, quia ſe extendit ſolum ad priuilegia, quæ ſunt in ſtatu cõmunicabilitatis. Vnde, vt huiuſmodi priuilegia incommunicabilia poſſint cõmunicari, eſt neceſſaria ſpecialis voluntas Pontificis ſucceſſoris, quæ deroget ſpeciali voluntati Prædeceſſoris, qua tale priuilegium eſt incommunicabiliter conceſſum. Hæc autem voluntas non interuenit in generali communicatione.

8 Verum *Si communicatio non ſiſtat in puris terminis communicationis, ſed ſit etiã noua conceſſio, ac extenſio. quamuis generalis ſit, extenditur etiam ad priuilegia conceſſa cum prohibitione communicationis*, & ideo qui eam habent, vti poſſunt ſupradicto priuilegio, qualem nos clerici Regulares habemus conceſſam à Gregorio XIV. *ſub die* 5. *Aprilis anno* 1591. & aſſeruatur in Archiuio noſtro S. Syluestri montis Quirinalis. & eſt tenoris ſequentis. *Et præter priuilegia & alia Congregationi, & Clericis Regularibus conceſſa, omnibus, & ſingulis alijs priuilegijs, exemptionibus, facultatibus, indultis, & peccatorũ remiſſionibus, & relaxationibus, cæteriſq; gratijs, tàm in ſpritualibus, quàm in temporalibus, quibuſuis religionibus, congregationibus, & ordinibus, quocunque nomine nuncupentur, etiam Mendicantium, ac tàm virorum, quàm mulierum per quoſcunque Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros, ac nos, dictamque ſedem hactenus quomodolibet conceſſis, & impoſterum concedendis, ac quibus illorum vtriuſque ſexus perſonæ de iure, vel conſuetudine, aut ex priuilegio vel aliàs quomodolibet vtuntur, potiuntur, & gaudent, ac vti, potiri, et gau-*

gaudere poſſunt quomodolibet in futurum, in his, quæ ſuorum regularibus inſtitutis nõ aduerſantur dumtaxat, non ſolum ad eorũ inſtar, ſed æquè principaliter, ac pariformiter in omnibus, ac per omnia perinde, ac ſi eidem Congregationi, & Clericis ſpecialiter, & expreſsè conceſſa forent, uti potiri ac gaudere liberè, & licitè valeant perpetuò concedimus, & indulgemus, illaque eis communicamus, & concedimus, & ad eos extendimus &c.

9 Ratio autem eſt, quia dum priuilegium conceditur ſub prohibitione cõmunicationis, excluditur ſolum cõmunicatio, & ideo per viam communicationis non poteſt participari ab alijs; non autem excluditur conceſſio, præſertim ſi fiat alteri tanquam principali, nam conceſſio de nouo dat; cõmunicatio autẽ non dat de nouo, ſed ſupponit datum alicui; & trahit ſolũ ad participationem alterius. & ideo hac prohibita non remanet prohibita conceſſio eiuſdem, & conſequenter non obſtat dicta prohibitio, quin conceſſionarij participent dicta priuilegia, cum non participent ex vi communicationis, ſed ex vi nouæ conceſſionis ſibi impertitæ.

10 Nec dici poteſt, quod priuilegia prohibita cõmunicari ſint ſpeciali nota digna, & proinde non veniant in generali conceſſione. Quia non ſunt ſpeciali nota digna, niſi ratione prohibitionis cõmunicationis; hoc autem ſolum facit, quod ſint ſpeciali nota digna in ordine ad cõmunicationem, & proinde non cẽſeantur cõmunicari, niſi per ſpecificam mentionem: nõ ſunt autem ſpeciali nota digna in ordine ad conceſſionem, & ideo in ordine ad ipſam nõ indegent expreſſa mentione. Vnde corruit obiectio, quod in generali conceſſione non veniunt, quæ quis non eſſet in ſpecie veriſimiliter conceſſurus; ſiquidem hoc valet ſolum de ijs, quæ in ordine ad conceſſionem ſunt ſpeciali nota digna.

11 Et præſertim quando conceſſio eſt talis, vt ſiſtat intra terminos generalitatis; non autem, quando eſt concepta talibus verbis, vt æquipolleat ſpecificæ, qualis eſt conceſſio facta Clericis regularibus, de qua *n.8.* Adeſt enim in dicta conceſſione dictio *Omnibus, & ſingulis.* Quæ eſt dictio vniuerſalis, ita vt nihil penitus excludat. *l. Iulianus.* & *l. Teſtator.* *ff.* De legat. 3. & *l. Pediculis. §. Labeo. ff.* De *auro, & arg. leg.* & notant Roman. *Conſil.* 44. *in fine.* ver. *Attendenda.* Paris. *Conſil.* 35. *n.* 5. *vol.* 1. Natta *Conſil.* 63. *nu.* 12. *l. b.* 1. Dec. *in l. Omnia. ff.* Si cert. pet. Imo comprehendit etiam ea, quæ aliàs non comprehenderentur, vt notant Bart. *in l. Generali. §. Vxori. ff.* De *vſuf. leg.* Ancharan. *quæſt.* 72. *num.* 32. *par.* 1. Rolan. *Conſil.* 87. *num.* 8. *& ſequen.* Natta *Conſil.* 160. *num.* 29. Grat. *Conſil.* 5. *num.* 59. & *Conſil.* 65. *nu.* 3. *lib.* 2. Anton. Monach. *Decif. Florent.* 69 *n.* 8. *&* 9. Surd. *Decif.* 265. *num.* 8. & *Conſil* 453. *num.* 44. Maſcard. *De probat. concluſ.* 148. *num.* 9. *tom.* 1. Et proinde ex vi dictæ dictionis in prędicta conceſſione includuntur etiam ea priuilegia, quæ aliàs in generali conceſſione non includerentur.

12 Quod amplius ex eo conſtat, nam prædicta dictio habet talem vim, vt idẽ operetur, ac ſi eſſet facta ſpecialis expreſſio de ſingulis, vt notant Gloſ. *in Cap. Vt cura.* De iurepatr. *in* 6. Gabr. *Conſil.* 144. *num.* 68. *lib.* 1. Surd. *Conſil.* 330. *num.* 7. Fuſar. *De ſubſt. t. quæſt.* 296. *num.* 39. Socin *Conſil.* 3. *num.* 17. *vol.* 3. Marta *De clauſul. par.* 1. *clauſ.* 87. *num.* 3. Rota *coram Ludouiſio. Decif.* 315. *num.* 1. & *Decif.* 417. *num.* 1. *&* 2. *par.* 4. *Recent.* quæ eſt pars 2. Poſthum. apud Farinac. Et proinde non recipit aliquam reſtrictionem, præcipuè quando iunguntur dictæ duæ dictiones *Omnia, & ſingula,* vt bene Gloſ. *in Cap. Vt circa.* verbo Omnia. *De el. & el.* *in* 6. Bar. *in l. Generali. §. Vxori. ff.* De *vſufr. leg.* Rolan. *Conſil.* 27. *num.* 22. *vol* 4. Ruin. *Conſil* 61. *num.* 15. *vol.* 5. Giutba *Decif.* 84. *n.* 16 Tales enim dictiones coniunctæ multũ operantur, vt per tex. *l. Baliſta. ff.* Ad *Trebel.* notat Surd *Conſil.* 73. *num.* 64. & addit, quod faciunt, quod veniant omnia, & ſingula de per ſe ſumpta; Quod etiã docet Paris. *Conſil.* 97. *num.* 92. *lib.* 1. Et ideo operantur, quod conceſſio æquipolleat ſpecificæ, in qua ſingula priuilegia in ſpecie concęſſa eſſent.

13 Prætetea. In dicta conceſſione adeſt etiã dictio *Quomodolibet conceſſit*, & proinde extenditur conceſſio ad priuilegia conceſſa cum quocunque modo, & quacunque forma, atque adeo etiã cum prohibitione communicationis. Dictio namq., *Quomodolibet*, importat omnino omnẽ modũ. vt in Clemen. 2. ver. *Ne igitur*. De *ſent. excommunicat.* & Cap. *Indemnitatibus*. ver. *Si qua verò*. De *elect. in* 6. & notant Gloſ. *in dict. Clẽ*. ver. *Quomolibet*. Mandos. *in reg.* 18. *Cancellar. q.* 14. *n.* 5. Cened. *Singul.* 95. *nu* 1. & 4. Menoch. *Remed.* 6. *De recuper. poſſeſ. num.* 15. Pariſ. *De reſignat. lib.* 9. *q.* 25. *num.* 4. Et proinde comprehendit etiam ea, quæ aliàs non comprehenderentur, vt apud Cened. citat. docent Alexan. *Conſil.* 155. *num.* 3. *vol.* 2. Ruin. *Conſil.* 68. *nu.* 10. *vol.* 4. Grat. *Conſil.* 163. *num.* 19. & 20. *vol.* 2. Vnde ipſa quoque confert, vt conceſſio ęquipolleat conceſſioni ſpecificæ, & faciat, quod ſint conceſſa etiam priuilegia, quæ aliàs in generali conceſſione non venirent.

14 Et in prædicta conceſſione eſt digna ſpeciali conſideratione clauſula, *Ac quibus illorum vtriuſque ſexus perſonę de iure, vel conſuetudine, aut ex priuilegio, vel aliàs quomodolibet vtuntur, potiuntur, & gaudent*. In qua, cum non ſolum genera omnia poſſeſſionis priuilegiorum, gratiarum &c. & aſſequutionis eorumdem exprimantur, ſed etiam omnis modus, quo obtinent dicta priuilegia, habet vim ſpecialis expreſſionis complectentis omnia priuilegia, quæcunque illa ſint, etiam ſi ſint de reſeruatis.

15 Denique attendenda eſt etiam clauſula, *In omnibus, & per omnia*, quæ habet vim ſpecialis, & expreſſæ ſpecificationis, vt docent Bald. *Conſil* 100. ver. *Secunda ratio. lib.* 1. Curt. iun. *Conſil.* 74. *n.* 3. Riminal. iun. *Conſil.* 513. *num.* 43. *vol.* 5. Marta *par.* 3. *clauſ.* 62. *num.* 4. Tuſch. *Littera C. concluſ.* 534. *num.* 1. Et proinde in caſu noſtro operatur, quod omnia, & ſingula priuilegia, quæcunque illa ſint, habeantur pro expreſſis, & in ſpecie conceſſa. Vnde cum ex tot capitibus dicta cõceſſio habeat vim ſpecialis, & expreſſæ conceſſionis, quò ad omnia, & ſingula priuilegia, ceſſat proſus obiectio, quod priuilegia prohibita communicari non veniant in tali conceſſione, ſi quidem non eſt generalis, ſed ſpecifica conceſſio ipſorum.

16 Quod autem ſpectat ad alios Regulares, eſt aduertendum, quod quãuis habeant cõmunicationẽ priuilegiorum, non tamen vti poſſunt priuilegijs prohibitis communicari, in virtute dictæ conceſſionis factæ Clericis Regularibus. nã talis conceſſio trahit dicta priuilegia cũ ſuis modis, & conditionibus, & proinde etiam cum prohibitione communicationis, ſtante clauſula dictæ conceſſionis, *Non ſolum ad eorum inſtar, ſed ęquè principaliter, ac pariformiter in omnibus, ac per omnia*; ſi enim ſunt pariformiter cõceſſa, debent eſſe conceſſa cum eadem reſtrictione, & prohibitione cõmunicationis; Dictio namque, *Pariformiter*, eſt repetitiua qualitatum præcedentium, vt notãt Alciat. *Conſil.* 131. *num.* 6. *lib.* 9. Fuſar. *Conſil.* 4. *num.* 3. Rota *Deciſ.* 194. *num.* 22. *par.* 5. *Recent.*

An prælatus Regularis poſſit litteras dimiſſorias pro ſuſcipiendis ordinibus ſubdito regulari denegare, quando is capitulariter admiſſus eſt ad recipiendum ordinem. Quæſt. 357.

S V M M A.

1 *Prælati regulares concedunt dimiſſorias ſuis ſubditis pro ordinibus.*
2 *Prælati regulares habent iuriſdictionem quaſi epiſcopalem.*
2 *Nullus regularis ordinari poteſt ſine licentia ſui prælati.*
3 *Prælatus regularis an poſſit denegare dimiſſorias ſubdito, quem Capitulum iudicauit ordinandum.*
3 *Prælatus regularis quam facultatem habeat circa ordinationes ſubditorum.*
3 *Relictum iudicio alicuius, intelligitur de arbitrio boni viri.*
3 *Iudicium ſignificat diſcretionem.*
4 *Quid ſit relinqui alicuius conſcientiæ.*

Se-

5 *Sequi iudicium boni viri quid ſit.*
5 *Conſcientia quid ſit.*
6 *Promouendus ex communi iudicio Capituli, non poteſt prohiberi, niſi ex noua cauſa.*
6 *Non licet mutare voluntatem in præiudicium tertij.*
6 *Quod ſemel placuit amplius diſplicere non poteſt.*
7 *Superior regularis tenetur ſtare maiori parti capituli.*
7 *Quod maior pars facit, ab omnibus cenſetur factum.*

---

1 SPectare ad Prælatos regulares dare dimiſſorias ſuis ſubditis pro ordinibus ſuſcipiēdis deſumitur ex Cap. *Ad aures.* De *temporib. ordinat.* vbi decernitur, quod nullus Regularis ordinetur ſine licentia ſui prælati, & Concil. Trid. *ſeſſ.23.cap.* 10. *de Reformat.* vbi ſolum prohibet Abbatibus exemptis dare dimiſſorias ſuis ſubditis non religioſis, & habetur ex pluribus declarationibus S. Congregationis ad dictum *Cap. Concil. Trident.* apud Gallemart. & apud Collectionem *ex Bibliotheca Bellarmini.* Vnde etiam in decreto. S. Congregationis edito iuſſu Clementis VIII. *ſub die V. Maij.* 1596. relato a Naldo *in Sum. verbo.* Ordo *num.*26. Molfeſ. *par.*1.*Sum. tract.*2 *cap.*2.*num.*23. Piaſec. *in Praxi par.*1.*cap.* 1. *num.*14. Tambur. *De iure Abbat. tom.* 2. *diſp.*2.*quaeſt.*25. *num.*3. habetur; Quod ſuperiores Regulares poſſint concedere dimiſſorias ſuis ſubditis ad Epiſcopum Diœceſanum, vel ſi ipſe ordinationes nō habuerit ad quemcunq. alium. Et ita obſeruat praxis, & notant Nauar. *Conſil.* 22. & 23. De *tempor. ordinat. lib.*2. Syluester *verbo* Ordo 3. *q.*9. Armilla *verbo* Ordo *num.*15. Sanchez *lib.*7. *Conſil. moral. c.* 1. *dub.*20.*num.*4. Tamburin. *tom.*2. De *iure Abbat. diſp.*2. *quaeſt.*25.*nu.*1 & communiter.

2 Hoc autem ſtante dubitatur, an apud illas religiones, apud quas ſubditi non promouētur ad ordines ex arbitrio ſolius ſuperioris, ſed etiā ex arbitrio totius Capituli conuentus, poſſit ſuperior denegare ſubdito dimiſſorias, quando Capitulum collegialiter decreuit, quod promoueatur ad aliquem ordinem. Et videtur affirmatiuè reſponder. Quia ſuperior regularis habet iuriſdictionem quaſi epiſcopalem ſupra proprios ſubditos, & in ordine ad ipſos habet omnes illas facultates, quas habet Epiſcopus in ordine ad proprios, vt iuxta declarationem Pij V. *in ſua conſtit.* 132. *in Bullar. veteri.* dictum eſt ſupra *Quaeſt.* 353.*num.*4. Epiſcopi autem habent talem facultatem iuxta decretum Concilij Tridentini. *ſeſſ.* 23. *cap.* 16. *De reformat.* vbi ſtatuitur, quod, Nullus debet ordinari, qui iudicio ſui Epiſcopi non ſit vtilis, aut neceſſarius ſuis Eccleſijs. & in dicto Cap. *Ad aures.* De *tempor. ordinat.* ſtatuitur, quod nullus Regularis poſſit ordinari ſine licentia ſui Prælati. vnde cum reſeruetur Prælato concedere talem licentiā, conſequenter remanet in poteſtate ipſius exequutio determinationis capitularis. & proinde poterit concedere, & non concedere litteras dimiſſorias.

3 Tenendum tamen eſt, *Quod Prælatus Regularis non poſſit denegare ſubdito litteras dimiſſorias pro ordinibus quando capitulariter concluſum eſt, quod promoueatur ad aliquem ordinem.* Ratio autem eſt, quia licet requiratur pro ſuſcipiendis ordinibus conſenſus ſuperioris; hic tamen conſenſus non eſt conſenſus pleni arbitrij, quaſi relinquatur voluntati ipſius arbitrari, vt voluerit, ſed eſt conſēſus arbitrij boni viri. Quod conſtat ex allatis verbis Concil. Trident. *num. præcedenti*, dum ſtatuit, quod, Nullus debet ordinari, qui iudicio ſui Epiſcopi non ſit vtilis, aut neceſſarius ſuis Eccleſijs; Quādo enim aliquid relinquitur iudicio alterius, relinquitur arbitrio ipſius tanquā boni viri, vnde prius debet ſecum expēdere, quid expediat, & iuſtum ſit, & deinde arbitrari. Ita Bart. *in Extrauag. Ad reprimendum.* ver. *Videbitur. num.*4. Imola *in Repet. Habens expeditam. nu.*34. quam ponit poſt Clemen. *Sæpè.* De *verbor. ſignificat.* Iaſ. *in l. Si ſic legatum. num.* 7. *ff.* De *legat.* 1. vbi alios refert. Aret. *§. In bonæ fidei.* ver. *Quarto.* ver. *Iudicium.* Inſtit. *De action.* Alexan. *Conſil.* 33.*nu.*2.*lib.*1. Natta *in Clemen. Sæpè. §. Non ſic tamen.* De

verbor. ſignificat. Felin. *in Cap.1.num.51* De *Conſtit.* Orian. *tract.De arbitr. n.26.* Paris. *Conſil.30. num.31.lib.1.* Andreas ab Exea *in Cap. 1. num.393.* De *conſtit.* quos ſequitur Menoch. *lib.1.de arbitr. quæſt.8. num. 14.* Quando enim aliquid cõmittitur iudicio alterius, intelligitur de iudicio diſcreto; iudicium namque ſignificat diſcretionem *l.Cum Prætor.§ fin.ff.De iudic.* vbi Gloſ. *verbo.Iudicio.* & § *Preterea.* Inſtit. *Quib.non eſt permiſ.facere teſt.* & idem etiam ſecundum communem loquendi modum ſignificat.

4 Quod à fortiori deſumitur ex cit. Cap. *Ad aures.* De *temporib.ordinat,* vbi ſtatuitur quidem, quod nullus debeat ordinari ſine licentia ſui ſuperioris, ſed adduntur verba *Salua conſcientia;* Quando autem aliquid relinquitur conſcientiæ, intelligitur relictum arbitrio non abſoluto, ſed boni viri, vt tradunt Gloſ. *in Clemen.1.* verbo. *Oneramus.* De iurepatron, Iaſ. *in l. Si quis arbitratu. num. 23.* De *verbor. oblıgat.* & *in l.Si ſic legatum.nu.12 ff.* De *legat.1.* Natta. *in Clemen. Sæpe. §. Non ſic tamen.* De *verbor. ſignificat.* Bald. *in l. fin.circa fi.C.* De *iure dom imp tr.* Alexan. *Conſil.118.nu.2. lib.5.* Bolognet. *Conſil.59.* Barbat. *Conſil.36.lib.2.* Curt. Sen. *in l. Admonendi.num. 382.ff. De iureiur.* Calcan. *Conſil.38. num.7.* Felin. *in Cap.1. col 16.* De *conſtit.* Andreas ab Exea. *ibi.d. n.402.* Aret. *§.In bonæ fidei.num.8.* Inſtit. *De act.* quos cum alijs ſequitur Menoch. *lib.1.De arbitr. quæſt.8. n.40.* Et habetur Ex Cap. *Non ſolum* De *regul.iur.in 6.* ibi. *Vt conſcientiæ puritati non deſit iudicium rationis.*

5 Cum ergo ſuperior regularis teneatur ſequi iudicium boni viri in concedẽdis dimiſſorijs pro ordinibus, oportet, vt ſequatur arbitrium regulatum ſecundũ regulas rectæ rationis. *l. Vir bonus. ff.* De *iudic.sol.* & notant Bart. *in Extrauag. Ad reprimendum.verbo.* Videbitur. *nu. 2.* Iaſ. *§.In bonæ fidei.num.14.* Inſtit. *De action.* Imola *in Repet. Habens expeditam.nu.34.* quam ponit poſt Clem. *Sæpè. De verbor. ſignificat.* Præſertim, quia arbitrium boni viri regulandum eſt ſecundum conſcientiam, quæ, vt docent cõmuniter cũ D. Th. *1. par. quæſt.79.ar.13. in corpore.* eſt applicatio ſcientiæ in ordine ad operandum, illius nimirum ſcientiæ, quæ conſiſtit in ſynderesi, quæ eſt habitus primorum principiorum, qui reſpicit operabilia. Et proinde qui tenetur operari ſecundum conſcientiam, tenetur operari ſecundum dictamen rectæ rationis.

6 Cum igitur Prælatus Regularis ſimul cum cæteris de capitulo examinauerit qualitates, & conditiones illius, qui promouendus eſt ad ordines, & communi ſuffragio ſtatutum ſit, quod promoueatur, iam functus eſt munere ſuo; & à collegio lata eſt ſententia, quod talis ſubditus ſit promouendus, quæ nedum ab ipſo Prælato, ſed nec etiam à Capitulo, niſi ex noua ſuperueniente cauſa, amplius retractari non poteſt. *l. Iudex poſtea quam. ff.* De *re iud.* Quod enim ſemel placuit, amplius diſplicere non poteſt *l. Sicut.* C. De *action.* & Cap. *Quod ſemel.* De *reg. iur. in 6.* Præſertim cum non liceat mutare voluntatem in præiudicium tertij. *l. Quæſitum. ff.* De *ſeru. expor.*

7 Nec obſtat. Quod Prælatus regularis non conſentiat cum maiori parte Capituli, quia cum iuxta Conſtitutiones & ſtatuta ſuæ religionis habeat in hoc ſuum arbitrium, & beneplacitum alligatum beneplacito Capituli, ita vt non poſſit ex ſe ſolo aliquid decernere, tenetur ſtare determinationi Capitulari tanquam propriæ determinationi. quia quod maior pars facit, ab omnibus cenſetur factum. *l. Quod maior. ff.* Ad *munic.* vbi Gloſ. & Doctores.

An, qui abſque præſumptione, & dolo ordinatur ante legitimam ætatem, aut ſine dimiſſorijs, cum ignorantia tamen culpabili, incurrat ſuſpenſionem poſitam à Pio II. Quæſt. 358.

S V M M A

1 *Pœna contra eos, qui ordinantur ante legitimam ætatem, & extra tempora.*

An

2 *An vt incurratur, ſufficiat ignorantia culpabilis.*
3 *Pro incurrenda cenſura an requiritur ſcientia illius.*
4 *Cenſuræ vt pœnæ medicinales non ſortiuntur effectum, quandiu ignorantur.*
4 *Ceßante fine ceſſat effectus.*
4 *Præſumere quid ſit.*
5 *In ferendis cenſuris Pontifices cur aliquando expreſſè non requirant præſumptionem.*
5 *Quod virtualiter ineſt, habetur pro expreßo.*

---

1 PIus II. *in ſua Conſtitutione*, quæ incipit. *Cum ex ſacrorum, edita anno* 1561. quę eſt 7. huius Pontificis. *tom.* 1. *Bullarij*. imponit pœnam ſuſpenſionis ijs, qui ante legitimam ætatem, aut extra tempora, aut abſque litteris dimiſſorijs ſe ſecerint ſe promoueri ad aliquem ex ſacris ordinibus. Quo ſtante dubitatur, an requiratur dolus, & pręſumptio pro incurrenda huiuſmodi ſuſpenſione, an verò ſufficiat ignorantia culpabilis.

2 Pater Lezana *tom.* 1. *Quæſt. Regul. Cap.* 14. *nu.* 4. aſſerit, pro incurrenda huiuſmodi ſuſpenſione non requiri dolum, & præſumptionem ſed ſufficere ignorãtiam culpabilem. Quia Pontifex in dicta Bulla non vtitur verbo *Præſumere*, ſed ſimpliciter dicit. *Ad aliquem ex ſacris ordinibus ſe ſecerint promoueri*, ſicut vtitur, quando ponit pœnam irregularitatis his ipſis, qui cum tali ſuſpenſione miniſtrauerint in ordine ſuſcepto; ait enim. *Et ſi huiuſmodi ſuſpenſione durante in eiſdem ordinibus miniſtrare præſumpſerint, eo ipſo irregularitatem incurrant.*

3 Sed quamuis hæc ſententia probabilis ſit, probabilius tamen exiſtimo, *Quod non ſufficiat ad incurrendam dictam ſuſpenſionem ignorantia culpabilis, ſed requiratur præſumptio*; ita vt eadem ſit ratio de tali ſuſpenſione, ac de excommunicatione, & proinde totum, quod requiritur ad incurrendam excommunicationem, requiratur etiam ad incurrẽdam dictam ſuſpenſionem, Hoc deſumitur ex illorum doctrina, qui vniuerſaliter docent de omnibus cẽſuris, quod ſit neceſſaria ſcientia non ſolum legis prohibentis, ſed etiam pœnæ impoſitæ tranſgreſſoribus; & quod eadem ratio ſit de omnibus cenſuris, ac de excommunicatione. Ita Nauar. *Cap.* 23. *Manual. nu.* 45. & *Cap.* 27. *nu.* 274. ver. *Tertiodecimo*. Philiar. *tom.* 1. *De offic. Sacerdot. par.* 1. *lib.* 3. *cap.* 4. §. *Tertiò obÿcitur*. Rodriquez. *p.* 1. *Sum. cap.* 155. *num.* 3. *in* 2. *editione*. Sylueſter. *verbo*. Ignorantia. *quæſt.* 8. Angelus *verbo*. Ignorantia. *num.* 4. vbi quærens an ignorantia excuſet à pœnis legis, remittit ſe ad *Verbum*. Excommunicatio 7. *caſu vlt. num.* 3. vbi docet, ignorantiam excuſare ab excommunicatione. Innocẽt. *in Cap. A nobis.* 1. ver. *Adde, quod dicimus. De ſentent. excommunicat.* Suarez 3. *part. tom.* 5. *diſp.* 4. *ſect.* 9. *nu.* 19. *&* 20. & probabilius putat Sanchez quò ad cenſuras *lib.* 9. *de matrim. diſp.* 32. *num.* 21. *in fine*. Et in terminis huius ſuſpenſionis docẽt. Nauar. *Conſil.* 3. *De ætate, & qualit. ordinan.* & *Conſil.* 2. *De filijs pręsbyterorum*. & 2. *part. Conſil. in addit. lib.* 1. *Conſil* 50. *de temporib. ordinat.* Henriquez *lib.* 13. *Sum. cap.* 38. *num.* 1. *in fine*, & *in ſchol. Littera. E.* Diaz *in pract. cap.* 26. *littera* C. ver. *Primò quod eius*. Auila *De cenſur. part.* 3. *diſp.* 5. *dub.* 7. ver. *Pro intelligentia*.

4 Ratio autem eſt, quia cenſuræ ſunt pœnę medicinales. quæ, ſi ſupponunt, delictum, ordinantur ad ſanãdum; ſi verò non ſupponunt, ordinantur ad præſeruandum. ergo cum non poſſint ſortiri hunc effectum, quandiu ignorantur, quia medicina ſiue purgatiua, ſiue præſeruatiua non poteſt ſortiri ſuum effectum, niſi ſumatur, vt applicetur, ita nec pœna medicinalis poteſt habere effectũ, niſi applicetur indigenti, & nõ poteſt applicari, quandiu ab ipſo ignoratur, cum applicatio fiat per cognitionem. Pœna autem medicinalis non habet locum, quando non poteſt ſortiri ſuum effectũ; quia tunc ceſſat finis, ob quem eſt impoſita. Ceſſante autem fine ceſſat effectus, ſeu ea, quæ ordinantur ad finem. Cap. *Magnę. in fine*. De *voto*. & Cap. *Cũ ceſſante*. De *appellat.* & *l. Adigere.* §. *Quãuis. ff.* De *iurepatronat.* Si autẽ adſit ſcientia pœnæ, & nihilominus quis reijciat pœnam medicinalem, proculdubio adeſt præſumptio, quia facit contra legem

contempta pœna, ſeu medicina præſeruatiua, & interuenit auſus temerarius, quia ſine auctoritate ſuperioris, aut ratione violat legem contempta pœna, quod eſt propriè præſumere, vt in Cap. 2. *De iudic.* vbi Abbas *nu.*6. Felin. *in Rubr.* De *præſumpt.* Rebuſ. *tract. nominat quæſt.* 5. *n.* 29.

5 Neque obſtat, quod in contrarium adductum eſt, quia licet Pontifex non vtatur verbo, *Præſumere*, ſubintelligitur, tamen, ſi quidem ex natura rei interuenit præſumptio, quando pœna locum habet, quia vt locum habeat, requiritur cognitio ipſius, vt cõſtat ex dictis; & ideo Pontifices aliquando exprimunt præſũptionem, aliquando verò nõ exprimũt, tanquam virtualiter inhærentem. Quod enim virtualiter ineſt, habetur pro expreſſo. vt notant Monach. *Deciſ. Lucenſ.* 30. *num.* 10. Seſſe *Deciſ. Aragon.* 202. *n.* 31. Grarian. *Diſcept. forenſ. cap.* 916. *n.* 38. & *cap.* 957. *num.* 25.

An beneplacitum expiret morte concedentis. Quæſt. 359.

S V M M A.

1 *Beneplacitum expirat morte concedentis.*
2 *Sed non quò ad ea, quæ non dependent in conſeruari à voluntate concedentis.*
3 *Ceſſante cauſa non ceſſat effectus, quando eſt perfectus.*
3 *Morte finitur voluntas.*
3 *Aliud voluntatem ceſſare, aliud reuocari.*
3 *Voluntas non reuocatur per mortem.*
4 *Beneplacitum in ijs, quæ non dependent in conſeruari, cui æquiualeat.*
4 *Clauſulæ regulantur ſecundum naturam actus, cui adijciuntur.*
5 *Beneplacitũ circa ea, quæ ſunt iuriſdictionis, non extinguitur morte concedentis &c.*
6 *Quænam ſiant publica auctoritate, & quænam à priuata auctoritate proueniant.*
7 *Facultas audiendi confeſſiones cur non expiret morte concedentis.*
8 *Locatio ad beneplacitum expirat morte locantis.*
9 *Si Hæres obligetur reſtituere, cum volet, quando incipiat fideicommiſſum.*
10 *Argumentum à mandato ad beneplacitum non valet.*
10 *Mandatum regulatur ſecundum intereſſe mandantis.*
11 *Contractus cum clauſula, Cum voluerit, eſt inutilis &c.*

1 Beneplacitum expirare morte, cõcedentis, videtur communis regula, deſumpta ex. *l. Locatio.* 4. *ff. Locati.* & ex *l. Vxorem.* 41. *§. Scæuola ff. De legat.* 3. & *l. Mandatum.* 15. *C. Mandati*; & ex *l. Centeſimis § fin. ff.* De *verbor. obligat.* & ex Cap. *Si gratioſè De reſcriptis in* 6. Vbi Doctores Ancharan. *nu.* 6. Francus. *num.* 9. Geminian. *num.* 3. Felin. *in Cap. Ex litteris, num.* 10. De *eo ſ.t.* Gonzalez *Ad reg.* 8. *Cancellar. in Pro: m. §.* 1. *n.* 9. Couaruu. *lib.* 3. *Variar. Cap.* 15. *num.* 2. Rota *in Bononienſi Parochialis die* 18. *Martij* 1613. *coram Veroſpio*, quæ eſt *Deciſ.* 489. *num.* 4. *apud Farinac. par.* ... & communiter cum Gloſ. *in dict. Cap. Si gratioſè.* Verbo. *Expirat.* & *in Cap. A nobis*, verbo. *Non niſi*. *De ſentent. excommunicat.*

2 Verũ hæc regula vniuerſaliter accepta non poteſt verificari; & ideo diſtinguendum eſt de beneplacito quò ad ea, quæ pendẽt in conſeruari à volũtate cõcedentis; & quò ad ea, quę ſemel conceſſa, non dependent amplius à voluntate concedentis quò ad conſeruationem. Rurſus, quæ dependent in conſeruali, vel ſunt effectus voluntatis particularis ipſius concedentis, vel ſunt effectus iuriſdictionis, & poteſtatis publicæ, ſeu voluntatis concedentis vt informatæ publica poteſtate, & iuriſdictione. *Beneplacitum ergo quò ad ea, quæ non dependent in conſeruari à voluntate concedentis, non extinguitur morte ipſius.* Ratio autem eſt. Quia, quæ non pendent in conſeruari à voluntate concedentis, non exigunt continuũ influxum conſeruatiuum beneplaciti, ſed de ſe ſubſiſtunt, quia, quando effectus perfectus eſt, & non dependet in cõſeruari à cauſa, ea ceſſante non ceſſat effectus. *l. fin. init. ff.* Vnde *liberi.* & *l. Sancimus. C.* De *adminiſtr. tut.* & notant Tiraquel. *tract. Ceſſante cauſa. limit.* 12. *n.* 2. Gam. *Deciſ. Luſit.* 27. *nu.* 4. Valaſc. *Conſil.* 57. *num.* 1. Surd. *Conſil.* 230, *num.* 24.

Moli-

Molinus *D: ritu nupt lib.3. qu.25. nu.34.* Giurba *ad Conſuet. Meſſanens. c.7. gloſ.2. num.6. p.1.*

3 Quāuis autem morte finiatur voluntas *l. Cum hic ſtatus. §. fin. ff.* De *donat. inter vir. & vxor.* attamen, ita ſolum finitur, vt non poſſit amplius aliquid de nouo velle; non autem ita finitur, vt reuocetur. Aliud eſt enim, voluntatem ceſſare, aliud reuocari, vt notant Dec. *in l. 3. ff.* De *reg. iur.* Bart. *in l. More maiorum. circa. fin. ff.* De *iuriſdict.* Vt enim ceſſet voluntas, ſufficit, ſi deſinat eſſe, quod in morte contingit. vt autem reuocetur, requiritur contraria voluntas: & ideo per mortem non reuocatur volūtas, vt notant Dec. *cit.* Alexan. *in l. Centeſimis. §. fin.* De *verbor. obligat.* Innocēt. *in Cap. Licet.* De *offic. deleg.* Angel. *in l. Et quia. ff.* De *iuriſdict.* Si igitur non reuocatur, manet firmum beneplacitum quò ad ea, quæ non pendent in conſeruari à voluntate, quia non indigent continuatione voluntatis tanquam cauſa conſeruante, ſed ſufficit, quod non interueniat contraria voluntas ea reuocans.

4 Et proinde quando clauſula, *Ad beneplacitum*, additur conceſſioni in ijs, quæ non dependent in conſeruari à concedente, reſoluitur in clauſulam, *Donec reuocata fuerit conceſſio*, vt notant Gloſ. *in Cap. Si delegatus.* verbo. *Morte.* De *offic. delegati in 6.* Bald. *in Cap. Si gratioſè.* De *reſcript. in 6.* Anton. Gabr. *tom. 3. com. opin. lib. 6. tit. De præben. concluſ. 1. nu. 33.* Palaus *par. 1. oper. moral. tract. 3. diſp. 4. punc 16. §. 5. num. 5.* vt dixi in *Deciſ. moralib. Deciſ. 499. num. 8.* Et ratio eſt, quia clauſulæ regulantur ſecundum naturam diſpoſitionis, & actus, cui adijciuntur, vt notant Caſſodor. *Deciſ. 10. nu. 4. ad Reg. Cancellar.* Caputaquen. *Deciſ. 121 par. 1.* Rota *Deciſ. 23. num. 24. par. 5. Recent.* Vnde cum actus, de quo loquimur, non indigeat conſeruari à beneplaciti continuatione, dum ſtat ſub dicta clauſula, ſignificatur ſolum, quod poſſit per beneplacitum reuocari.

5 Si verò conceſſio ad beneplacitum ſit de illorum genere; quæ indigent continua conſeruatione. tunc inſpiciendum eſt, an conceſſio ſit actus hominis, an verò actus iuriſdictionis, & publicę poteſtatis; ſeu an beneplacitum ſit beneplacitū, volūtatis priuatę vtētis iuriſdictione; an verò ſit actus volūtatis, vt informatæ iuriſdictione, ita vt ſit actus proprius, & immediatus ipſius poteſtatis. *Si enim ſit actus proprius iuriſdictionis, non extinguitur morte concedentis*, quia cum iuriſdictio, & poteſtas ſit perpetua, nec extinguatur morte illius, in quo reperitur, nec etiam extinguitur beneplacitum circa ea, quæ sūt actus talis poteſtatis Cap. *Si gratioſè.* De *reſcript. in 6.* quia tunc tàm conceſſio, quàm beneplacitum non ſunt actus priuati, ſed publici, & publicæ auctoritati nituntur, quæ nunquam interit. Vnde omnia, quæ publica auctoritate fiunt, quamuis cum clauſula ad beneplacitum, non finiuntur morte concedentis, cum neque finiatur beneplacitum.

6 Sed difficultas eſt in cognoſcendo, quænā publica auctoritate fiant, & quænam ab homine, ſeu tamquam à priuata perſona, cum & hæc quoque nō poſſint à Principe fieri, niſi in virtute ſuæ poteſtatis, & iuriſdictionis. Pro cuius ſolutione reſpondeo, quod ea fiunt publica auctoritate, quæ proueniunt à voluntate reſpiciēte bonum publicum; ea verò fiūt à priuata perſona, ſeu ab homine, quæ proueniunt à volūtate reſpiciente finem priuatum, & commodum priuatorum, qualis eſt conceſſio retinendi beneficia, quæ de iure, retineri non poſſunt, de quo in Cap. Si *gratioſè.* De *reſcriptis. in 6.* hæc enim voluntas reſpicit priuatū cōmodum. Et ratio eſt, quia poteſtas, & iuriſdictio eſt quid publicum, & proinde habet pro obiecto, & fine publicum cōmodum; & ideo quotieſcunque Princeps operatur aliquid intuitu publici commodi, operatur in virtute publicę poteſtatis, ita vt actus ipſius ſit actus voluntatis, vt publica poteſtate informata. Quando verò actus reſpicit priuatum commodū, & finem priuatum, tunc eſt actus hominis, & priuatæ perſonæ, quia finis priuatus non poteſt tanquam improportiona-

tus

tus mouere publicam auctoritatem, & ideo in hoc caſu, non operatur publica poteſtas, ſed tantum priuata volūtas innixa publicæ auctoritati, & actus eſt actus hominis ſequens voluntatem ipſius. In priori autem caſu actus per ſe primò eſt actus publicæ poteſtatis, quæ non ſolum aſſiſtit voluntati operanti, ſed ipſa per ſe primò operatur, & trahit ſecum voluntatem.

7 Ex quibus colligitur ſpecialis alia ratio, ob quā facultas audiendi confeſſiones conceſſa ad beneplacitum non expiret morte concedentis, vt pluribus oſtendi. *in Deciſ. moralib. Deciſ.* 499. *n.* 4. *& ſequentib.* etiā quò ad ſæculares. Quia nimirū talis conceſſio facta ſæcularibus, aut approbatio, quò ad Regulares eſt actus poteſtatis publicæ, & iuriſdictionis, non autem actus hominis, & priuatæ voluntatis. Hæc namque conceſſio, & approbatio eſt prouiſio publica ordinata ad publicam vtilitatem animarū, & commodum Eccleſię; vnde cū finis ſit publicus, actus quoque prouenit ab auctoritate, & publica poteſtate, & ideo de ſui natura perpetuus eſt, ſicut eſt perpetua publica poteſtas. dicto Cap. *Si gratioſè* De *reſcript. in* 6.

8 Neque prædictis obſtant tex. allati ſupra *num.* 1 nam *in l. Locatio* 4. *ff. Locati.* eſt ſermo de beneplacito in ordine ad locationem, quæ cum habeat tractū ſucceſſiuum, facta ad beneplacitum, dependet in conſeruari à voluntate locantis, qua per mortem ſublata, ceſſat etiam locatio. Deinde, quia cum per mortem locatoris res locata tranſeat in alterius dominium, atque adeo locatio fiat dependens ab alterius voluntate, ceſſat, niſi ab hac eadem voluntate manuteneatur.

9 Textus vero. *l. Vxorem. ff* De *leg.* 3. non probat, quia ibi ſtatuitur, quod ſi hæres rogatus ſit reſtituare hæreditatem, cum volet, fideicōmiſſū cenſetur datum poſt mortē ipſius. Ex quo non colligitur, quod beneplacitum expiret per mortē, ſed quod tunc incipere debeat voluntas ipſius reſtituendi hæreditatem. quia ideo cenſetur relictū voluntati ipſius reſtituere hæreditatem, quando libuerit, vt interim ea fruatur; vnde cum deſinat per mortem poſſe frui, ſubintrat reſtitutio facienda ex voluntate teſtatoris, quia iam eſt tranſactum tempus, in quo hæres poterat eam retinere ex tacita conditione fruitionis.

10 Lex vero *Mandatum*. C. *Mandati.* non procedit de beneplacito, ſed de mādato. Neque valet argumentum à mandato ad beneplacitum, quia eſt diuerſa ratio. Siquidem conceſſio, & beneplacitum reſpicit diuerſam perſonam à cōcedente, de cuius intereſſe agitur. Mandatum autem reſpicit ſolū intereſſe mādantis, ad cuius menſuram regulatur. *l. Si procuratorem.* §. *Mandati*, & toto *tit. ff. Mandati.* & ideo nihil mirum, ſi mortuo mandante debeat ceſſare mandatum.

11 Similiter neque tex. *l. Centeſimus.* §. *Si ita*, probat intentum. Quia ibi ſolum habetur, quod, ſi quis ſtipuletur cū clauſula, *cum volueris*. Stipulatio eſt inutilis, ſi ſuperueniat mors, antequam ponatur dicta voluntas. Vnde hinc non elicitur, quod beneplacitū finiatur morte, quia ſolum habetur, quod contractus fiat inutilis ex defectu voluntatis durante vita, quæ eſt neceſſaria ad ipſius ſubſiſtentiam. Quomodo enim poteſt colligi beneplacitum morte extingui, cum tex. loquatur de illa voluntate, quæ nūquā eſt poſita, & per mortem fit impoſſibilis? Tex. autē Cap. *Si gratioſè.* De *reſcript. in* 6 procedit de beneplacito quod eſt actus priuatæ voluntatis, & reſpicit ea, quæ in conſeruari ab ipſo dependent, vt dictum eſt *num.* 6.

An damnatus ad carcerem ad beneplacitum cenſendus ſit damnatus ad carcerem perpetuum. Quæſt. 360.

S V M M A.

1 *Carcer ad beneplacitum eſt perpetuus.*
2 *Quale ſit beneplacitum, quando pœna eſt ad beneplacitum.*

Sen-

2 *Sententia eſt actus publicus, & nititur fidei publicæ.*
3 *Carcer eſt maior, pœna, quæ de iure canonico poſſit infligi.*
3 *Dicitur pœna capitalis.*
3 *Melius mori, quàm perpetuo carceri damnari.*
3 *Damnati perpetuo carceri æquiparantur damnatis ad metalla.*
3 *Carcer perpetuus de iure canonico quando imponendus.*

---

1 AFfirmatiuè reſpondendum eſt, vt loquentes de qualibet pœna in generali reſoluunt Foller. *in Pract. crimin. canon. Cap.* 33. *num.* 78. Gomez *in varijs reſolut: Tit. De exil. & releg num.* 5. Cabal. *Reſol. crimin.* 143. *num.* 7. *& ſequen.* Couaruu. *lib,* 3. *variar. reſol. cap.* 15. *nu.* 2. Marta, *tom.* 2. *Compilat. tot: iur.* Tit. *Pœna. Cap.* 13 & *De clauſulis par.* 2. *Clauſ.* 1. *n.* 3. qui volunt, quod pœna ad beneplacitũ ſit perpetua, ſiue ſit ad beneplacitum iudicis, ſiue ad beneplacitum Principis.

2 Ratio autem eſt, quia huiuſmodi beneplacitum debet eſſe beneplacitum publicum, atq; adeo, quod nullius morte extinguatur Cap. *Si gratioſè*. De *reſcript. in* 6. Cum enim ſententia ſit actus publicus, & nitatur fidei publicæ. *l. Geſta. C.* De *re iudicata*. ibi. *Geſta, quæ ſunt translata in publica monumenta; habere volumus perpetuam firmitatem, neq; enim morte cognitoris perire debet publica fides.* atque adeo ex natura ſua perpetuus, beneplacitum, quod ſoluere debet ſententiam tamquam actum publicum, atque adeo illi finem imponere, debet eſſe beneplacitum publicum, cum beneplacitum priuatum, tanquam inferioris ordinis, non poſſit circa ea, quæ ſunt publicæ poteſtatis.

3 Ex quibus colligitur, malè ſententiam tuliſſe quoſdam religioſos, qui ob crimina non multum grauia quemdam religioſum ſubditum carceri ad beneplacitum Generalis mancipauerunt, additis etiam alijs pœnis priuationis vocis actiuæ, & paſſiuæ, relegatione &c. Carcer namque eſt maior pœna, quæ de iure canonico infligi poſſit, vt notant Marta *tom.* 2. *Compilat. Tit. carcer. cap.* 1. *in fine.* Et proinde dicitur pœna capitalis, vt notant Bald. *in l. Reos. init. ff.* De *accuſat.* Felin. *in Cap. Qualiter.* 2. §. *Ad corrigendos.* De *accuſat.* Abbas *in cap.* 1. *circa fin.* De *colluſ. deteg.* Et melius eſt mori, quàm perpetuo carceri damnari, vt notãt Cardin. *in Cap. Cum non ab homine.* De *iudic* Diaz *in pract. cap.* 140. *num.* 1. Vnde damnati ad perpetuos carceres æquiparantur damnatis ad metallum, vt notãt Innocent. *in Cap. Qualiter, & quando.* 2: §. *fin.* De *accuſat.* Bald. *Conſil.* 448. *init. lib.* 1. Fulgoſ. *Conſil.* 44. *per totum.* Bart. *in l. Imperium col.* 4. *ff.* De *iuriſd. om. iud.* Dec. *ibid. num.* 34. Iaſ. *num.* 24. Peregrin, De *iure Fiſci lib.* 3. *tit.* 4. *num.* 5. Imo de iure canonico ſucceſiſſe loco pœnæ dãnatorum in metallum, docent Io. de Anan. *Conſil.* 1. *num.* 10. *in fine*, Bald. *citato loco Conſil.* 448. Et ideo eſſe permiſsã pœnam carceris perpetui de iure canonico, quia eccleſiaſtici non poſſunt imponere pœnam ſanguinis, aduertit Fulgoſ. *dict. Conſil.* 44. *num.* 1. Imo non eſſe imponendam, niſi quando mors laico imponenda eſſet cum aliqua qualitate atroci, notat Diaz cum Aretino *in prac. cap.* 140. *nu.* 1. Et proinde non poteſt imponi, niſi pro grauiſſimis delictis, & quæ mereantur damnationem ad metalla, aut pœnam mortis: & conſequenter nec etiam carcer ad beneplacitum, quia eſt pœna perpetua, vt dictum eſt.

An debitor ſit in mora, ſi die præfixo non ſoluat, ſi in contractu adſit pactum, quod creditor poſſit ſibi expenſis debitoris ſatisfacere, ſi ipſe non ſoluat. Quæſt: 361.

SVMMA.

1 *Terminus pro ſolutione interpellat pro creditore.*
1 *Non ſoluens termino præfixo eſt in mora.*
2 *Debitor eiuſdem fori debet creditorem conuenire, vt ſe purget à mora.*
3 *Non ſoluens, quando creditor poteſt ſibi conſulere, non eſt in mora.*

Cre-

3 *Creditor eſt in mora, quando per ipſum ſtat, ne obtineat creditum,*
4 *Scriptura ſemper loquitur,*
4 *Debitor non eſt in mora, quando creditor eius expenſis poteſt ſibi ſatisfacere,*
5 *Debitor ponens ſolutionem in manu creditoris non poteſt conſtitui in mora.*
6 *Mora quid ſit.*

---

1 Titius vendidit triticum Caio cũ pacto, quod tempore meſſis ſolueret pretium tritici venditi, non in pecunia, ſed in tritico exhibendo tantum tritici, quantum correſpondet pecuniæ ſoluendæ iuxta pretium, quod currit tẽpore meſſis. Quod ſi non exhibeat triticum, poſſit creditor ſibi emere tantundem tritici, quantum tenetur exhibere Caius, expenſis ipſius debitoris. Quæritur ergo, an ſi tempore debito Caius debitor non ſoluit, & Titius creditor nõ ſibi prouideat iuxta pactũ de tritico expenſis debitoris, cenſendus ſit debitor in mora ad effectum reſarciendi damnum emergens. Pro quo etiam pręmittendũ, quod non euacuatur mora ex eo, quod creditur non interpellauerit, quia cum ſit appoſitus terminus ſolutionis, ipſe interpellat pro creditore. *l. Magnam.* C. De *contra. & com.* Stipul. & *l. Traiectitia.* §. *De illo. ff.* De *act. & obl.* & Cap. *Potuit.* De *Locat* Et proinde creditor, quantum eſt ex hoc capite, eſſet conſtitutus in mora iuxta ea, quæ notant Gloſ. *in l. Mora. ff. Soluto matrim.* Alexan. *in l. Quoties.* De *verbor. obligat.* & *in l. Vinum. ff.* Si *cert. pet.* Bart. *in l. Si ſtipulat. Quæſt. 2. princip. eodem tit.* Felin. *in Cap. Licet Heli.* De Simon. Iaſ. *in §. Fuerant. num. 2.* Inſtit. De *action.* Socin. *in l. De diuiſione. in fine. ff.* Soluto *matrim.* Rota *coram Durano. Deciſ.* 346. *n.* 1.

2 Quod præſertim habet locum, quia cum debitor ſit eiuſdem fori cum creditore, debuit hunc conuenire ad effectũ, vt à mora ſe liberaret, vt tradunt Gloſ. *in l. Item illa.* ver. *Non veni.* C. De *condit inſert.* Bart. *ibid. num.* 19. Bald. *in l. fin. num.* 7. *eodem tit.* Iaſ. *in l. 2. num.* 92. C. De *iure emphyt.* Quia ſtante interpellatione, quam facit tempus præfixum, tenetur debitor reſpondere oſtendendo, ſe paratum ad ſolutionem; aliàs tacendo moram contrahit.

3 His tamen non obſtantibus, *exiſtimo in prædicto caſu ſtante prędicto pacto debitorem non fuiſſe in mora, & proinde non teneri ad aliquod intereſſe.* Quando enim non ſtat per debitorem, quin creditor obtineat, quod ſibi debetur, ſed per ipſum creditorem, creditor ipſe conſtituitur in mora, vt tradunt Rolan. *Conſil.* 87. *num.* 15. *vol.* 1. Morot. *Conſil.* 86. *num.* 3. Vrſil. ad Afflict. *Deciſ.* 316. Surd. De *alimen. tit.* 4. *quæſt.* 16. *num.* 2. Giurba *Deciſ. Sicil.* 114. *in fine.* Rota *Deciſ.* 252. *num.* 9. *par.* 4. *Diuerſ.* quia tunc creditor eſt cauſa totius dilationis.

4 Stante autem pacto, quod creditor elapſo termino ſoluendi poſſit ſibi prouidere de re debita expenſis debitoris, ſi non prouideat, per ipſum ſtat, ne obtineat rem ſibi debitam, ſi quidem habet exequutionem paratam. Cum enim ſcriptura ſemper loquatur. *l. Ariani.* C. De *hęret.* per dictum pactum cenſetur debitor continuò conſentire extinctioni debiti, & continuò interpellare creditorem, vt ſibi ſatisfaciat, dum ipſe negligit ſatiſfacere. Vnde cum ſit prompta voluntas debitoris pro ſolutione debiti, ſi non facienda per ipſum, ſaltem facienda per ipſum creditorem, tota mora refunditur in creditorem, cum per ipſum ſtet, ne debitum extinguatur eo modo, quo poteſt extingui, & in quem ipſe conſenſit.

5 Quod amplius confir. Per pactum prædictum eſt conſtitutus duplex modus ſolutionis, quorum vnus ſit in ſubſidium alterius, ſi contingat deficere: nẽpe primus, quod ſolutio fiat regulari modo per debitorem; & ſecundus in huius defectum, quod creditor ſibi ſatisfaciat expenſis debitoris. Et cum creditor cõſenſerit in hoc pactum, conſenſit etiam in ſecundum modũ extinguendi debitũ deficiẽte primo, atque adeo ad ipſum ſe obligauit, & proinde deficiente primo modo ſolutionis, ſecundo poterat vti, ita ut non vtẽdo ipſe fuerit in mora ſolutionis. Cum enim ſecundus modus ſolutionis ſit in defectum primi, nõ poteſt huius de-

defectus inducere moram, quia remanet alter, qui eſt in poteſtate creditoris, qui facit ſolutionem paratam ad libitum ipſius. Vnde debitor conferens creditori prædictam poteſtatem, ſe reddidit incapacem moræ, cum poſſit ſemper ſe tueri legitima exceptione, quod ſolutionem debiti poſuerit in manu creditoris, & proinde in mora non ſit Cap. *Non eſt in mora*. De reg. iur. in 6. & *l. Nulla. ff.* De reg. iur.

6 Quod etiam conſtat ex definitione moræ, quam tradit Ripa *in l. Quod te. ff.* Si *cert. pet.* eſt enim, *Mora debiti ſoluendi, vel crediti recipiēdi improbata dilatio.* Hoc autem non habet locum quò ad præſentem caſum in debitore, quia cū per pactum tranſtulerit in poteſtatem creditoris facultatem ſibi ſatisfaciendi, quando ipſe non ſatisfaceret, nō poteſt dici, quod diſtulerit ſoluere debitum, ſed quod creditor ipſe diſtulerit, dum fuit in eiuſdem poteſtate ſibi ſatisfacere, & proinde mora ipſi nocere debet, non debitori.

An creditor acceptans ſolutionem debiti cenſeatur liberare debitorem à mora. Quæſt. 362.

S V M M A.

1 *Creditor acceptans ſortem principalem liberat debitorem à mora contracta.*
2 *Intereſſe ratione moræ eſt acceſſorium ſortis principalis.*
2 *Principali extincto extinguitur etiam acceſſorium.*
3 *Creditor acceptans partem ſortis principalis an liberet debitorem à mora contracta.*
3 *Argumentum à toto ad partem.*
4 *Animus magis facto, quàm verbis declaratur & nu. ſeq.*
5 *Recipiens pretium rei ſuæ ab altero vendita ratificat venditionem.*
6 *Conceſſo maiori cenſetur conceſſum minus.*
6 *Conceſſa dilatione ſolutionis remittitur mora.*
7 *Conſentiens rei venditioni tacitè reuocat probibitionem alienationis.*
7 *Conceſſa dilatione ſolutionis quouſque cenſeatur dilata.*

1 Conueniunt Doctores communiter, quod ſi poſt incurſam moram debitor ſatisfaciat creditori de ſorte principali, & ipſe creditor accepter, cenſeatur tacitè liberare debitorem à mora, & illi remittere pœnā, & quodcunque intereſſe, quod deberet ratione moræ. Ita habetur ex *l. Qui ſeniſſi. ff.* De *vſur.* vbi Gloſ. & Bart. & *l. fin. ff.* De *eo, quod cer. loc.* ibi *Tanto magis, quod creditor accipiendo pecuniam etiam remiſiſſe pœnam videatur* vbi Gloſ. & DD. Iaſ. *in l. 1. C. de iud* Beroius *Conſil. 200. per totum.* Burſat. *Conſil. 72. num. 7.* Roland. *Conſil. 87. num. 32. lib. 1.* Io. Andr. *in Cap. fin.* De *reb. Eccleſ. nō alien.* vbi etiam cœteri Doctores. Crauetta *Conſil. 152. num. 9.* Alex. *Conſil. 105, num. 10. lib. 3.* Tuſch. *Littera I. concluſ. 298. num 8.* & *Littera M. concluſ. 378. n. 2.* Nam facto declarat, ſibi ſatisfactum, nec aliud prætendere, & proinde remittere quicquid aliud ſibi debitum eſſet; quia ſi non remitteret, declararet, quod vlterius prætenderet, ſibi deberi.

2 Ratio autem eſt. Quia pœna, aut intereſſe debitum ratione moræ ſe habet tanquam acceſſorium ad debitum ſortis principalis; & ideo cum creditor acceptans ſatisfactionem in ſorte principali in ea conquieſcat, nec aliud exigat, extinguitur etiā debitū acceſſorium ex tacita voluntate creditoris; quia, dū contentus ſorte principali extinguit debitū illius, extinguit in conſequentiam etiam debitum acceſſoriū, quia extincto principali extinguitur etiam acceſſorium. *l. Qui liberis. ff.* De *vulg. & pupil. ſubſtit.* & *l. Cum principalis. ff.* De *reg. iur.* Maior difficultas, & an ſi poſt morā cōtractā debitor offerat partem debiti, & creditor acceptet, cenſeatur remittere moram.

3 Et quidem quò ad moram reſpondentem illi parti debiti, *tenendum eſt, quod tacitè remittat, & proinde ratione illius ceſſet pœna, nec vllum intereſſe debeatur.* Si enim dum, ſoluitur totum debitum, & acceptatur, cenſetur remiſſa mora in totum, ita dum ſoluitur pars, & acceptatur, cenſebitur remiſſa quò ad illā partem, quia valet argumentum à toto ad partem *l. Quæ de tota. ff.* De *rei vendi-*

dicat. & tradit Euerar. *in Topica iur. loco* 80. Præſertim quia militat eadem ratio, quò ad partem, quæ militat quò ad totum; quod facit, vt magis concludat, vt notant Abbas *Conſil.* 58 *ver. Preterea. lib.* 2. Socin. iun. *Conſil.* 74 *num.* 24. *vol.* 3. Alexan. *Conſil.* 15. *in fine. lib.* 4. Menoch. *Conſil* 72. *num.* 5. Surd. *Conſil.* 193. *num.* 6 Fuſar. *Conſil.* 41. *num.* 98. Tuſch. *Littera. A. concluſ.* 499. *n.* 1. & 3.

4 Quod autem ſpectat ad moram reſpectu partis, quæ non ſoluitur, *Adhuc reſpectu illius cenſendus eſt creditor morã tacitè remittere.* Dum enim partem ſui crediti acceptat alia parte non ſoluta ratione taciturnitatis cenſetur conſentire, quod tunc de præſenti ſoluatur tantum pars, & alterius partis ſolutio differatur. Hac enim ſolutione partiali debitor declarat animum ſuum, quod tunc de præſenti nolit ſoluere totum, ſed differre: Animus namq. facto magis declaratur, quàm verbis *l. Paulus. ff.* Rem *ratam. hab.* & *l. Pro herede. ff. De acquir. hered.* & *l. Reprehendenda.* C. De *inſtit.* & Cap. *Dilecti filij.* 2. De *appellat.* & notant Menoch. *Conſil.* 5. *num.* 16. Maſcar. *de probat. Concluſ.* 1415. *num* 34. Surd. *Deciſ.* 194. *nu.* 21. Scac. *De appellat. queſt.* 17 *limit.* 2. *nu.* 23. Duran. *Deciſ.* 233. *n.* 16. Rota *Deciſ.* 582. *n.* 7. *par.* 1. *Recent.*

5 Taciturnitas autẽ creditoris acceptantis partem tantum de ſibi debitis, & non interpellantis pro alia, facit, quod cẽſeatur conſentire in voluntatem debitoris volentis pro tunc partem tantum debiti ſoluere, & differre alterius partis ſolutionem. Quia cum perſpectã habuerit voluntatem debitoris, & potuerit interpellare, cum non interpellauerit, cenſetur conſenſiſſe in voluntatem ipſius; ſicuti recipiens pretium rei ſuæ ab altero venditæ, cenſetur ratificare venditionem iuxta ea, quæ tradunt per tex. *l. Liberis* §. 1. *ff.* De *liber. cau.* Crauera *Conſil.* 159, *n.* 5. Calcan. *Con* 22. *in fine.* Grat. *Conſil.* 47 *num.* 22. *lib.* 1. Ruin *Conſil.* 63. *num.* 23. *lib* 1. Dec. *Conſil.* 480. *in fine.* Socin. iun. *Conſil.* 18. *num.* 13 *lib.* 3. Tiraquel. *De iure conſt. par.* 3. *limit.* 30. *nu.* 11. 12. & 21. Neuizan. *lib.* 6. *Sylua nupt. num.* 16. Alexan. *Conſil.* 117. *n.* 2. *lib* 5. Bellã. *Deciſ.* 18. *n.* 17. Pariſ. *Conſil.* 49. *num. lib.* 1. Cephal. *Conſil.* 51. *nu.* 15. Et habetur ex *l. Sed Iulianus.* §. *fin. ff.* Ad *Macedon.* & *l. Si filius. ff.* De *minor.* Cuius rei ea ratio eſt, quia, vt dictũ eſt *num. præcedenti,* voluntas, & animus efficacius facto ipſo declaratur, quàm verbis. Pro quo facit etiam *l. De quibus. ff* De *leg.* & *l. Si tamen*, §. *Si ei, qui. ff.* De *ædilit. edicto* Roman. *Conſil.* 291. *num.* 4. Abbas *Conſil.* 116. *num.* 3. *lib.* 2. Gram. *Conſil.* 13. *num.* 3. Ancharan. *Conſil.* 302. Gozadin. *Conſil.* 101. *nu.* 125. Socin. Iun. *Conſil.* 97. *n.* 13. *lib.* 1.

6 Cum autem facto ipſo conſenſerit in voluntatem debitoris, conſequenter ratam habuit dilationem ſolutionis alterius partis, atque adeo remiſit moram, & quicquid conſequitur ad moram. Dũ enim concedit dilationem, ratũ habet, quod non ſit adhuc facta ſolutio illius partis, cùm hoc in illo contineatur, tanquam aliquid minus in maiori, et hoc maiori conceſſo cenſeatur conceſſum etiam illud, vt minus *l. Filiusfamilias.* §. *fin. ff.* De *donat.* & *l. Marcel. ff.* De *donat. cau. mort.* & Cap. *Ex parte.* De *decimis.* Atque ex conceſſione dilationis ſolutionis, & ratificationis, quod non ſit facta tempore debito, venit in conſequentiam conceſſio remiſſionis moræ, & cuiuſcunque intereſſe ex illa debiti *l. Reflexionis gratia ff. Communia præd.* vbi Gloſ. & *l.* 2. *De iuriſdict. om. iud.* & *l.* 1. §. 1. *ff* Si *vſuſfruct. pet.* & docet Euerar. *in Topica loco* 94.

7 Ex quibus fit, quod dum in dicto caſu creditor acceptans partem debiti, non præfigit nouum terminum pro ſolutione alterius partis, poſſit debitor differre ſolutionem alterius partis, quouſque commodè ſoluere poſſit, aut interpelletur à creditore. Cum enim creditor ratã habeat dilationem ſolutionis, & in ipsã conſentiat, vt dictum eſt, reuocat tacitè terminum præfixum, & omne pactũ circa ſolutionem, ſicut conſentiens in venditionem, reuocat pactum prohibitionis alienationis, vt notant Bald *in l. Qui Romæ.* §. *Flauius, ff.* De *verbor. obligat.* Alexan. *Conſil.* 204. *nu.* 4. & 6. *lib.* 7. Et cũ ceſ-

cenſeatur concedere talem dilarionem contemplatione commoditatis debitoris, cenſetur conceſſa· vſquequo illi commodum erit ſoluere, aut vſquequo interpelletur.

Ad quid teneatur debitor, qui diu diſtulit ſolutionem frumenti, quod certo tempore fuerat ſoluendum. Quæſt. 363.

S V M M A

1 *Non ſoluens termino præfixo fit moroſus debitor.*
2 *Non ſoluens termino præfixo frumentum tenetur ad intereſſe quanti plurimi, per triennium.*
3 *Frumentum non præſumitur durare vltra triennium.*
4 *Genus nunquam perit.*
4 *Intereſſe frumenti ſoluendi quando extenditur vltra triennium.*
5 *Frumentum debitum certo tempore determinatur ad frumentum illius temporis.*
6 *Moroſus debitor ad quid teneatur in conſcientia.*
6 *Forum externum innititur præſumptionibus, & forum conſcientiæ veritati.*
7 *Moroſus debitor an in conſcientia teneatur ad intereſſe quanti plurimi.*
7 *Intereſſe complectitur tam lucrum ceſſans, quàm damnum emergens.*

1 NOn ſatisfacere obligationi ſoluendi frumentũ, quod debet, certum omnino eſt, quia cum non ſoluerit in termino præfixo ſolutioni, factus eſt moroſus debitor *l. Magnam.* C. De *contrahen & committen. ſtipul.* Et proinde non ſolum obligatur ad ſortem principalem, ſed etiam ad intereſſe, vt notãt Gloſ. *in* §. *Pretium autem. verbo* Tradatur. *ver.* Ad teſtium. *Inſtit. De empt. & vendit.* & *in l.* 1. ver. *Item quæro. ff.* De *act. empt.* & cummuniter Doctores *in l. Vinum. ff.* Si *cert. pet.* & latè Mareſc. *lib.* 2. *Variar. reſol. cap.* 19. *num.* 6. Rota *Deciſ.* 252. *par.* 4. *Diuerſ.* Solum ergo difficultas eſt ad quale, & quantum intereſſe teneatur.

2 Reſp. *Teneri ad intereſſe quanti plurimi, hoc eſt ad ſoluendum illud pretium pro frumento, quod fuit ſummum intra tempus moræ, ſi mora non excedat triennium. Si autẽ excedat, tenetur ad intereſſe quanti plurimi illius triennij, in quo primò fuit in mora.* Ita docent Gratian. *diſcep.* 243, *num.* 56. Menoch. *De recuper. poſſeſ. Remed.* 15 *num.* 600. Surd. *Deciſ.* 81. *num.* 1. Barboſa *in l. Diuortio.* §. *Ob donationes. num.* 21. *ff.* Soluto *matrimonio* Tuſch. *Littera* I. *concluſ.* 307. *num.* 9. Rota Ianuenſ. *Deciſ.* 144 *num.* 18. Giurba *Deciſ.* 115. *nu.* 3. Duran. *Deciſ.* 346. *num.* 3. Caualcan. *De tutor. n.* 229. Sfort. *Conſil.* 30. *nu.* 6. Pappon. *Conſil.* 94. *num.* 28. Alban. *Conſil.* 182. *num.* 35. Tepat. *lib.* 1. *Variar.* Tit. *de fruct. in genere* Natta *Conſil.* 599. *num.* 4. Ratio autem eſt, quia cum ratione moræ ſubintret obligatio ad intereſſe vt dictum eſt *nu. præcedenti,* tenetur debitor compenſare totũ id, quod potuiſſet creditor lucrari ex illo frumento, potuiſſet autem vendere, quãti plurimi valuit tempore moræ intra illud triennium.

3 Quod autem non poſſit poſt trienniũ creſcere intereſſe ex eo deſumitur, quia frumentũ, & alij fructus non poſſunt cõſeruari vltra triennium, vt tradunt Gloſ. *in l. vnicam.* C. *Si aduer. vſucap.* Caſtr. *ibid. num.* 4. Bald. *item num.* 4. Bart. *in l. Sed ſi lege.* §. *Scire. ff.* De *pet. hæred.* Alexan. *in l. Procuratorem.* C. De *procur.* Imola *in l. Diuortio.* §. *Interdum. num.* 13. *ff.* Soluto *matrim.* Aret. *ibid. num.* 20. Iaſ. *nu.* 12. Alciat. *in l Vinum. n.* 31. *ff.* Ad *Trebel.* Paris. *Conſil.* 25 *num.* 75. *vol.* 1. Corn. *Conſil.* 104. *nu.* 25. *lib* 2. Sfort. *Conſil.* 30. *num* 6 Fab. Anna *Conſil* 95. *num* 24. Ruin *Conſil.* 56. *n.* 3. *vol.* 2. Peregr. *Deciſ.* 61. *num.* 4. Couaru. *lib.* 1. *Variar reſol. cap.* 3. *num.* 7. Menoch. *De adipiscen. poſſeſ. Remed.* 3. *num.* 121. Cãcer. *lib.* 3. *Variar. Reſol. cap.* 1. *De act. & obligat. num.* 182. Gratian. *Diſcept. Foreñ. cap.* 243. *num.* 60. Lupus *De vſur. com.* 3. §. 6. *num* 145. Tuſch. *Littera* F. *concluſ.* 492 *n.* 5. & *ſequent.* Rota *coram Durano Deciſ.* 346. *num.* 7. Vnde non poteſt frumentũ vltra triennium fundare intereſſe, cum non poſſit intereſſe fundari ſupra re non exiſtenti.

4 Obſtare tamen videtur, quia cum frumentū non ſit debitum in ſpecie, quia nimirum non eſt debitū de tali prædio, de tali horreo &c. ſed tantum in genere; & genus nunquam pereat *l.Incendium*. C. Si *certpet.* & notant Bart. Barboſa & cœteri in *l.Diuortio.* *§.Donationes.ff.* Soluto *matrim.* Alban. *Conſil.*627. *num.*2. Fran. *Deciſ.*236.*n* 9. Cephal. *Conſil.*735. *n.* 8 Roderic. *lib.*2. *de annuis red. quæſ.*19. *n.* 29 Fontanel. *De pac. nupt.*9.*gloſ.*18.*p.*1. *n.* 191. Gratian. *Diſcep. forenſ. cap.*243. *nu.* 76. *& ſequent.* Intereſſe quanti plurimi creſcet à die moræ non ſolum ad triennium, ſed etiam perpetuò, vt tradūt Curt. iun. *in l.Vinum. num.*28. *ff.Si cert.pet.* Buttigel. *num.*52. Rub. *num.*235. Ruin. *num.* 221. *& ſequent.* Alexan. *in l. Diuortio.* *§. Ob donationes. num.*6 *ff.* Soluto *matrimonio.* Alban. *Conſil.*182. *num.* 35. Aſinin. *De exequut.* *§.*7. *cap.*216. *nu.* 25. Manen. *De contract. liuel par.*15. *num* 49. Fontane *De pact. nupt. gloſ.*18.*p.*1.*n.*201. Giurba *Deciſ.*15.*n.*3.

5 Reſp. tamen, hoc non obſtare. Nā eoipſo, quod frumentū eſt debitū certo tempore, determinatur ad illud frumentū, quod in tempore ſolutioni præfixo exiſtit. Vnde non eſt abſolutè debitum frumentū in genere, ſed frumentū in genere determinato, ſeu in genere ſubalterno, ſiquidem genus frumēti determinatûr ad frumentū, quod in certo, & determinato tempore exiſtit. Vnde cum frumentum ſit determinatum per exiſtentiam, eſt etiam determinatum quò ad duratione̅, & proinde vltra triennium extendi non poteſt, vt notant etiam Bart. *in l.Quod te.* *ff.Si cert. pet.* Bolognet. *num.*4. teſtans de communi, & cœteri Doctores *ibid.* Pappon. *Conſil.*94. *nu.*30. Alban. *Conſil.*132 *num.*35. Quare cum vltra durationem rei non poſſit creſcere intereſſe, neque in hoc caſu vltra triennium creſcet intereſſe quanti plurimi.

6 Hæc autem procedunt in foro externo; nam in foro conſcientiæ moroſus debitor tenetur tantum ad reſarciendū damnum illatū ratione moræ, quod poteſt eſſe maius, aut minus, quàm ſit intereſſe quanti plurimi, quia quiſque in conſcientia tenetur totum damnum reſarcire, quale, & quantumcunque ſit, vt cōmuniter docent. D.Th.2.2. *quæſt.*62. *ar.* 5. *& q.*13. *de malo. ar.*3. *ad* 14. Sylueſter *verbo* Vſura 1. *q.*26. Medina *De reb. vſurar q.*3. *in fine.* Rebel. De *obligat. iuſt. par.* 2. *lib.*8. *cap.*7. *init.* D.Antonin. 2. *par. Tit.* 1. *cap.*7. *§.*19. Cōrad. *De contract. q.*30. *cōcluſ.* 4. Scaccia De *commer.* *§.*1. *q.*7. *par.* 2. *ampliat.*8. *num.*97. Rebuf. *in Repet. l num* 6. C. De *ſent. quæ.* Molina De *iuſt. & iure tract.*2. *diſp.*313. *in fine.* ver. *Alterum eſt.* Leſſius *lib.*2. *de iuſt. & iure c.* 21. *dub.*13. *num.*101. *§. Sed aduerte.* Nald. *in Sm. verbo.* Intereſſe. *nu.*8. *in fine.* Hoc autem procedit ex diuerſo modo procedendi fori externi, & fori conſcientiæ, nam forum externum innititur præſumptionibus *l. fin.* C. Quod *metus cauſa.* & Cap. *Quia veriſimile.* De *præſumpt.* vbi communiter Doctores. At forum conſcientiæ innititur ſoli veritati Cap. *Filius.* De *teſtam.* & ideo in determinando intereſſe ſoluendū ratione moræ, reſpicit tantū ad illud, quod ſecundum rei veritatem creditor paſſus eſt.

7 Ex hoc autem fit, quod in conſcientia debitor moroſus non teneatur ad intereſſe quanti plurimi, niſi creditor fuiſſet ſeruaturus triticum vſque ad tempus illius valoris per ea, quæ docent Gabr. *in* 4 *diſt.*15. *q.*11. *ar.*1. *§.Notandum tamen.* Angel. *verbo.* Vſura 1. *nu.*36. D. Antonin. *par.*2. *tit.*1. *cap.*7. *§.*13. Nauar. *in Manuali Cap* 17. *n.*219. *&* 226. Rebel. *De obligat. iuſt. par.*2. *lib.*8. *q.*8. *num.*4. & cōmuniter. E cōtra vero, ſi creditor paſſus ſit maius intereſſe, quàm ſit intereſſe quanti plurimi poterit illud in conſcientia à debitore repetere, & debitor tenebitur reſarcire, ſi tamen ipſi conſtet de tali intereſſe; nā neque in conſcientia tenetur ſtare dicto ſimplici creditoris. Per intereſſe autem non ſolum intelligitur damnum, emergens, ſed etiam lucrum ceſſans, vt notant Panorm. *in cap.Conqueſtus.* De *vſur.* Gabriel. *in* 4. *diſt.*15. *q.* 11. *ar.*1. ver. *Sed hic aduertendum.*

An, ſi moroſus debitor differat ſoluere triticum vltra triennium, teneatur non ſolum ad intereſſe quanti plurimi, ſed etiam ad aliqnid aliud pro tempore moræ vltra triennium. Quæſt. 364.

S V M M A.

1 *Moroſus debitor in ſoluendo tritico an teneatur vltra moram triennij.*
2 *Quando debitum non eſt liquidum, debitor non eſt in mora.*
3 *Valet etiam in foro conſcientiæ.*
4 *Liquidato intreſſe moroſus debitor tenetur ad intereſſe eiuſdem intereſſe.*
5 *Intereſſe de intereſſe quando debeatur.*

1 Ratio dubitandi eſt, quia ſi per triennium integrū differat debitor ſoluere triticum, tenetur ſtatim ad intereſſe quanti plurimi pro illo triennio, vt dictum eſt. *Quęſt. præced. num.* 2. & creditor acquirit ius ad tale intereſſe. Si ergo per tempus notabile vltra triennium differat debitor ſatisfacere creditori de hoc intereſſe quantiplurimi, iam damnū illi affert, quia non ſolum talis dilatio poteſt impedire aliquod lucrum, ſed etiam poteſt eſſe cauſa alicuius damni. & proinde tenebitur moroſus debitor totum hoc intereſſe re ſarcire.

2 Hoc tamen non obſtante reſoluendum eſt, *Quod ſolum teneatur ad intereſſe quanti plurimi pro primo triennio moræ, nec aliquid teneatur ſoluere, quia diſtulerit ſoluere hoc intereſſe quantiplurimi.* Ratio autem eſt, quia quando debitum non eſt liquidū, debitor non eſt in mora *l. In fideicom. ff.* De *vſur.* vbi Bald. & *in l. Accepta m. oppoſ.* 6. C. De *vſur.* Crauetta *Conſil.* 841. *num.* 6. Angel. *in l. Si mora. ff.* So luto *matrim.* Iaſ. *in l. Quod te. ff.* Si *cert. pet.* Socin. *Conſil. vlt in fine. vol.* 3. Ancharan. *Conſil.* 235. Afflict. *Deciſ.* 205. Alexan. *Conſil.* 49. *num.* 3. ver. *Præſertim. lib.* 2. Surd *Conſil.* 38. *num.* 13. Bauer. *tract. de mora. par.* 3. *num.* 18. Tiraquel. *De retract. ligna. §.* 1. *gloſ.* 19. *num.* 1. Tuſch. *littera M. concluſ.* 376. *num.* 52. In caſu autem præſenti debitum non eſt liquidū, quia licet teneatur ad intereſſe quanti plurimi, hoc tamen intereſſe non eſt liquidū, quia non conſtat, quantum importat, & proinde remanet liquidandū. Vnde creditor ſibi imputare debet, quod non interpellauit debitorem ad hoc intereſſe liquidandum ſtatim, ac fuit elapſum triennium moræ; & non debitori, quod illud non ſoluerit, quia non tenebatur ſoluere, dū non conſtaret de quantitate ſoluenda.

3 Et hoc habet locum non ſolum in foro externo, ſed etiam in foro conſcientiæ, quia licet vnuſquiſque in foro conſcientiæ obligetur ad reſarciendum omne damnū, & omne intereſſe, vt dictum eſt cum communi ſententia *Quæſt. præced. num.* 6. in hoc tamen caſu debitor nō obligatur vltra intereſſe quantiplurimi, quia licet creditor aliquod dānū patiatur, ipſe ſibi eſt cauſa talis damni, quia differt interpellare debitorem ad liquidādum dictū intereſſe quanti plurimi, non autem debitor, quia, cum totum damnū proueniat ex mora, cum debitor non ſit in mora in ordine ad liquidationem; vt dictum eſt, nec etiam eſt cauſa damni, ſed mora tota refunditur in creditorem.

4 Eſt tamen aduertendum. Quod facta liquidatione intereſſe quantiplurimi, ſi debitor ſit in mora ad illud ſoluēdum; tunc non ſolum in foro externo, ſed etiam in foro conſcientiæ tenetur ad intereſſe illius intereſſe iam liquidati, vt deſumitur ex *l. Socium, qui ff.* Pro *ſocio.* vbi Gloſ. *verbo. Labeo* & *l. Idemque. §. Si procurator ff. Mandati.* & tradunt Ruin. Cō. *ſil.* 55. *n.* 18. *lib.* 2. Rodriquez *de annuis red. lib.* 3. *cap.* 7. *num.* 27. *in fine.* Gratian. *Diſcep. Forenſ. cap.* 224. *nu.* 48 & 52. Alexan. Trentacin. *lib.* 1. *Variar. reſolut.* Tit. *De inter. reſol.* 1. *num.* 35. Rota Genuenſ. *Deciſ.* 68. *num.* 16. Et ratio eſt, quia tunc intereſſe quantiplurimi tranſit ratione liquidationis in ſortem principalem, & ideo mora inducit obligationem ad reſarciendum omne intereſſe, quod creditor patitur.

5 Præſertim, quia debetur intereſſe alterius intereſſe, quādo agitur de damno emergente, vt tradunt Roman. *Sing.* 101. Honded. *Conſil.* 50. *num.* 16. *lib.* 1. Afflict. *Deciſ.* 22. *n.* 2. & 5. Alexan. *Conſ.* 141. *num.* 3. *lib.* 5. Rota Genuenſ. *deciſ.* 87. *n.* 9. Caualcan. *Deciſ.* 26. *nu.* 25. *par.* 3. Scaccia *De commer* §. 7. *gloſ* 2. *num.* 61. Vrſil. ad Afflict. *Deciſ.* 291. *num.* 6. Hector. Felic. *de Societ. cap.* 24. *num.* 59. Io. Caſtil. *lib.* 2. *quotidianar. Controuer. cap.* 5. *n.* 81. Guzman *De euict. quæſt.* 58. *num.* 13. Quod intelligi debet, ſi primum intereſſe liquidū ſit. Et habet locum etiam in foro conſcientię, quia cum ratione moræ creditor patiatur damnū emergens, debitor moroſus tanquam cauſa damni emergentis tenetur reſarcire iuxta dicta. *Quæſt. præcedenti num.* 6.

An habeat locum nouatio, ſi adſit pactum in contractu, quod ſi debitor non ſoluat in termino præfixo, poſſit creditor ſibi ſatisfacere expenſis debitoris. *Quæſt.* 365.

S V M M A

1 *Si creditor poſſit ſibi ſatisfacere non ſoluente debitore, & non ſoluat, an habeat locum nouatio.*

1 *Nouatio non habet locum, niſi expreſſè partes paciſcantur.*

2 *Nouatio quando excludatur.*

2 *Actus ſubſequens declarat animum præcedentem.*

3 *Nouatio inducitur per coniecturas, & præſumptiones.*

4 *Quando inducatur per coniecturas, & præſumptiones.*

5 *Quando non inducatur.*

1 NOn *habere locum nouationem reſoluendum*. Nouatio namque nec præſumitur, nec cenſetur facta, niſi expreſsè inter partes conueniat, quod fiat. *l. fin.* C. De nouat. & notant Seraphin. *Deciſ.* 1172. *nu.* 1. Duran. *Deciſ.* 209. *n.* 13. Gutierez *de iuram. confirm. p.* 1. *c.* 63. *n.* 6. Gregorius *Lopez l.* 34. *gloſ.* 1. & *l.* 35. *gloſ.* 2. *tit.* 11. *p.* 15. Molin. *De iuſt. & iur. tr.* 2. *diſp.* 559. ver. *Dubium deinde eſt*. teſtans de cōmuni. Ognate *de contractibus to.* 1. *diſp.* 21. *num.* 183. ver. *Secundo dicendum*. Vnde cum in dicto contractu nihil conuentum fuerit de nouatione, non poteſt induci ex eo, quod creditor ſiluerit, nec compulerit debitorem ad ſoluendum, aut ſibi ipſi non ſatisfecerit expenſis debitoris.

2 Quod magis confirmat pactū contractui appoſitum, quod nimirum non ſoluēte debitore in termino præfixo, poſſit creditor ſibi ſatisfacere expenſis debitoris, quæ conditio, cum ſit appoſita in fauorem creditoris, & ad ipſius inſtantiā, declarat animum creditoris, quod noluerit obligationem innouari, ſed omnino voluerit extingui adueniente termino præfixo, ſi quidem voluit, quod eſſet in poteſtate ſua illam extinguere, ſi non extingueretur à debitore. Si quidem actus ſubſequens declarat præcedentem animum. §. *Pauonum.* Inſtit. *De rer. diuiſ.* & *l. Iulia.* §. *Proinde.* ff. Ad *ſenatuſconſul. Maced.* & *l.* Si hi qui. C. De adult. & notant Tiraquel. *in l.* Si *vnquam*. verbo. *Donatione largitus. num.* 257. C. *De reuoc. donat.* Surdus *Deciſ* 326. *num.* 85. Menoch. *Conſil.* 2. *nu.* 298. Rota *Deciſ.* 365. *nu.* 1. *par.* 2. *Recent. apud Farinac.* & communiter Doctores *in l. Qui filiabus. ff.* De *legat.* 1. Vnde cum conuentio reſpexerit ad extinctionem omnimodā obligationis, excludit etiam animū, & voluntatem tacitam renouandi contractum.

3 Nec obſtat, quod ſufficiant cōniecturæ, & præſumptiones ad inducendam nouationem, vt tradunt Gloſ. *in l.* 2. *ff.* De *nouat.* Cinus *in l. fin.* ver. *Ad iſtam.* C. De *nouat.* Caſtrenſ. *in l. penult. ff.* De *prætor. ſtipulat.* & *in l. fin.* C. De nouat. Salicet. *ibid.* Imola. *in l. Delegare. ff.* De *nouat.* Cagnol. *in l. Singularia. ff.* Si cert. pet. Rochengal. *in l.* 3. *init. num.* 18. *ff.* De *duob. reis.* Purpurat. *in l. Certi condictio.* §. *Quoniam. num.* 15. *ff.* De rebus. cred. Alexan. *Conſil.* 72. *num.* 2. ver. *Item eſſet falſum.* *lib.* 2. Socin. ſen. *Conſil.* 21. *num.* 3. *lib.* 1. Lu-

douic.

douic. Bolognet. *Conſ.* 59. Barbat. *Conſ.* 86. *lib.* 4. Dec. *Conſil.* 400. Pariſ. *Conſil.* 107. *num.*.. *lib.* 3. Lofred. *Conſil.* 24. Francus *Deciſ.* 15. *in fine*. Afflict. *Deciſ.* 44. *n.* 15.

4 Reſpond. namque: Tunc ſolum id eſſe verum, quando ad ſunt conniecturæ, & præſumptiones, quæ neceſſariò inferunt nouationem, vt declarat Menoch. *lib.* 3. *Præſump.* 134. *nu.* 37. *& ſequentib.* qui etiam reducit has præſumptiones, & conniecturas ad duas, nẽpe, quãdo debitor delegat alium nõ debitorem ſuum, & creditor illum acceptat: in quo caſu cenſetur facta nouatio, vt tradunt Aret. *Conſil.* 5. Afflict. *Deciſ.* 353. *num.* 4. teſtans de praxi: & quando ſecũdus cõtractus eſt incompatibilis cũ primo, quia tunc fit receſſus à primo contractu, & fit nouatio, vt tradunt Bald. *in l. fin. n.* 1. ver. *Vt quando ſorte*. C. De *nouat.* & *Conſil.* 318. ver. Reſpondeo. *lib.* 1. Dec. *in l. Pacta nouiſſima*. C. De *pactis* & *Conſ* 464. *num.* 4. & *Conſil.* 564. *num.* 15. Cagnol. *in l. Singularia*. *num.* 102. *ff.* Si *cert. pet.* Rochengal. *in* l. 3. *init. num.* 18. ver. *Videtur tamen*. *ff.* De *duob. reis*. Quamuis in hoc poſteriori caſu non fiat propriè nouatio, ſed transfuſio vnius contractus in aliũ. Hæ autem conniecturæ, & præſumptiones non militant in noſtro caſu.

5 Cœteræ autem cõniecturæ, & præſumptiones non ſufficiunt ad inducendã nouationem, vt decernitur in. *l. fin.* C. De *nouat.* dum ſtatuitur, nouationem non induci, niſi expreſſis verbis id fuerit actum. In quo ſenſu accipiendi ſunt Doctores, dum docent, quod ex præſumptionibus non inducitur nouatio, vt Bart. *in l. penul. num.* 3. *in fine*. *ff.* De *prætor. ſtipulat.* Bald. *in cit. l. fin. num.* 1. ver. *In lege*. Sed neque in caſu noſtro adſunt aliquæ præſumptiones; imo ex pacto appoſito tacitè excluditur voluntas nouandi, vt ponderatum eſt *num.* 2.

An Capitulum poſſit ſtatuere, ne Capitulares conueniant ad aliquas functiones eccleſiaſticas in alienis Eccleſijs, niſi ipſis ſoluatur certum ſtipendium. Quæſt. 366.

S V M M A

1 *Capitulum an ſtatuere poſſit, ne capitulares conueniant ad aliquas functiones, niſi certo ſtipendio.*
1 *Facultas Capituli ſtatuendi ad quæ ſe extendat.*
2 *Capitulares in quibus à capitulo obligari poſſint.*
3 *Pacta inita inter Capitulares quos obligent.*
3 *Pactum quatenus obliget.*
3 *Capitulares quomodo poſſint facere ordinationes per modum pacti.*
4 *Pactum nudum inducit obligationem in conſcientia.*
4 *Ponit obligationem naturalem.*

1 Difficultas procedit ſecluſo conſenſu Epiſcopi, & conſiderata ſola facultate Capituli, quam habet, vt ſeorſim ſe habet ab Epiſcopo. Et *negatiue reſpondendum eſt*. Quia facultas, quam habet Capitulum ſtatuendi non ſe extẽdit niſi ad minora, quæ concernunt ipsũ Capitulum; quatenus quoddam corpus, qualia ſunt, quę ſpectant ad adminiſtrationem eorum, quæ ſunt de menſa Capituli ad regimen eiuſdem Capituli, & alia huiuſmodi, vt docent Gloſ. *in Cap.* 1. *verbo*. Statutum. *De ſenten. excom. in* 6. & *in* Cap. *Cum omnes*. De *conſtit.* Felin. *ibid. num.* 8. Io. Andr. *num.* 4. Sebaſt. Medices. *De legib. quæſt.* 16. Salas *De legib. diſp.* 8. *cap.* 16. *num.* 84. Suarez *lib.* 4. *de legib. cap.* 6. *num.* 11. Merolla *tom* 2. *theol. moral. diſp.* 4. *cap.* 4. *dub.* 9. *num.* 141. Cum enim ad condenda ſtatuta requiratur iuriſdictio, quam non habet Capitulum, conſequenter non poteſt per ſtatuta obligare.

2 Ex quo fit, quod neque capitulares obligari poſſint à Capitulo, quò ad ea, quæ non concernunt ipſum Capitu-

lum, quia ſinguli ſunt ſui iuris, nec Capitulum habet iuriſdictionē ſupra ipſos, & proinde nō poteſt obligare quò ad ea, quæ ſunt propria ipſorum, præſertim ſi perſonalia ſint, ſed ſolum, vt dictum eſt, quò ad ea, quæ ita ſpectant ad ipſos, vt tamen communia ſint omnibus de Capitulo, & propria ſint ipſius capituli. Vnde cum exercere functiones aliquas in alienis Eccleſijs, non ſit aliquid propriũ Capituli, ſed ſpectet tanquam quid perſonale ad ipſos Capitulares, non poterit Capitulum aliquid circa hoc ſtatuere.

3 Rurſus. Si Capitulares conueniant inter ſe pacto aliquo de re aliqua præſtāda, vel non præſtanda, vel ſolũ ſub certa forma quò ad ea, quæ non ſunt propria communitatis capituli, quāuis obligentur ratione fidelitatis ad ſeruandum pactum, & ſub mortali, ſi ſit de re graui; qui tamen tunc non interfuerunt Capitulo, imo etiam qui interfuerunt, & nō conſenſerunt, non tenebuntur ſtare huiuſmodi pacto, quia pactum nō obligat, niſi ratione conſenſus præſtiti. *l. 1. ff. De pactis*. Nec obſtat, quod poſſit Capitulum facere aliquas ordinationes per modum pacti obligantes omnes, vt ex Cap. *Ex litteris*. De *conſtit*. ibi. *Licet à vobis ſide præſtita fuerit conſtitutum* docent Felin. *in* Cap. Cum omnes. *num.* 10. De *conſtit.* Syluester. *verbo*. Lex. *Quæſt.* 4. Laiman *lib. 1. Theol. moral. tract. 4. cap. 7. §. 4. num.* 10. Suarez *lib. 4. de legib. cap. 6. n.* 12. quia hoc ſolum habet locum in ijs, quæ tanquam propria concernunt communitatem Capituli, vt dictum eſt ſupra.

4 Et hoc habet locum, etiam ſi pactũ nudum eſſet; ſi quidem pactũ nudũ etiā obligat in foro conſcientiæ, vt ex iuriſtis quoque notant Panor. *in* Cap. Sicut 2. De *iureiur.* Iaſ. *in l. Si poſt diuiſionem*. C. De *iur. & fac. ignor.* Petrus Rebuſ. *in Repet.* Cap. *Poſtulaſtis, circa gloſ. num.* 48. De *cler. excom. miniſ.* nam pactum, quantumuis nudum, parit obligationem naturalem fidelitatis, atque adeo ſecundũ conſcientiam, iuxta illud Prouerb. cap. 5. *Fili mi ſpopondiſti: illaqueatus es verbo oris tui*. Imo etiam de iure canonico parit actionē in foro externo Cap. 1. *De pactis*.

An ſuperiores regulares maiores poſſint cogere minores, vt conſtituant vnum, aut alterum confeſſarium, qui abſoluat à reſeruatis in religione. Quæſt. 367.

S V M M A

1 *Superiores maiores poſſunt cogere minores, vt conſtituant vnum, aut alterum confeſſarium, qui abſoluat à reſeruatis.*

1 *Iuriſdictio Prælatorum regularium minorum ſubordinatur maioribus.*

1 *Voluntas Prælati inferioris alligata eſt voluntati maioris.*

2 *Superior Regularis poteſt diſponere de ijs, quæ pertinent ad arbitrium ſubditi.*

3 *Superiores maiores abſoluere poſſunt à reſeruatis minoribus.*

3 *Iuriſdictio conuenit minori non priuatiuè, ſed cumulatiuè reſpectu maioris.*

4 *Decretum Clementis VIII. de Caſib. reſer. non dat, ſed limitat facultatem reſeruandi caſus prælatis regularibus.*

1 POſſe *Superiores maiores cogere minores*, *vt conſtituant vnum aut alterum confeſſarium extāte rationabili cauſa, qui poſſit abſoluere a reſeruatis ipſi ſuperiori local.*, tenendum eſt, & ita de hoc conſultus reſpondidi. Ratio autem eſt, quia tota iuriſdictio ſuperiorum minorũ ſubordinata eſt ſuperioribus maioribus, & ab ipſis dependet, vt docent Suarez. *tom. 4. de relig lib. 2. de Religioſ. prælat. c. 2. num. 22.* Peirin. *tom. 2. priuileg. ad* Conſtit. 7. *Pauli V. nu.* 43. & *De prælat. relig. q. 1. cap. 4. §. 5. num.* 122. *in fine.* Lezana *to.* 1. *quæſt. Regular. cap. 18. num.* 87. & ego ipſe tradidi in *Deciſ. Moralibus*. *Deciſ.* 57. *num.* 8. Et proinde poteſt ipſam regulare, & dirigere iuxta exigentiam communis vtilitatis. Præſertim, quia ſtante voto obedientiæ voluntas Prælati inferioris alligata eſt voluntati Prælati maioris, & iura ipſius transfuſa ſunt in voluntatem maioris Prælati; ergo ſi ita res exigat, poterit maior prælatus cogere mino-

rem,

rem, vt conſtituat vnum, aut alterum confeſſarium, qui abſoluat à ſibi reſeruatis regulando hoc pacto auctoritatem, & iuriſdictionem ipſius.

2 Confir. Quia ſubditus ratione voti obedientiæ ſubditur Superiori, poteſt ſuperior diſponere de omnibus, quæ pertinent ad arbitrium ſubditi, ſiquidẽ per votum obedientiæ tranſtulit propriam voluntatem in manus ſuperioris, & poteſt ipſi præcipere, vt tali, vel tali pacto ſe gerat in ijs, quæ dependent ab arbitrio ipſius. Cum ergo etiam prælatus minor ratione voti obedientiæ ſit ſubditus maioris, & habeat propriã voluntatem trãſlatam in manus illius, poterit maior præcipere minori, vt hoc, vel illo pacto vtatur arbitrio ſuo, atque adeo iuriſdictione propria, niſi per ſpeciales conſtitutiones aliter cautũ ſit, & proinde quod conſtituat vnum, aut alterum confeſſarium cum facultate abſoluendi à reſeruatis.

3 Præterea Superiores maiores abſoluere poſſũt à reſeruatis ſuperioribus minoribus, vt tradunt loquentes de excommunicatione Couaruu. *De ſent. excom. par.* 1. *§.* 12. *num.* 3. Gyptius *De caſib. reſeruat. cap.* 15. *num.* 14. Vgolin. *De offic. & poteſt. Epiſc. cap.* 36. *num.* 1. ver. *Secundo.* Gambarupta De *caſib. reſeruat. part.* 1. *cap.* 4. *§.* 1. *num.* 1. Quia iuriſdictio côuenit inferiori non priuatiuè quò ad ſuperiorem, ſed cumulatiuè, vt notat Gloſ. *in Cap Cum ab Eccleſiar.* De *offic. ordinar.* Atque adeo poterunt etiam alteri talem facultatem delegare, ſicut Sũmus Põtifex delegare poteſt facultatẽ cuicũq; ſacerdoti, vt poſſit abſoluere ab ijs, quæ ſibi Epiſcopi reſeruant, & de facto delegat in conceſſione Iubilei cuicunque approbato ab Ordinario. Ergo poterunt etiam præcipere prælatis minoribus, vt tribuant vni, aut alteri facultatem abſoluendi à reſeruatis, quia prælati minores tenentur inſeruire maioribus in ordine ad finem recti regiminis, & in ordine ad media neceſſaria pro tali fine, & tanquam cauſæ ſubordinatæ tenentur cooperari ad eos effectus, quos per ſe poſſunt Prælati maiores inducere, quando iudicant expedire, quod inducantur per prælatos ſibi ſubordinatos.

4 Dices. prælati regulares minores, ſeu locales poſſunt ſibi reſeruare caſus ex ſpeciali decreto Clementis VIII. *edito anno* 1593. ergo cum ſibi reſeruent facultate Apoſtolica, non poterunt ſuperiores maiores circa reſeruationem iam factam ſe ingerere, & proinde, nec præcipere, vt concedant alicui facultatem abſoluẽdi ab ipſis. Reſp. In illo Decreto non concedi facultatem ſuperioribus localibus reſeruandi ſibi caſus, quia illam habent à iure, ſed talem facultatem reſtringi, ita vt nõ poſſint ſibi reſeruare, niſi caſus expreſſos in illo decreto; & proinde facultas reſeruandi, quam habent, relinquitur in ſua ſubordinatione ad prælatos maiores. Imo quod ſuperiores maiores ex rationabili cauſa faciant, aliquẽ deputari, qui abſoluat à reſeruatis, eſt iuxta mentem ipſius Pontificis in dicto Decreto, qui vult prudenter procedendum eſſe in tali reſeruatione, alioquin fieri poſſet, quod *Nonnullos infirmiores, qui interdum ſuperiori ſuo conſcientiæ maculas detegere formidant, adducere poſſet in æternæ damnationis periculum, & ſpiritualis remedij deſperationem.* Quare ſi ſuperiores maiores cognoſcant oriri aliquod incõueniẽs, ex mente ipſius Põtificis poterũt cogere prælatos minores, vt alicui delegent facultatem abſoluendi, ne cogantur ſubditi ſuperiorem adire, quando id ita egrè facerent, vt periculum aliquod ſpirituale in ipſis timeretur.

An legatus à latere non ſacerdos poſſit reconciliare Eccleſiam conſecratam. Quæſt. 368.

S V M M A

1 *Legatus à latere gerit vices Pontificis in prouincia.*

2 *Legatus à latere non ſacerdos tantũ poteſt in prouincia, quantum Epiſcopus in diœceſi.*

3 *Legatus à latere non ſacerdos non poteſt reconciliare Eccleſiam conſecratam.*

Recon-

2 *Reconciliatio Eccleſiæ conſecratæ eſt actus ordinis Epiſcopalis.*
3 *Poteſt à Papa delegari ſimplici ſacerdoti.*
3 *Reconciliatio Eccleſiæ licet non conſecratæ eſt actus ordinis.*
4 *Poteſtas legati eſt poteſtas iuriſdictionis.*

---

1 Affirmatiuè videtur reſpondẽdũ, quia in Prouincia gerit vices Summi Pontificis. Cap. *Cum non ignoretis.* De *offic. legat.* ibi. *Sicut qui in prouincia ſua vices noſtras gerere comprobatur.* Vnde colligunt communiter doctores, quod Legatus à latere tantum poteſt in prouincia, quantum poteſt Epiſcopus in Diœceſi. Ita Couaruu. *De ſponſ. lib. p. ar. 6. cap. 6. §. 10. nu. 11.* Gonzalez *ad Reg. 8. Cancel. Gloſ. 25. nu. 15.* Cuch. *lib. 2. Inſtit. maior. tit. 5. num. 83.* Garzias. *par. 1. de Beneſ. cap. 5. num. 283.* Mandoſ. *reg. 34. quæſt. 50. num. 5.* Henriquez. *lib. 12. Sum. cap. 3. init.* Sanchez *lib. 8. de matrim. diſp. 9. n. 25.* Riccius *in collect. par. 5. collect. 1974.*

2 At tenendum eſt. *Dictum legatum à latere non poſſe reconciliare Eccleſiam conſecratam.* Ratio autem eſt, quia recõciliatio Eccleſiæ iam cõſecratæ eſt functio ſpectans ad ordinem Epiſcopalẽ Cap. *Aqua.* De *conſecr. Eccleſ. vel alt.* vbi Gloſ. & alij, Sbroz *de offic. Vicar. lib. 2. quæſt. 10. num. 8.* Et proinde exercenda eſt per Epiſcopum, vt notant communiter ex dicto tex. Vgolin. *De poteſt. Epiſ. cap. 29. § 8. n. 1.* Azor. *par. 2. lib. 9. cap. 5. q. 3.* Miranda. *tom. 2. Manual. q. 39. ar. 8. concluſ. 2.* ita vt nõ poſſit ab Epiſcopo ſimplici ſacerdoti demandari, vt habetur in dicto Cap. *Aqua.* Sed ſolũ poſſit ſummus Pontifex hoc ſimplici ſacerdoti delegare, vt notant Gloſ. *in Cap. Quarto.* De *conſuet.* Bonac. *diſp. 3. de ſacram. quæſt. vnic. punc. 2. n. 3. ver. Dixi*, alios citans. Barboſa *De poteſt. Epiſ. alleg. 30. n. 4.* qui ſimiliter alios citat. Hieronim. Garzia. *in Sum. tr. 3. difficult. 8. dub. 2. punc. 5. n. 51.* Vgolin. *citato. §. n. 2.* Alterius *t. 2. de Cenſur. diſp. 3. cap. 4.* & conſtituit. S. Congreg. *in vna Placentina. 19. Maij 1607. apud Barboſ. De iure Eccleſ. lib. 2. cap. 14. n. 30.* Cum ergo legatus à latere careat non ſolum ordine Epiſcopa[illegible] d etiam ſacerdotali, nullatenus pote[illegible]cere [illegible]iones ordinis, cum penitus caicat poteſtate ordinis.

3 Ex quibus [illegible]quitur, quod neque poſſit reconciliare Eccleſiam pollutam, quamuis non ſit conſecrata, ſi quidem hæc quoque functio eſt actus ordinis, nõ iuriſdictionis, vt notant cõmuniter præſertim Abbas. *in Cap. Aqua. De conſecrat. Eccleſ. vel alt.* Sylueſter. *verbo.* Benedictio. *n. 3.* Quę autem ſunt ordinis, nequeunt [illegible]dminiſtrari per eum, qui non habet ordinem.

4 Neque obſtat, quod in oppoſitum allatum eſt, quia quando dicitur, quod Legatus de latere poteſt in prouincia totum id, quod poteſt Epiſcopus in diœceſi intelligitur quò ad ea, quæ ſunt iuriſdictionis, non quò ad ea, quæ ſunt ordinis; quia poteſtas legati eſt poteſtas iuriſdictionis, non autem poteſtas ordinis. Vnde quamuis ſit Epiſcopus, non exercet ea, quæ ſunt ordinis, vt ordinare, & alia huiuſmodi, ſed ſolum, quæ ſunt iuriſdictionis.

An ſufficiat ſi ſemel ab aliquo Ordinario Confeſſarius ſit approbatus pro Monialibus, vt ab ipſis poſſit eligi, quando habent facultatem eligendi. Quæſt. 369.

S V M M A.

1 *Specialis approbatio pro confeſſarijs monialium.*
2 *Confeſſarius eligendus virtute litterarum Pœnitentiariæ an toties, quoties approbandus.*
3 *Litteræ Pœnitentiariæ non ſunt fruſtratoriæ.*
4 *Pœnitentiaria tribuit facultatem confeſſario eligendo.*
4 *Qualitatem requiſitam ſufficit ſemel ineſſe, & permanere, ſi requiratur vt fundamentũ.*
5 *Cõfeſſarius eligendus ex vi litterarum pœnitentiariæ, à quo ordinario debeat eſſe approbatus.*
6 *Quando venit in conſiderationem effectus nõ curan.*

curandum de modo, & cauſis, quibus inducitur.
7 *Doctoratus, & approbatio ordinarij in Litteris pœnitentiariæ eodem iure cenſentur.*
8 *Oratio indefinita in quacunque diſpoſitione æquiualet uniuerſali.*
9 *Non approbare, & denegare licentiam audiendi confeſſiones ſunt diuerſa.*
9 *Approbatus pro uno monaſterio eur non poſſit audire confeſſiones monialium alterius monaſterÿ.*

1 IN litteris Pœnitentiariæ ſolet con-cedi facultas monialibus eligendi pro ſe confeſſarium ad beneplacitũ ſuũ, dummodo ſit ex approbatis ab Ordinario pro ipſis monialibus; modo dubitatur, an debeat eſſe approbatus ob Ordinario præſenti, an verò ſufficiat, quod ſemel fuerit ab aliquo approbatus. Quod enim pro cõfeſſoribus monialium requiratur ſpecialis approbatio Ordinariorũ de iure nouo, decretum eſt à Greg. XV. *in ſua Conſtitutione Inſcrutabili §. 4. edita Non. Febr. 1622. quæ eſt. 19. in ordine to. 4. Bullar.* Quod procedit etiam quò ad Monialis exemptas. Et proinde S. Congregatio, vt habetur poſt dictam Bullam in Bullar. *in reſp. ad 9. dub.* declarauit. *Regulares generaliter ab Epiſcopo approbatos ad confeſſiones perſonarum ſæcularium audiendas, nequaquam cenſeri approbatos ad audiendas confeſſiones monialium, ſed egere quò ad hoc ſpeciali Epiſcopi approbatione.* Vnde difficultas eſt, an quando Monialis poteſt eligere confeſſarium, requiratur approbatio toties, quoties eſt eligendus, an verò ſufficiat, quod ſemel ab alio prædeceſſore ſit approbatus.

2 Quod autem toties, quoties eſt eligendus requiratur approbatio Ordinarij, videtur ſentire Pellizzarius. *tract. de Monialib. tract. 10. ſect. 3. ſubſect. 2. n. 253. & 258.* Quia eo ipſo, quod denegat, non approbat. Et quia ex declaratione. S. Congregationis, quæ habetur poſt dictã Bullam *Inſcrutabili* Gregorij XV. non poteſt Confeſſarius approbatus pro vna vice, pluries in vim talis approbationis monialium confeſſiones audire.

3 Verum ſi hæc doctrina ſubſiſteret, ſequeretur, quod fruſtatoriȩ eſſent facultates omnes, quæ à S. Pœnitẽtiaria cõceduntur monialibus, vt poſſint pro vnica vice eligere confeſſarium, ſiquidem ſi eſſet approbandus de nouo ab Ordinario, conceſſio dependeret ab ipſo, & idem eſſet, ac ſi monialis nullam obtinuiſſet facultatem, ſed illam peteret ab Epiſcopo. Vnde tenendum eſt, *Quod ſufficiat, ſi ſemel ab ipſo Ordinario, vel ab alio prædeceſſore ſit approbatus pro audiendis confeſſionibus monialium.*

4 Ratio autem eſt, quia quando Pœnitentiaria concedit facultatem eligendi Confeſſarium, ipſa tribuit iuriſdictionem in foro pœnitentiali, & ſolum requirit approbationem ab Ordinario tanquã qualitatem, in qua ratione idoneitatis, fundet ſuam deputationem, ſeu delegationem; & ideo requirit, quod ſit approbatus, non autem, quod ſit approbandus. Quando autem requiritur in perſona aliqua qualitas, ſufficit, ſemel illam habuiſſe, iuxta *l. Peto. §. Fratre. in fine. ff. De legat. 2.* & per ea, quæ tradunt Alexan. *Conſil. 22. & Conſil. 26. lib. 3.* Dec. *conſil. 38. num. . . . .* Menoch. *Conſil. 106. n. 27.* Et quod permaneat, quando actus ad effectum perducitur, ſi requiratur per modum fundamenti, vt notat Bald. *in l. Humanitatis. num. 28.* ver. *Quandoque C. De impuber. & alijs ſubſt.* Et per ea, quæ tradunt Caſtrenſ. *Conſil. 174.* ver. *Ad ſecundum. lib. 2.* Alex. *Conſil. 4. lib. 4.* Socin. ſen. *Conſil. 38. lib. 3.* Tiraquel. *De iure primog. q. 40. n. 159.* Quia autem approbatio continet declarationem idoneitatis, ſi ſemel ſit facta, habet eſſe permanens; & ideo ſi cõfeſſarius ſemel approbatus eſt, ineſt ipſi continuò qualitas approbationis, & ideo eligi poteſt in virtute facultatis obtentæ à pœnitentiaria.

5 Sed an debeat confeſſarius eligendus eſſe approbatus ab Ordinario loci; in quo eligendus eſt, an verò ſufficiat, quòd ſit approbatus ab Ordinario alterius loci meritò dubitari poteſt ob diuerſas opiniones, quȩ circumferuntur de confeſſario eligendo in virtute iubilei, vel Bullæ cruciatȩ. Quibus omiſſis probabilius puto, quod ſufficiat approbatio ſemel obtẽta à

ta à quocunque Ordinario, ſiue in Diœceſi, vbi facienda eſt electio, ſiue in quacunq; alia Diœceſi, quod tradũt loquentes de approbatione pro confeſſario eligendo in virtute iubilei, vel Bullę cruciatæ Henriquez *lib.3. de pœnit. cap.6. nu.7. & lib.7. de Indulgent. cap.12. n.4.* Ledeſma *part.1. Sum. cap.13. de pœnit. dub.7.* Viual. *in Candel.* Tit. *De confeſ. num.21.* Nugn. *3. par. in ſupplem. quaſt.8. ar.5. dub.9.* Gomez *in Bullam Cruciatę clauſ. 10. num.8.* Portel. *in Rub. Regularib. verbo.* Confeſſor *regul. n.4.* Llamas *par.1. Methodi. cap.6. §.6.* Du Fai *De pœnit. quaſt.8. ar.5. diſp.3. concluſ.4.* Fernandez *part. 3. Examin. theol. moral. cap. 9. §.8. num. 4. & 5.* Coninch. *Diſp.8. de pœnit. dub.7. nu.53.* Reginal. *lib. 6. Praxis fori pœnit. cap.16. quaſt.4. n.188.* Filliuc. *tract.7. cap.9. n.262.* Io. à Cruce *par.2. Direct. conſcien. q.5. de pœnit. dub.9. concluſ.2.* Corduba *q.10. ſum. dub.2.* Ortiz *in Sum. precept.3.* Medina *1.2. quaſt.19. art.6.* Valer. *De different. vtriuſq; fori. verbo.* Abſolutio *differ. 1. n.11.* Merol. *tom.3. Theolog. moral. diſp.6. cap.2. n.75.*

6 Ratio aut eſt, quia approbatio non requiritur in ordine ad aliquam iuriſdictionem exercendam, ſed merè tanquam qualitas qualificans confeſſarium eligẽdum, ſi quidem tota iuriſdictio confertur ab ipſa pœnitentiaria; ergo ſufficit, quod talis qualitas per quãcunque cauſam inſit, atque adeo quod approbatio ſit facta à quocunque Ordinario, cum non ſit aliud, quàm declaratio quædam idoneitatis, ſi quidem attenditur qualitas eligendi, non autem cauſa qualitatis. Quando namq; venit in conſideratione ipſe effectus, non curandum eſt de modo, & cauſis, quibus inducitur. *l. Cum ſeruus. ff.* De *verbor. oblig.* vbi Doctores. Socin. ſen. *Conſ.259. poſt init lib.2.* Gram. *Deciſ.36. num.75.* Bald. *in l.3. C.* De *inſtit. & ſubſtit.* Tuſch. *littera E concluſ.51.*

7 Accedit eriã, quod in Litteris pœnitentiarię eodem modo requiritur qualitas Doctoratus, vel in ſacra theologia, vel in ſacris canonibus, ſicut requiritur qualitas approbationis, nam requirũtur hæ duæ qualitates copulatiuè. Ergo ſicut ſufficit, quod ſemel confeſſarius eligendus ſit doctoratus in quacunq; vniuerſitate, aut à quocunque, qui habeat ius doctorandi; ita etiam ſufficiet, quod à quocunque ordinario ſit approbatus, cum quilibet ordinarius habeat ius approbãdi. Hæ enim qualitates correſpectiuę ſunt; & proinde eodem iure cenſentur. *l. Etiam. §. Ex cauſa. ff.* De *minorib.* & notat Crau. *Conſil.16. n.4.* & *Conſ.246. n.3. & 4.* ita vt quod vni ineſt, cenſeatur etiam alteri ineſſe, vt tradunt Bald *Conſil.317. per totum. lib. 3.* Tuſch. *Littera C. Concluſ.1043. nu.4.* Rota *Deciſ.323. n.86. par.6. diuerſ.*

8 Denique in litteris pœnitentiariæ ponitur indefinitè Ex approbatis ab Ordinario; nec aliquid additur, quod coarctet ad hunc, vel illum Ordinarium; & proinde debet intelligi vniuerſaliter de quocunque Ordinario, ſiue huius, ſiue illius diœceſis, quia Oratio indefinita in quacunque diſpoſitione æquiualet vniuerſali *l. Si ſeruitus. ff.* De *ſeruit. vrb. prӕd.* & *l. Si plures. ff.* De *leg. 3.* & Cap. *Solitæ.* De *maior. & obedient.* & Cap. *Quia circa.* De *priuileg.* & notant Fulgoſ. *Conſil.130. n.1.* Alex. *Conſil.36. n 8. lib.2.* Surd. *Conſ. 430. n 24.* & *Conſil 470. n.6.* & *Deciſ.188. num. 4.* Maſcar. *de probat. Concluſ.1181. num 38.* Oſaſch. *Deciſ. Pedemon. 168. n.21.* Rota *Deciſ.426. nu.6. par.3. Recent. apud Farinac.* & communiter *in l. Si pluribus. ff.* De *leg.2.*

9 Neque obſtat, quod *nu.2.* in oppoſitum allatũ eſt. Nã falſũ eſt, quod Ordinarius denegans licentiam, non approbet, quia denegare li cẽtiam eſt opus voluntatis, non approbare autem pertinet ad iudicium intellectus, cum conſiſtat in eo, quod aliquis iudicetur idoneus. Deinde nõ ſumus in caſu, quod Ordinarius deneget licentiam; ſed in caſu, in quo requiritur qualitas præexiſtentis approbationis. Neque ſacra Congregatio oppoſitum declarauit, ſed ſolum, vt habetur in citatis declarationibus *ad 19. dub.* Quod Regularis ad audiendas cõfeſſiones monialium vnius monaſterij ab Epiſcopo approbatus minimè poſſit audire confeſſiones Monialium alterius monaſterij: Quia nimirum non ſufficit ap-

pro-

probatio, ſed inſuper requiritur iuriſdictio, quã ordinarius non cenſetur concedere, quando approbat, abſolutè, ſed ſolum pro illo monaſterio.

An Confeſſarius electus à Moniali tempore Iubilei, ſed in virtute Litterarum Pœnitentiariæ, poſſit vti cum dicta moniali tota facultate, quam concedit Iubileum. Quæſt. 370.

S V M M A.

1 *Ratio dubitandi.*

2 *Confeſſarius electus a moniali virtute litterarum pœnitentiariæ, ſi poteſt eligere virtute iubilei, poteſt vti facultate conceſſa in iubileo.*

3 *Confeſſarius electus vigore litterarum Pœnitentiariæ, poteſt vti facultate conceſſa in iubileo tempore iubilei.*

4 *Qui ſe iudici ſubdit, prorogat iuriſdictionem ipſius de habitu ad actum.*

1 Fieri poteſt, quod tempore Iubilei nolit Ordinarius concedere facultatem monialibus eligendi confeſſarium, quem libuerit ex aliàs approbatis pro monialibus, ſed coarctet electionem ad tres, vel quattuor, quodan ei liceat, modo non inquiritur. E contra autem monialis volens eligere confeſſarium ſibi benè viſum, obtineat pro hoc facultatem à S. Pœnitentiaria. dubitatur modo, an confeſſarius ſic electus poſſit vti facultate, quæ in Iubileo conceditur. Et ratio dubitandi eſt, quia non eligitur in virtute Iubilei, ſed Litterarum pœnitentiatiæ, quæ non concedunt totã illã facultatẽ, quæ ſolet cõcedi in Iubileo.

2 In hac autem difficultate hoc certum eſt, quod ſi non obſtante reſtrictione facta ab Ordinario ad duos, vel tres confeſſarios, poteſt monialis in virtute facultatis, quæ regularibus conceditur in Iubileo, eligere quemcunque approbatũ ab Ordinario, poterit confeſſarius omni facultate vti, quæ conceditur in Iubileo, quia electio cenſetur facta non ſolum in virtute Litterarum pœnitentiariæ, ſed etiam ipſius iubilei. Coarctatio namque facta ab Ordinario *eſt nulla*, vt pote cõtra conceſſionem Pontificis; & litteræ Pœnitentiariæ ſolum inſeruient, vt in foro externo occurratur Ordinario, ſi prohibere vellet talem electionem. Dummodo tamen monialis acceptet Iubileũ, & exequatur opera iniuncta.

3 Præſcindendo tamen ab hoc, adhuc exiſtimo, *quod poſſit confeſſarius vti cum tali moniali tota facultate, quę in iubileo conceditur, tàm in ordine ad abſoluendum, quàm in ordine ad commutandum*: Ratio autem eſt, quia quamuis talis facultas concedatur in fauorem pœnitentiũ exequentium opera iniuncta, eſt tamen conceſſa confeſſario, ſiquidem eſt facultas in ordine ad miniſtrandum ſacramẽtum pœnitentię, & proinde quilibet cõfeſſarius eo ipſo, quod promulgatur Iubileum ſtante approbatione ordinarij, acquirit talem facultatem exercendam in omnes, quia ſe illi ſubijcient in ordine ad lucrandum Iubileum. In Iubileo namque duo conceduntur & facultas eligendi confeſſariũ, & hęc ſpectat ad pœnitentem; & facultas abſoluendi, & commutandi &c. & hæc pertinet ad Confeſſarium, vt conſtat ex tenore Bullarum. ibi *Vt ſibi ad hunc effectum eligere poſſint, quemcunque præsbiterum confeſſarium tàm ſæcularem &c.* Deinde huic præsbitero tribuitur facultas abſoluẽdi &c. *Qui eos ab omnibus excommunicationis, ſuſpenſionis, & alijs eccleſiaſticis ſententijs, & cēſuris &c. abſoluere, & liberare valeat.* Cũ ergo facultas ſit conceſſa confeſſario, & monialis in virtute litterarum Pœnitentiatię ſe illi ſubijcere poſſit in ordine ad ſacramentalem confeſſionẽ, poterit confeſſarius vti tota facultate, quàm pro illo tempore habet, exequente moniali opera iniuncta in Bulla Iubilei,

4 Præterea. Quando quis poteſt ſe ſubijcere alicui iudici; præſertim in ordine ad iuriſdictionem voluntariam, etiam iudex poteſt in ipsũ exercere totam ſuã iuriſdictionem quò ad omnes effectus, quos poteſt cauſare. Cum enim habeat iuriſdictionem in habitu. eo ipſo, quod quis ipſum adit, & ei ſe ſubijcit, prorogat iuriſdictionem ipſius de habitu ad actũ,

vt in ſimili habet Pirrus Alphan. *in Rubr. ff. De offic. eius &c. num.* 25. Per voluntariam namque ſubiectionem prorogatur iuriſdictio iudicis iuxta *l.* 1. & 2. *ff.* De iudic, et *l. Si cõuenerit. ff.* De *iuriſd. om. iud* Cũ igitur Monialis in virtute litterarum Pœnitẽtiariæ habeat facultatẽ ſe ſubijciẽdi tali confeſſario in ordine ad ſacramẽtum pœnitentiæ, & ad alios effectus annexos, eo ipſo, quod ſed illi ſubijciet, prorogabir de habitu ad actum iuriſdictionem, quam habet in vigore Iubilei, & proinde poterir circa ipſam illa vti.

An Epiſcopus concedre poſſit licentiam celebrandi in Eccleſia polluta. Quæſt. 371.

S V M M A

1 *Epiſcopus an concedere poſſit, vt celebretur in Eccleſia polluta.*
2 *Pollutio ponit obicem, ne poſſit celebrari in Eccleſia.*
3 *Celebrari poteſt, vbi Epiſcopus conceſſerit.*
4 *Præceptum celebrandi præualet pollutioni Eccleſiæ.*
5 *Epiſcopus quando poſſit concedere, vt celebretur in Eccleſia polluta.*
6 *Cauſa feſti ſolemnis an ſit ſufficiens, vt poſſit Epiſcopus concedere celebrationem in Eccleſia polluta.*
7 *An poſſit cebrari in Eccleſia polluta pro miniſtrando viatico.*
8 *An poſſit celebrari ex cauſa in Eccleſia polluta, ſi non poſſit adiri Epiſcopus.*

1 COmmuniter docent, quod poteſt Epiſcopus concedere facultatẽ ex rationabili cauſa, quod celebretur in Eccleſia polluta. Quod tunc contingere poteſt, quando Eccleſia eſt iam conſecrata, nam tunc Eccleſia non poteſt reconciliari, niſi per Epiſcopum, qui fieri poteſt, quod non poſſit tunc hanc functionem implere; nam ſi tantum ſit benedictæ, poteſt tunc à quocunque ſimplici ſacerdote rebenedici. Ita Suarez *diſp* 81. *de Sacram. ſect.* 4. *circa fin.* Facundez *in* 1. *Præcep. Eccleſ. par.* 1. *lib.* 3. *cap.* 14. *nu.* 2. Henriquez *lib.* 9. *de miſſa. cap.* 27. *nu.* 7. Sotus *in* 4. *diſt.* 13. *q.* 2. *ar.* 3. ver. *Tertio nihilominus.* Ledeſma *par.* 1. *Sum. tract. de Euchar. cap.* 20. *dub.* 1. *poſt concluſ.* ver. *A eſta duda.* Marchin. *De ſacram. ordin. tract.* 5. *par* 3. *cap.* 10. *num.* 2. Barboſa *De poteſt. Epiſcopi. allegat.* 28. *num.* 61. & 62. Hieronim. Garzia *in Sum. mor. tract.* 3. *difficul.* 8. *dub.* 2. *punct.* 4. *num.* 48. & alij cum D. Th. 3. *par. quæſt.* 83. *ar.* 3. *ad* 2.

2 Aſſignant autem rationem. Quia Epiſcopus ex rationabili cauſa poteſt dare licentiam celebrandi in loco non cõſecrato, ergo multo magis in eo, qui per pollutionem amiſit quodam modo conſecrationem. Cuius tamen argumenti conſequentia nullo modo tenet, cum ſit diuerſa ratio de loco non conſecrato, & conſecrato polluto. Locus enim non conſecratus non habet poſitiuum obicẽ, vt in ipſo celebretur, ſed merè negatiuè ſe habet; & conſecratus, & pollutus habet poſitiuum obicem, quia per ſacros canones decernitur, quod pollutio impediat celebrationem, Cap. *Propoſuiſti.* De *conſecrat. Eccleſ. vel altar.* Vnde ſicut nõ valet, Epiſcopus poteſt ordinare quemlibet non ordinatum, ergo poteſt ordinare etiam irregularem, quia ſit tranſitus ab eo, qui non habet aliquod impedimẽtum canonicum, ad eum, qui, habet. ita nec in caſu præſenti.

3 Vnde corruit etiam ratio, quam affert Facundez *in præcep.* 1. *Eccleſ. lib.* 3. *cap.* 14. *num.* 2. quod nimirum licet celebrare, vbi Epiſcopus permiſerit Cap. *Miſſarum.* De *conſecrat. Diſt.* 1. vel vbi conceſſerit. Cap. *Hic ergo. eodem tit.* Nam ſi hoc valeret, ſequeretur, quod etiam abſque cauſa permittente Epiſcopo poſſet celebrari in Eccleſia polluta, ſicut poteſt celebrari in quocunque loco nõ deputato iuxta ſacros canones, quamuis non iuxta ius nouũ. Vnde dicti canones procedunt de quocunque loco, qui non ſit impeditus canonico impedimento.

4 Vera ergo ratio eſt, quæ etiam præſcribit menſuram conceſſionis huiuſmodi, & terminos, ad quos poteſt extendi.

di. Quia concurrente maiori, & minori præcepto, debet cedere minus, & ſeruari maius. In caſu autem noſtro concurrit præceptum audiendi miſſam, quod eſt præceptum religionis reſpiciens cultum diuinum, atque adeo importat obligationem diuinam naturalem determinatam ab Eccleſia ad tale tempus, & præceptum eccleſiaſticum humanum, ergo tanquam præceptum inferioris ordinis debet cedere præcepto de cultu diuino mediante ſacrificio; & proinde ita exigente cultu diuino poterit Epiſcopus cō cedere licentiam celebrandi in Eccleſia polluta declarando mediante tali conceſſione, quod inferius præceptum cedat ſuperiori.

5 Ex his colligitur, quod poterit Epiſcopus cōcedere licentiā celebrādi in Eccleſia polluta, quādo in illo loco non eſt alia Eccleſia, & vrget præceptū audiendi miſſam. tunc enim fit concurſus vtriuſque præcepti, & proinde minus debet cedere maiori. Et quamuis excuſentur populi ab audienda miſſa, ſi in illo oppido non celebretur; adhuc tamen verum eſt, quod non exhibeatur cultus Deo, qui aliàs ex præcepto exhibendus eſſet: vnde vt exhibeatur, debet cedere præceptū inferioris ordinis, & impleri præceptum ordinis ſuperioris.

6 Secundo colligitur. Quod ſi contingat, Eccleſiam eſſe pollutam tempore alicuius feſti ſolemnis, in quo Eccleſia magno concurſu populorum ſoleat frequentari ob aliquam peculiarem deuotionem, nec poſſit pro illa die reconciliari, poterit Epiſcopus concedere licētiam, vt in ipſa celebretur, quia licet non concurrat præceptum, concurrit tamen cultus aliquis ſpecialis, qui tanquam continens maius bonum intra latitudinem religionis, debet præferri præcepto eccleſiaſtico de non celebrando in Eccleſia polluta.

7 Tertiò colligitur. Poſſe celebrari in Eccleſia polluta pro miniſtrando viatico alicui infirmo, vt notat etiam Marchin. *De ſacramento ordinis tract. 3. par. 3. cap. 10. num. 4.* Quod tamen debet intelligi, ſi aliunde non poſſet haberi Euchariſtia miniſtranda. In tali enim caſu præceptū ſumendi euchariſtiam concurrit cum præcepto non celebrādi in Eccleſia polluta: vnde cum ſit præceptum ſuperioris ordinis, vt pote diuinum, & eius obſeruantia valde proficua ſit, debet præualere contra præceptum non celebrandi in Eccleſia polluta.

8 Quartò colligitur, vt notant etiam Suarez *De Sacram. Euch. diſp.* 81. *ſect.* 4. ver *His poſitis.* Facundez *in 1. Præcep. Eccleſ. lib.* 3. *Cap.* 14. *num.* 2. Hieronim. Garzia *in Sum. moral. tract.* 3. *difficul.* 8. *dub.* 2. *pūc.* 4 *num.* 48. Poſſe etiam abſque licentia Epiſcopi celebrari in Eccleſia polluta, ſi nimirum difficile ſit adire Epiſcopum, & aliàs vrgeat neceſſitas celebrandi. Cū enim, vt dictum eſt, cedat præceptum eccleſiaſticum non celebrandi in Eccleſia polluta, quando concurrit præceptū maius, nō eſt neceſſaria diſpenſatio, quæ requirat iuriſdictionem ſuperioris, ſed ſola declaratio, quod ceſſet prohibitio in tali caſu, quod præſtat Epiſcopus cōcedendo licentiam. Quando ergo non patet aditus ad Epiſcopum, & aliàs conſtat de concurſu maioris præcepti, poterit abſque alia declaratione celebrari, quia iam ceſſauit prohibitio.

An ſemel examinatus pro vno beneficio poſſit iterum examinari, ſi ad aliud ſit promouendus. Quæſt. 372.

S V M M A.

1 *Semel examinatus pro vno beneficio, an iterū examinandus, ſi promoueatur ad aliud. & num. ſequen.*
3 *Parochus, qui aſſumitur ad aliam parochialem iterum examinandus ex declaratione S. Congregat.*
4 *Finis examinis.*
5 *Approbatio vniuerſalis, et approbatio in ordine ad aliquem effectum, in quo differant.*
6 *Promotus quatenus præſumatur idoneus.*

1 NOn eſſe iterum examinandum, qui ſemel examinatus, & ap-

probatus fuit, ſi ad nouum beneficium promoueatur, tradunt Gloſa *in Cap. Accepimus.* verbo *Reputare*. De *ætate*; *& qualit. &c.* per illum textum. Paleotus *Deciſ.* 83. Caputaquenſ. *Deciſ.* 367. *lib.* 2. Rota *Deciſ.* 660. *num.* 6. *par.* 4. *Recentior.* Quia cum approbatio in vigore examinis declaret idoneitantem, remanet approbatus ſemper affectus qualitate idoneitatis; ſicut qui ſemel doctoratus eſt, ſemper tanquam doctor admittitur. Cuius rei ratio eſt, quia approbatio facta in virtute examinis, habet vim ſententiæ; vnde idoneitas tranſit in rem iudicatam.

2 Oppoſitum tenent Felin. *in Cap. Ex litteris. num.* 7. De *conſtit.* Oldrad. *Conſil.* 18. Campanil. *in Diuer. iur.* Rub. 5. *cap.* 3. *num.* 8. Seraphin. *Deciſ.* 1323. *in fine.* vbi antea citat Rotam idem tradentem in *Calaguritana coram Pamphilio* 1587. & addit, hoc habere locum per Concil. Tridentinum iuxta declarationẽ S. Cõgregationis. Et quando ad beneficium ſuperius fit promotio, aut ad ſimile, ſed in loco ampliori, aut nobiliori, aut quando minus idoneus repertus fuit priori ex anime, aut creditur poſt examen negligentem in ſtudio ſe geſiſſe, tradunt Azor *par.* 2. *lib.* 6. *cap.* 6. *quæſt.* 9. Barboſa *De poteſt. Epiſcop. alleg.* 60. *num.* 90. *&* 91.

3 Hæc *poſterior ſententia tenenda eſt, tanquam ea, quæ habet fundamentum in diſpoſitione Concilij Tridentini. ſeſſ.* 24. *cap. cap.* 18. *De reformat.* vbi ſtatuitur, quod ſemper omnes Parochiales Eccleſiæ cõferantur per concurſum. & proinde qui examinatus eſt, imo & qui obtinuit aliã parochialem, ſi vult aſſumi ad aliam, debet iterum examinari, vt declarauit S. Congregatio Concilij *die* 14. *Iulij.* 1594. apud Gallemart. *Ad dict. cap.* 18. *Seſſ.* 24. Si autem examinatus non deberet iterũ examinari, qui iam obtinuit Parochialẽ, deberet abſque alio examine, & concurſu reponi inter idoneos, ex quibus ab Epiſcopo magis idoneos aſſumatur. Imo etiam, quando Parochialis nõ confertur per concurſum, vt quando eſt iuſpatronatus laicorum, adhuc tamen, qui præſentatur, eſt examinandus, vt eadem S. Congregatio declarauit, vt habetur eodem loco.

4 Ratio autem eſt. Quia examen ordinatur ad explorandam ſcientiam, & habilitatẽ in ordine ad illud munus, pro quo quis examinatur, atque adeo in ordine ad informationem illius, qui debet examinandum aſſumere, vnde eſt actio quædam priuata ordinata ad priuatam informationem illorum, qui certificandi ſunt de idoneitate perſonarum; ergo qui ſemel examinatus debet de nouo promoueri, debet adhuc examinari, niſi aliàs promotor notitiam habeat de illius ſufficientia, vt certificetur de idoneitate promouendi.

5 Neque obſtat, quod *num.* 1. in oppoſitum allatum eſt, quia eſt diuerſa ratio de approbatione, quæ fit in ordine ad aliquem ſingularem effectum; & de approbatione vniuerſali, qualis eſt illa, quæ fit in doctoratu. Prior approbatio operatur tantum in ordine ad illũ effectum, ad quem ordinatur, quia eſt reſtricta ad ipſum, cum exploretur idoneitas, quatenus neceſſaria pro ipſo, & ideo approbatus remanet affectus qualitate idoneitatis, non vniuerſaliter, ſed limitato modo quò ad particularem effectum. Approbatio verò veniuerſalis, cum non ſit limitata ordine ad aliquem effectum obtinendum, ſed declaret ſimpliciter, & abſolutè idoneitatem, eſt approbatio in ordine ad omnes, & tribuit abſolutè, & ſimpliciter qualitatem idoneitatis, & ideo tenentur omnes eum pro tali habere.

6 Nec itera obſtat tex. Cap. *Accepimus.* De *ætat. & qualit.* Quia ex eo ſolum colligitur, quod qui promouetur, præſumitur idoneus apud promouentẽ, ita vt non poſſit poſtea vti exceptione idoneitatis; non autem, quod talis habendus ſit apud omnes. Vnde ad ſummum colligitur, quod examinatus, & approbatus ab aliquo pro aliquo beneficio, aut aliquo munere exercendo, non poſſit amplius examinari, niſi iuxta de cauſa de nouo ſuperueniente, in ordine

ad

ad idem beneficium aut murius exercendum: non autem in ordine ad aliud.

An nouus Epiſcopus poſſit examinare Parochos ſuæ Diœceſis. Quæſt. 373:

S V M M A.

1 *Eò ipſo, quod quis obtinet parochiale beneficium cenſetur idoneus de iure. & n°5.*
2 *Nouus Epiſcopus poteſt examinare parochos.*
3 *Epiſcopi munus.*
4 *Epiſcopus deputat coadiutores, aut Vicarios pro parochis illiteratis.*
3 *Quid decernat Concil. Trident ſeſſ. 23. cap. 15. circa Parochos.*

1 NEgatiuè videtur reſpōdendum, quia eo ipſo, quod òbtinet parochiale beneficium, cenſetur idoneus, vt decernit Concilium Tridenr. *ſeſſ.* 23. *cap.* 15. *de reformat.* vnde cum non ſit opus approbatione aliqua, & præſumptio idoneiratis ſtet pro ipſis, quæ eſt præsūptio iuris, & de iure, non poterit nouus Epiſcopus eos ad examen vocare. Confir. Examē eſt neceſſarium pro approbatione, & declaratione idoneitatis; ergo cum eo ipſo, quodquis obtinet parochiale beneficium, habeatur de iure pro idoneo ex citaro loco Concil. Trident. non poterit de nouo vocari ad examen pro experienda ipſius idoneitate.

2 Hoc tamen non obſtante reſoluendum eſt. *Poſſe nouum Epiſcopum vocare ad examen Parochos omnes, & facere experimentum de ipſorum idoneitate.* Ita deſumitur ex Nauar. *Conſil.* 4. *De tempor. ordin. in antiquis, & in nouis Conſil.* 8. *De priuileg.* Sayr. *Deciſ.* 5. *De tempor. & qualit.* Barboſa *De poteſt. Epiſc. allegat.* 74 *num.* 19. Io. Sanchez *in Select. De ſacram. diſp.* 50. *num.* 11. vbi vult, Epiſcopum eumdem hoc ipſum pluries præſtare poſſe.

3 Ratio autē eſt, quia Epiſcopus tenetur ex munere curare, vt rectè Eccleſia adminiſtretur, & ad cuncta ſuæ diœceſis inſpicere, vt rectè procedant, & oues propriæ rectè paſcantur; vnde dicitur Speculator. Cap. *Cleros* §. *Epiſcopus. Diſt.* 21. & ſuperintendens, quia circa omnia ſuperintendere debet Cap. *Qui Epiſcopum.* 8. *Quæſt.* 1. & notant Germon. *De ſacror. immunit. lib.* 3. *cap.* 8. Duran. *in Ration. diuinor. offic. lib.* 2. *cap.* 11. *num.* 1. Gonzalez *ad Reg.* 1. *Cancel. gloſ.* 42. *num.* 18. Hieron. Gigas. *De reſid. Epiſcop. Cap.* 1. *nu.* 1. Guerrer. *in Speculo. ver. Pontif. lib.* 1. *cap.* 4. & docent D. Ambroſ. *De dignit. ſacerd. cap.* 6. D. Auguſt. *in Pſal.* 126. ergo tenetur etiam curare, & inſpicere, quod Parochi rectè munus proprium adminiſtrent. hoc autē præſtare non poteſt, niſi habeat notitiā de ipſorum idoneitate; & proinde poteſt eos ad examen vocare, vt hanc notitiam pro quiete ſuæ conſcientiæ acquirat.

4 Confir. Epiſcopus per conſtitutionem Concil. Tridentini *Seſſ.* 21. *cap.* 6. *De reformat.* tanquam Apoſtolicæ ſedis delegatus habet facultatem deputandi Coadiutores, aut Vicarios pro tempore Parochis illiteratis. Hoc autem non poteſt exequutioni mandare, niſi perpēdat neceſſitatem, atque adeo niſi notitiam habeat idoneitatis, vel inſufficientię; ergo cum talis notitia ſit ipſi neceſſaria in ordine ad munus ſibi impoſitum exercēdum; habet etiam facultatem ad media neceſſaria pro tali notitia acquirenda; medium autem neceſſariū eſt examen.

5 Nec obſtat, quod *num.* 1. in oppoſitum allatum eſt. nam Concil. Tridenr. ibi citatum, non prohibet Epiſcopis, vocare Parochos ad examen; ſed ſolum vult, quod ſtante cura animarm, quam exercent, habeantur pro idoneis ad audiendas confeſſiones, quia aliàs ſupponit, quod habeant neceſſaria requiſita pro illa exercenda: non autem decernit, quod eo ipſo, quod obtinent curam animarum, habeant alia requiſita; aut ſi habuerunt, cum ipſis perſeuerauerint, aliàs non decreuiſſet, vt illiteratis dentur coadiutores. Vnde an habeant huiuſmodi requiſita, aut cū ipſis perſeuerent, pertinet ad Epiſcopos explorare. Quare præſumptio de ipſorum idoneitate non

conſurgit ex eo ſolum, quod habeant cu ram animarum, ſed etiā ex eo, quod habeant debita requiſita pro illa exercenda. Hinc etiam ſolutum manet, quod in confir. vrgetur. Nam parochus non habetur de iure pro idoneo, niſi cum depẽdentia ab approbatione ſui Ordinarij, atque adeo cum ipſius notitia de idoneitate; vnde vt habeatur pro idoneo de iure adueniente nouo Epiſcopo, debet Epiſcopus acquirere notitiam de ipſius idoneitate.

An Epiſcopus poſſit pluries Parochos examinare. Quæſt. 374.

S V M M A.

1 *Parochorum approbatio an à iure.*
2 *Epiſcopus an poſſit pluries parochos ad examen vocare.*
3 *Vocare poteſt, quos putat inſufficientes.*
4 *An etiam omnes.*
4 *Approbatio dat ius approbato quò ad idoneitatem.*
5 *Approbatio habet vim ſententiæ.*
5 *Publica vtilitas, quando ſit cauſa ſufficiens auferendi priuatis ius ſuum.*
6 *Epiſcopus tenetur curare, vt cura animarum rectè procedat.*
6 *Poteſt in viſitatione explorare ſufficientiam parochorum.*

1 APprobationem Parochorum eſſe à iure, docent Henriquez *lib. 6. ſum. cap. 6. num. 6.* Vaſquez *3. par. quæſt. 93. ar. 3. dub. 5. n. 1.* Ochagauia *De ſacram. tract. 2. de Confeſſ. quæſt. 40. num. 7.* Suarez *De pœnit. diſp. 18. ſect. 2. & 8.* Beneuent. *in praxi De ſacram. pœnit. Quæſitò 2 ver. Quintò ſi vero.* Reginal. *lib. 1. Praxis fori pœnit. num. 201.* Barboſa *de poteſt. Epiſcopi alleg. 25. num. 23.* Et proinde inferunt, talem approbationem non poſſe reuocari ab Epiſcopo. Vnde ſecundum hos Doctores, videtur dicendum, quod non poſſit Epiſcopus Parochos ad examen vocare; præſertim ſi aliàs ipſos examinauerit, & idoneos iudicauerit, iuxta regulam *Quod ſemel placuit, amplius diſplicere non poteſt.* De reg. iur. in 6.

2 E contra verò Io. Sanchez *in ſelectis de ſacramentis. diſp. 50. num. 11.* cenſet, quod Epiſcopus poſſit quotannis Parochos omnes ad examen vocare, vt experiatur, an ſufficientes ſint, an non, quia fundamentum ſufficientiæ nempe litteratura eſt variabilis, ſicut etiam boni mores, ita vt non poſſint Parochi aliquo iure, aut exemptione iuuari, ne examinentur.

3 In hac difficultate certum eſt, quod poteſt Epiſcopus eos ex Parochis ad examen vocare, quos probabiliter iudicat inſufficiētes eſſe, eo quod nō vacauerint ſtudio, & ſcientiam, quam prius habebāt, deperdiderint, aliàs fruſtratorium eſſet decretum Concilij Tridentini *ſeſſ. 21. cap. 6.* declarans, quod poſſint Epiſcopi Rectoribus parochiarum illiteratis dare coadiutores; nam ſi non poſſent examinare, aut non darent coadiutores, aut dando, fieri poſſet, quod ijs quoque darent, qui reuera eſſent ſufficientes. Vnde quoſcunque ſuſpicatur, inſufficientes eſſe, poterit ad examen vocare, quia tunc habet ſufficiens fundamentū innouandi examen, ſi quidem opinio inſufficientiæ eſt veluti quædam denunciatio.

4 Extra tamen hunc caſum exiſtimo, non poſſe *Epiſcopum vocare ad examen omnes parochos.* Cum enim approbatio ſe habeat per modum ſententiæ decernentis de idoneitate, dat ius approbato ad manutenendum ſuam idoneitatem, quā de iure poſſidet, & ideo non poſt ſine cauſa reuocari in dubium ipſa poſſeſſio, ſicuti reuocaretur, ſi de nouo approbatus ad examen vocaretur. Et ſicuti non poteſt quis bis ſupra eadem re iudicari, ita nec etiam ſuper idoneitate iudicaretur autem quis bis ſuper idoneitate, ſi ſemel approbatus iterum ad examen vocaretur.

5 Reſp. Io. Sanchez. Parochos non habere ius iuſtitiæ, vt non examinentur; ſed cum proprio incommodo debere cedere vtilitati communi, in cuius fauorem inſtituitur examen. Verum hoc nō ſubſiſtit, quia cum approbatio ſit iudicium, quod fertur de idoneitate, habet

vim

vim ſententiæ, atque adeo approbatus poſſidet ſuam idoneitatem in vigore ſententiæ iudicialis, ac habet ius iuſtitiæ ad ipſam manutenendam, ita vt ſine noua cauſa non poſſit in dubium reuocari. Et quamuis examen reſpiciat bonũ publicum, non tamen debet Parochus priuari iure ſuo ſine cauſa. Quia licet publica vtilitas ſit ſufficiens cauſa auferendi ius ſuum priuatis perſonis, vt tradunt Doctores communiter *in Cap. Quæ in Eccleſiarum. De conſtit.* præſertim Felin. *num.* 27. hoc tamen non habet locum, niſi quando ita exigit publica vtilitas, vt graue incommodum pateretur, niſi ita fieret. Publica autem vtilitas non exigit Parochos vocari ad examen ad libitum Epiſcopi; ſed ſolum, quod ſint idonei; vnde quando ſemel, vt taleſ, approbati ſunt, non exigit amplius, quod fiat experientia de ipſorum idoneitate, niſi concurrente iuſta cauſa, qualis eſt mutatio Epiſcopi, aut opinio inſufficientiæ.

6 Quia tamen Epiſcopus habet ius viſitandi, & corrigẽdi, quæ indigent correctione, præſertim beneficia curata, & curare tenetur, vt cura animarum rectè exerceatur per diſpoſitionem Concilij Tridentini *ſeſſ.* 21. *cap.* 8. Ideo in actu viſitationis examinare poterit Parochos, aut alio modo congruo explorare, an perſeuerent in ea ſufficientia doctrinæ, quæ neceſſaria eſt pro cura animarum exercenda. Cum.n. cura animarum rectè exerceri non poſſit à Parochis, niſi habeant ſufficientem doctrinam, nõ poteſt Epiſcopus certificari, quod rectè exerceatur, præſertim quò ad miniſtrationem ſacramenti pœnitentiæ, niſi certificetur de ſufficientia doctrinæ eorum, per quos adminiſtratur. & proinde habet ius in viſitatione explorandi ſufficientiam doctrinæ, an nimirum permaneant in ea ſcientia, qui curam animarum adminiſtrant, quæ neceſsaria eſt, & cuius intuitu fuerunt approbati.

An Epiſcopi teneantur ſingulis annis, aut ſingulis biennijs examinare Parochos. Quæſt. 375.

SVMMA.

1 *Epiſcopus an teneatur ſingulis annis, aut biennis examinare Parochos.*
1 *Non vſus non inducit conſuetudinem.*
1 *Conſuetudo quid ſit.*
2 *Epiſcopus ex natura rei non tenetur examinare parochos ſingulis annis &c.*
3 *Neque ratione viſitationis.*
3 *Communis ſenſus interpretatur legem.*

1 QVod teneātur Epiſcopi ſingulis annis, aut ſaltem ſingulis biennijs examinare Parochos, tradit Sanctius *in Selectis de ſacramentis diſp.* 50. *nu.* 13. Quia Concil. Trident *ſeſſ.* 24. *cap.* 3. præcipit, quod Epiſcopi ſingulis annis, aut ſaltem ſingulis biennijs viſitẽt diœceſim; vnde cum præcipuum munus viſitationis ſit curare, vt rectè adminiſtrentur ſacramenta, ſaltem ſingulis bienniis erit Parochorum ſcientia experienda, vt inde Epiſcopus notitiam ſumat de recta, vel non recta adminiſtratione ſacramentorum. Nec poterit excuſari per non vſum, ſi examen omittat, quia non vſus non inducit conſuetudinem, aut præſcriptionem, ita vt det ius Parochis, vt cum Burgenſi *ad l.* 1. *Tauri. num.* 164. notat Vaſquez 1. 2. *diſp.* 177. *cap.* 6. *nu.* 64. Cum enim cõſuetudo ſit communis actuum repetitio, & moribus vtentium introducatur. Cap. *Conſuetudo. Diſt.* 3. & Cap. *Ita nos.* 25. *Quæſt.* 2. non poteſt per non vſum introduci. Nec item excuſari poterunt Epiſcopi omittentes examen, quod ſequantur probabilem opinionem, nam nullum, quem ipſe viderit, docet, non poſſe Epiſcopos Parochos examinare, ſed ſolum non poſſe ipſorum approbationem reuocare generaliter. Ita Io. Sanchez.

2 Cuius tamen doctrina *Non eſt admittenda, neque pro tempore viſitationis*

nis ita abſolutè accepta. Neque enim ad hoc tenetur Epiſcopus ex natura rei, quando Parochi ab initio pro abſolutè ſufficientibus habiti ſunt; nam tunc Epiſcopus certus eſt de ipſorum ſufficientia, atque adeo recta adminiſtratione ſacramentorum, quantum eſt ex parte ſcientiæ; vnde non tenetur deponere talem certitudinem abſque rationabili cauſa; & niſi ſuboriatur aliquod dubium, quod ſcientia in ipſis defecerit, ita tamen, vt ſit dubium rationabile, nam certitudo non eliditur, niſi per ſuborientia dubia. Si verò Parochi ab initio non ſint abſolutè habiti pro ſufficientibus, tunc ſolum tenebitur Epiſcopus inquirere, dum actu viſitat, de recta ſacramentorum adminiſtratione, & adhibere examen, ſi fuerit neceſſarium, pro hac notitia acquirenda. In tali enim caſu tenetur inuigilare, quod oues rectè gubernentur ab immediatis paſtoribus, & cauere, ne ſtante minori parochorum ſufficientia error aliquis committatur.

3 Sed neque ratione viſitationis tenetur Epiſcopus extra prædictum caſum Parochos examinare; nam, cum communis ſenſus interpretetur legem, & obligationem quamlibet. *l. Minime. ff.* De legib. & Cap. D*ilectus*. De *conſuetudine*. & Clemen. *Exiui*. §. *Item quia*. De *verbor. ſignificat.* & notant Caietan, 2. 2. *Quæſt.* 186. *dub. penul.* D. Antonin. 2. *par. tit.* 4. *cap.* 2. §. 3. Salas *diſp.* 19. *de legib. ſect.* 9. *num.* 4. Bald. *in Cap.* 1. *De feud. ſine cul. non amitten.* & communiter; & non adſit praxis, & conſuetudo examinandi Parochos, exequutio viſitationis non importabit hanc obligationem. Eſſet enim admirabile, quod adeſſet huiuſmodi obligatio, & vniuerſaliter Epiſcopi illam non agnoſcerent.

An interueniat Simonia, ſi patronus præſentet Titium in gratiam Principis notificando ipſi oblationes ſibi factas, vt alios præſentet, & Princeps ſignificet, fore compenſandum. Quæſt. 376.

SVMMA

1 *Explicatur caſus.*
2 *Præſentans Titium in gratiam Principis ſpretis aliorum oblationibus, & notificante Principe, fore compenſandum, an committat ſimoniam.*
2 *Ad ſimoniam committendam quid requiratur.*
3 *Simonia quid ſit.*
4 *Vbi non eſt obligatio, nec etiam eſt pactum, aut conuentio.*
5 *Pactum implicitum inducit ſimoniam.*
5 *In ambiguis facienda interpretatio, quæ excludat delictum.*
5 *Actus debet accipi vt factus eo modo, quo licet.*
6 *Verba vrbanitatis non inducunt obligationem.*
6 *Simonia non inducitur per verba vrbanitatis.*
7 *In foro externo debet delictum conſtare euidenter.*
7 *Simonia non inducitur, niſi concurrant eſſentialia.*
8 *Declaratio de gratitudine non inducit ſimoniam.*
9 *An liceat ſine ſimonia paciſci de gratitudine.*

1 CVm patronus eſſet præſentaturus ad certum beneficium, plures oblationes ipſi fiebant, vt aliquos præſentaret. Titius autem hoc ſciens interpoſuit fauorem Principis, vt obtineret præſẽtationem, qui inſtauit apud patronum, vt Titium præſentaret. Patronus conſiderans, quod valde ſibi præiudicabat, ſi non morem gereret principi, promiſit præſentaturum Titium, & per tertiam perſonam ipſi inſinuauit oblationes ſibi factas, vt alios præſentaret. Intellexit Princeps, quò tenderet talis ſignificatio, & ſignificauit, quod præſentando

do

do Titium non minus vtilitatis percepiſſet. Quod totum poſtea princeps ante præſentationem Titio ſignificauit, ſubdens, opus eſſe ſequuta præſentatione aliquod munus mittero patrono. Dubitatur modo, an commiſſa ſit ſimonia.

2 Quod *autem nulla commiſſa ſit ſimonia reſoluendum puto*. Etenim ad contrahendam labem ſimoniæ requiritur pactum, quod vtrimque inducat obligationem, vt paſſim deſumitur ex iure canonico Cap. *Qui ſtudet*. 11. *Quæſt*. 1. & Cap. *Cum pridem. init.* De *pact.* & Cap. *Quæſitum*. De *rer. permut.* vbi Butr. *num*. 3. ver. *Et nota*. Io. Anan. *num*. 5. Hoſtienſ. *in Cap*. 1. *num*. 3. ver. *Alias ſi omnino*. Ancharan. *ibid. eodem num*. 3. ver. *Non tamen prohibet*. De *Simon*. Paris. *Conſil*. 30. *num*. 21. *lib*. 4. Dec. *Conſil*. 118. *nu*. 4. Farinac. *Conſil*. 180. *num*. 6. Puteus *Deciſ*. 167. *num*. 5. *lib*. 2. Mohed. *Deciſ*. 1. *num*. 3. *in fine* De *ſimon*. Seraphin. *Deciſ*. 1029. *num*. 8.

3 Ratio autem eſt. Quia Simonia eſt emptio, & venditio rei ſpiritualis, aut alicuius, quod ſit ſpirituali annexum, vt cōmuniter Theologi tradunt D. Th. 2. 2. *quæſt*. 100. *ar*. 1. Alenſ. 2. *par. quæſt*. 187. *memb*. 2. Palud. *in* 4. *diſt*. 25. *quæſt*. 5. *ar*. 1. *concluſ*. 1. Richar. *ar*. 2. *quæſt*. 1. Adrian. *quodlib*. 9. *ar*. 2. D. Antonin. 2. *par. tit*. 1. *cap*. 1. § 1. Victor. Relect. *De ſimon. par*. 1. *num* 7. Nauar. *cap*. 33. *Manual. nu*. 100. Leſſius *lib*. 2. *De iuſt. & iure cap*. 35. *dub*. 1. *num*. 3. Cum Gloſ. communiter recepta *Cauſa*. 1. *Quæſt*. 1. *init*. ver. *Quidam Canoniſtę*. & deſumitur ex dicto Cap. *Quæſitum*. De *rer. permut*. Venditio autem, & emptio non perficitur, niſi partium conuentione, & pacto.

4 In præſenti autem caſu nulla partiū conuentio, aut pactum interceſſit. Si quidē nec patronus inſtauit, vt princeps, aut Titius præſentandus ad aliquid ſe obligaret, nec iſti ſe obligauerunt. Vbi autem non adeſt obligatio, nec etiam adeſt pactum, aut conuentio, quia obligatio naſcitur ex eo, quod partes in vnū conſentiant. *l*. 1. *ff*. De *pactis*. & *l. Stychū*. §. *Naturalis*. *ff*. Soluto *matrimonio*, atque adeo ex pacto, aut conuentione.

5 Dices. Quod quamuis non interceſſerit pactū, & conuentio explicita, interſuit tamē implicita quæ ſufficit ad inducendā Simoniā, vt notant Doctores *in Cap. Quæſitum*. De *rer. permut*. præſertim Ancharan. *n*. 2. & 3, Cardin. *nu*. 2. Dū .n. patronus ſignificauit principi, quod ab alijs offerebatur, vt præſentarentur, voluit ipsū obligare ad cōpenſationē, ſicuti tacitè princeps ſe obligauit, dum ſignificauit, quod ex hac quoque præſentatione commodum percepiſſet. Verum reijcitur hæc reſponſio. Quia ſignificatio illa facta principi à patrono eſt æquiuoca, & poteſt reſpicere tanquam finem non ſolum obtinere tantundem, quantum ab alijs offerebatur, ſed etiam finem obligandi ſibi magis ipſum principem. Et ſimiliter verba principis poterant ſignificare, quod patronus commodum percepiſſet ex tali præſentatione, vel quia princeps agnoſceret ſua obligationem, & ipſi reſponderet adueniente occaſione; vel quia præſentatus vteretur debita gratitudine, & titulo gratitudinis aliquid donaret. Vnde cum ſimus in ambiguis facienda eſt illa interpretatio, quæ excludit delictum. *l. Merito. ff*. Pro *ſocio*. & Cap. *Eſtote*. De *reg. iur*. & notant Abbas *in Cap. Cum tu*. De *teſtib*. Natta *Conſil*. 549. *num*. 11. Farinac. *in praxi crimin. qu*. 85. *num*. 1. Maſcard. De *probat. concluſ*. 496. Menoch. *lib*. 5. *præſump*. 161. *num*. 26. Et in terminis de Simonia Felin. *in Cap. Super his*. *num*. 17. De *accuſat*. Puteus *Deciſ*. 440. *num*. 3. *lib*. 1. Rota *Deciſ*. 418. *n*. 4. *par*. 1. *Recent*. & *Deciſ*. 491. *num*. 10. *par*. 5. Atque actus, cū poſsit, accipi debet tanquam factus eo modo, quo licitè fieri poteſt, non autem eo modo, quo illicitus eſſet iuxta ea, quæ tradunt Craueta *Conſil*. 106. *n* 8. & 9. Alexan. *Conſil*. 185. *n*. 2. *lib*. 6. Pariſ. *Conſil*. 53. *num*. 4. *lib*. 4. Tuſch. *littera*. *A*. *Concluſ*. 138. *n*. 1. Rota *Deciſ*. 596. *nu*. 4. *par*. 2. *Recent*:

9 Accedit etiam, quod reſponſum principis continet verba generalia, & vrbanè concepta, quæ non inducunt aliquam obligationem. Cap. *Cum veniſſent* De *inſtitut*. ibi. *Reſpondit, quod non ſolum de illo, ſed omnibus redditibus ſuis faceret, quod ſibi placeret*, & docent Curt. iun.

in

in l. Ea, quæ commendanti. ff. De contraben. empt. Iaſ. *in l. Ita ſtipulatus.nu.19.ff.* De *verbor. obligat.* Roman. *in Rubr.* De *recep. arbitr. num.*15. Bart. *in l.* 1. *§. Si quis ſimpliciter.* ver. *Præterea probemus. ff. De verbor. obligat.* Caſtrenſ. *in Rubr. De verbor. obligat. quæſt.* 4. Socin. *ibid.* ver. *Vlterius quæritur*. Salicet. *in l. Legem.* C. De *verbor. obligat.* Et proinde non ſunt ſufficientia, vt inducant ſimoniã, cum non inducant pactum, aut conuentionem neceſſariam, vt docent Farinac. *Conſil.* 180. Lotter. *De re beneficiar. lib.* 3. *qu.* 29. *num.* 59. vbi alios citat. & in ſimili Nauar. *in Bul. De datis, & promiſ. not.* 11. Debent enim verba eſſe præcisè promiſſoria, ita vt habeant vim abſque vlla tergiuerſatione inducendi obligationem.

7 Nec dici poteſt, quod hæc locum habeant ſolum in foro externo, in quo delictum clare conſtare debet Cap. *Euidentia*. De *accuſat.* non autem in foro interno, in quo res ſecundum conſcientiã iudicantur. Si quidem in foro quoque interno non habet locum ſimonia, niſi concurrant ea, quæ ſunt neceſſaria, ad ipſam conſtituendam, cum vniuerſaliter nulla res ſubſiſtat abſque ijs, quibus conſtituitur. Simonia autem conſtituitur per pactum, aut conuenientiorem Cap. *Qui ſtudet.* 1. *Quæſt.* 1. & Cap. *Quæſitũ.* De *rer. permut* & alibi paſſim.

8 Sed rurſus dicet aliquis. In dicta reſponſione principis contineri obligationem quamdam gratitudinis; ſicut etiã in eo, quod patronus ſignificauit continetur tacita quędam inſtantia pro tali obligatione Sed neq; hoc ſubſiſtit. Quia cum verba, vt dictum eſt, ſint generalia, nec præcisè promiſſoria, ſed vrbanè concepta, nullam inducunt obligationem, ſed ad ſummum continent aliquam declarationem de gratitudine exhibenda. Quæ quidem declaratio licita eſt, vt inter alios notant Zipeus. *lib.* 5. *Anal. iur. noui. tit. De ſimon. num.* 5. ver. *Conniecturas* Cherub. *in Compen. Bullar. ad Conſtit.* 61. *Clem. VIII. Schol.* 1. & 2. Valent. *tom.* 3. *Sum. diſp.* 6. *q.* 16. *pun.* 3. *quæſtiun.* 4. ver. *Secunda circumſtantia*. Palaus *par.* 3. *oper. moral. tract. vlt. punc.* 4. *num.* 2. Nam, ſi licet animo hoc cõcipere, licebit etiam declarare, cum declaratio nullo iure prohibeatur.

9 Imo licitum eſſe, paciſci de gratitudine exhibenda deſumitur ex doctrina Caietani 2. 2. *quæſt.* 100. *ar.* 2. *§. Ad euidentiam horum.* Sot *lib.* 9. *De iuſt. & iure. quæſt.* 6. *ar.* 1. *poſt concluſ. poſteriorem.* vbi tradunt, licere deducere in pactum id, quod aliàs in hac materia licet accipere. vnde cum liceat danti ſpiritualia recipere aliquid à recipiente titulo gratitudinis, erit etiam licitum deducere in pactum remunerationem gratuitam. Et ita in terminis docent Valent. *to.* 3. *Sum. diſp.* 6. *quæſt.* 16. *punc.* 3. *quæſtiun.* 2. ver. *Ad tertiam rationem dubitandi.* Tanner. 2. 2. *diſp.* 5. *quæſt.* 8. *dub.* 3. *num.* 76. Cœleſtin. *in Compend. Theol. moral tract.* 7. *c.* 4. *num.* 3. Ghilin. *in Sum. verbo.* Beneficium. *num.* 7. Ratio autem eſt, quia pactum, & conuentio non cadit ſupra ſpiritualia, aut aliquid ipſis annexum, ſed ſuper aliquid conſequens ad collationẽ ſpiritualium, quod contingenter ſe habet, ita vt poſſit conſequi, & non conſequi. Sola autem ſpiritualia, & ipſis annexa prohibentur deduci in pactum, quia ſola prohibentur ſubijci venditioni. Quę doctrina, an ſit ad praxim deducenda, alijs iudicandum relinquo.

Titius rogauit amicum Caij Patroni, vt ipſum diſponeret ad conſtituendum certum procuratorem pro præſentando ad beneficium, à quo ſciebat, ſe fore præſentandum, & ipſi promiſit ſe fore gratum &c. Quæritur an commiſerit ſimoniam. Qu. 377.

S V M M A.

1 *Quando committatur ſimonia.*

2 *Procurans, conſtitui eum procuratorem ad præſentandum, à quo ſcit, ſe fore præſentandum, an committat ſimoniam.*

2 *Simonia quando committatur.*

3 *Quænam ſint materia ſimoniæ ex ijs, quæ ſunt annexa ſpiritualibus.*

Anne-

3 *Annexa per accidens ſpiritualibus,an poſſint deduci in pactum ſine ſimonia.*
4 *Temporale veſtitum ſpirituali eſt materia ſimonia.*
5 *Finis quando reddat actum ſimoniacum.*

---

1 AFfirmatiuè videtur reſpondendum iuxta ea, quæ tradũt Doctores D. Th. *quodlib.* 8. *ar.* 11. Durand. *in* 4. *diſt.* 25. *quæſt.* 4. Richar. *quæſt.* 2. & 3. Gabr. *qu.* 2. Maior *ibid.* Paludan. *Quæſt.* 5. Alenſ. *par.* 2. *quæſt.* 167. *memb.* 2. Altiſiodor. *par.* 3. *Sum. tract. De ſimon. quæſt.* 2. Adrianus *Quotlib.* 9. Caiet. *in Sum. verbo*, Simonia. *cap.* 3. *Corduba lib.* 1. *qu.* 32. Nauar. *in Manuali cap.* 23. *nu.* 10. Couarruu. *lib.* 1. *Variar.* Cap. 2. D. Bonau. *in* 4. *diſt.* 25. *quæſt.* 1. Sotus *lib.* 9. *de iuſt. & iure, quæſt.* 7 *ar.* 3. *ante ſolutionem argumentorum.* §. *Quæris.* Aragon. 2. 2. *quæſt.* 100. *art* 2. *in ſolut. ad* 5. *dicto* 4. Sylueſter *verbo.* Simonia. *quæſt.* 6. Tabiena *num.* 7. Roſella *num.* 6. Armilla *num.* 9. Baptiſniana, *num.* 4. Piſanella *Tit. De ſimonia.* §. 1. Summa *Confeſſor. Tit. de Simonia. qu.* 7. Aſteſana *lib.* 6. *tit.* 50. & alij communiter, dum docent, committi ſimoniam, quando detur temporale pro ſpirituali, vel econtra tanquam pro cauſa principali immediata, vel tãquam pro motiuo principali. Aut quando datur interceſſori. In præſenti autem caſu id, quod reſpicitur à Titio, eſt aſſequutio beneficij, & proinde eligit operam amici, vt conducentem ad illius aſſequutionem, atque vt informatam aſſequutione huiuſmodi.

2 Attenendum eſt, *Nullam interuenire ſimoniam.* Quod ſatis ex eo conuincitur, quod nullum interuenit pactum, aut conuentio, nec animus dandi temporale pro ſpirituali, ſed tantum declaratio gratitudinis, quæ licita eſt, vt dictum eſt *Quæſt. præced. n.* 8. Deinde. Non poteſt interuenire ſimonia, niſi interueniat materia ipſius, quæ importat ſpiritualia, & quæ ipſis annexa ſunt; ſiquidem eſſẽtialiter conſiſtit in eo, quod detur temporale pro ſpirituali, aut econtra. Et tũc tantum duobus modis contrahitur, vt deſumitur ex Cap. *Tua nos.* De *ſimonia*, nimirum mediante pacto, aut conuentione, quatenus ineatur pactum, aut fiat conuentio de dando temporali pro ſpirituali, aut è contra. Vel ſi aliquis intendat dare temporale pro ſpirituali, aut e contra abſque pacto. nam tunc conſurgit ſimonia mentalis. In caſu autem propoſito non interuenit materia ſimoniæ, quia ſolum intenditur opera amici ad diſponendum patronũ, vt conſtituat certum procuratorem pro præſentando ad beneficium, quæ eſt quid merè temporale, & pretio æſtimabile.

3 Nec ſimiliter eſt quid ita annexum ſpirituali, vt ſit materia ſimoniæ, Nam ea ſolum annexa ſpiritualibus ſunt materia ſimoniæ; quæ cũ ipſis inſeparabiliter connectuntur, & cũ ipſis permiſcentur, vt eſt ius patronatus, quod ita vnitur beneficio, vt ab ipſo ſit inſeparabile, & ſubſiſtat in ipſo beneficio, vt docent Doctores in Cap. *Quæſitum.* De *rer. permut.* Butr. *num.* 7. Hoſtienſ. *num* 4. Cardin. *num.* 3. Io. Andr. *nu.* 2. Ancharan. *n.* 5. & cœteri. Lotter. *de re beneficiar lib.* 3. *q.* 29 *num.* 77. Vnde quæ per accidens connectũtur cũ ſpiritualibus, non ſunt materia Simoniæ, ſed poſſunt deduci in pactum, vt inter alios notat Caiet. 2. 2. *quæſt.* 100. *ar.* 2. §. *Patet tertiò.* Quia accidentalis connexio non eſt ſufficiens, vt connexũ euadat ſpirituale, neque quod trahat ſpirituale ſub contractum. In caſu autẽ præſenti opera amici electa à Titio ad perſuadendum patrono, vt conſtituat talem procuratorem, etiam ſi conſequatur aſſequutio beneficij, eſt per accidens, & ſeparabiliter connexa non ſolum cum conſtitutione, ſed etiam cum præſentatione; imo etiam cum conſtitutione talis procuratoris, quia non ſequitur ex opera amici tamquam ex cauſa per ſe, ſed tanquam ex cauſa per accidens, ita vt & poſſit ſequi, & non ſequi.

4 Et quia iſta inſeparabilitas aliquando poteſt naſci ex natura rei, & aliquando ex humana diſpoſitione; ideo aduertendam eſt, quod tunc ſolum temporale eſt materia ſimoniæ, quando non conſideratur ſecundum ſe, ſed vt veſtitum, & informatum re ſpirituali, nam tũc ita per-

permiſcetur cum ſpirituali, vt faciat venire in cõtractum rem ſpiritualem, quia in ipſo principaliter conſideratur ſpirituale, cum conſideretur tanquam forma reddens æſtimabile temporale, vt ſi quis paciſceretur de interceſſione pro obtinẽdo beneficio, vt efficaci, ſeu quatenus impetrante beneficium, nam tunc conſideratur, vt informata ipſo beneficio, atque adeo tunc pactum cadit ſupra beneficiũ vt informans impetrationem. Cuius rei ea ratio eſt, quia ad ſimoniam ſemper requiritur, quod veniat in contractum aliquid ſpirituale; & proinde tunc ſolum temporale annexum ſpirituali eſt materia Simoniæ, quando trahit in contractũ ſpirituale, cui annectitur. Vnde ex hoc quoque capite in caſu præſenti excluditur ſimonia, quia ſuaſio facienda patrono pro conſtituendo tali procuratore ad præſentandũ, non eſt veſtita, & informata aliquo ſpirituali, quia venit in conſiderationem tantum vt efficax ad diſponendũ animum patroni, atq; adeo ſolũ vt veſtita, & informata tali diſpoſitione.

5 Ex his corruunt, quæ in oppoſitum allata ſunt. Nã opera amici electa à Titio eſt valdè remota ab aſſequutione beneficij, & proinde non poteſt conſiderari vt veſtita, & informata tali aſſequutione. Quia pro tali vnione, & informatione eſt neceſſaria immediata connexio, cum forma debeat immediate coniungi cum ſubiecto. Neque obſtat, quod Titius intẽdat aſſequutionem beneficij, quia hic finis eſt finis operantis, non autem finis operis, ſiquidem finis intrinſecus illius actionis, quam exercet cũ amico, eſt cõſequutio operæ ipſius ad perſuadendum patrono conſtitutionem talis procuratoris, & proinde non eſt materia ſimoniæ. quia tunc ſolum committitur ſimonia dando pretium pro aliquo fine, quando finis ipſe eſt ſpiritualis, aut ita annexus ſpirituali, vt trahat ſpirituale in contractum. Neq; etiam officit doctrina communis, de qua num. 1. quia D. Th. & cœteri ibi citati ſolũ docent, quod ſit ſimonia, quando temporale datur pro ſpirituali, quod nõ contingit in caſu præſenti, vt iam conſtat ex dictis.

Quomodo Simoniacum ſit per pecuniam parare ſibi viam ad ſpiritualia. Quæſt. 378.

S V M M A.

1 *Parare ſibi viam per pecuniam ad ſpiritualia eſt ſimoniacum.*
2 *Quando ſit ſimoniacum.*
2 *Quid ſit via.*
3 *Ad ſimoniam quid requiratur.*
4 *Peccatum ſimoniæ dependet ab intentione.*
5 *Medium ordinatum ad ſpiritualia, quando ſit materia ſimoniæ.*
6 *Simonia quando excludatur.*

1 D. Th. 2. 2. *quæſt.* 100. *ar.* 2. *ad* 5. docet, eſſe ſimoniacum parare ſibi viam ad ſpiritualia mediante pecunia, quod communiter recipi ſolet. Quia tamen aliquando à Doctoribus admittuntur aliqua tanquam licita, in quibus tamen videtur parari via mediãte pecunia ad ſpiritualia, vt cum quis dat munera ad captandam beneuolentiam collatoris, vt ex ipſo poſtea moueatur ad conferendum beneficium. Vnde inter alios opponit Valent. *tom.* 3. *Sum. diſp.* 6. *quæſt.* 16. *punc.* 3. *quæſtiun.* 3. ver. *In contrarium*, quod hoc non ſit ſemper ſimonia. ideo videndum eſt, quomodo hæc regula ſit accipienda.

2 Itaque *Tunc ſolum cenſendum eſt cõmitti ſimoniam, cum per pecuniam paratur via ad ſpiritualia, quando via, ita coniungitur cum re ſpirituali, vt trahat ſecum rem ſpiritualem in compenſationem pecuniæ*; atque adeo quando res ſpiritualis, ita immediatè coniungitur cũ eo, quod mediãte pecunia obtinetur, vt faciat ipſum venire in contractum: & proinde ipſa via, ſeu id, pro quo datur pecunia conſideratur tanquam informatum re ſpirituali. Hoc deducitur ex natura ipſius viæ; eſt enim via acquiſitio termini, & proinde conſideratur vt informata ipſo termino, ita vt eò ipſo, quod quis

inten-

intendat viam, intendat etiam ipſum terminum. Vnde tunc ſolum quis dicetur parare ſibi viam ſimoniacè ad ſpiritualia, quando talis via conſiderabitur vt actualis acquiſitio rei ſpiritualis; ſeu vt informata ipſa re ſpirituali; non autem quando erit via remota.

3 Ratio autem eſt. Quia ad ſimoniā eſſentialiter requiritur, quod res ſpiritualis veniat in contractum, ita vt detur tẽporale pro ſpirituali, aut contra; vnde definitur ſimonia, quod ſit, *Studioſa voluntas emendi, vel vendendi aliquid ſpirituale, vel ſpirituali annexum*, quam definitionem cōmuniter recipiunt tàm Canoniſtæ, quàm Theologi, Gloſ. *Cauſa* 1. *Quæſt. init.* verbo *Quidam*. D. Th. 2. 2. *quæſt.* 100. *ar.* 1. Alenſ. *par.* 2. *quæſt.* 187. *memb.* 2. Palud. *in* 4. *Diſt.* 25. *quæſt.* 5. *ar.* 1. *concluſ.* 1. Richar. *art.* 2. *quæſt.* 1. D. Antonin. *par.* 2. *tit.* 1. *c.* 1. §. 1. Adrian. *Quodlib.* 9. *art.* 1. Nauar. *in Manual. cap.* 33. *num.* 100. Victoria *Relect. De ſimon. par.* 1. *num.* 7. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 35. *dub.* 1. *num.* 3. Syluester *verbo* Simonia. *num.* 1. Angel. *ibid.* Azor. *par.* 3. *lib.* 12. *cap.* 1. *qu.* 1. Valẽt. *tom.* 3. *diſp.* 6. *qu.* 16. *punc.* 1. *init.* Laiman. *lib.* 4. *theol. moral. tract.* 10. *cap.* 8. §. 1. *n.* 1. Filliuc. *tract.* 45. *cap.* 1. *num.* 3. Reginal. *lib.* 33. *praxis fori pœnit. num.* 100. Bonac. *tract. de ſimon. qu.* 1. *nu.* 2. ergo non committitur ſimonia, niſi interueniat ſpirituale, aut aliquid ipſi annexum, quod veniat in contractum emptionis, aut vẽditionis, quia vbi non ſaluatur definitio, nec etiam ſaluatur definitũ, ergo vt via ad ſpiritualia, quæ per pecuniā paratur, fundet ſimoniam, debet in ſe continere aliquid ſpirituale, aut annexum ſpirituali, quod veniat in contractum, ita vt ipſa via ſit informata aliquo ſpirituali, & vt talis intendatur à ſimoniaco.

4 Quod amplius confirmatur. Peccatum ſimoniæ dependet ab affectu, & intentione, quæ debet reſpicere ad ſpirituale trahendum ſub æſtimatione tẽporalis, vt deſumitur ex Cap. *Tua nos*. De *ſimonia*. ibi. *Si tamen is, qui eam donationem facit, ea intentione ducatur, vt per tẽporalia bona, quæ offert, ſpiritualia valeat adipiſci &c.* & notant inter alios Bonacina *tract. De ſimon. quæſt.* 1. *num.* 2. Ripa *De ſimon. par.* 1. *ar.* 1. *nu.* 21. ergo via, quæ per pecuniam paratur in ordine ad ſpiritualia, debet eſſe aliquid ſpirituale, aut continere aliquid ſpirituale, aut quid ipſi annexum, aliàs affectus, & intentio parantis viam non reſpiciet ad ſpirituale, aut quid ipſi annexum, quod ſit materia ſimoniæ, dum reſpicit ad ipſam viam, quam mediante pecunia intendit ſibi parare, & conſequenter nulla interueniet ſimonia.

5 Ex quibus colligitur, quod ſi quis ordinet pecuniam, aut aliquid aliud pretio æſtimabile ad obtinendum aliquod medium, quod inſeruiat pro acquiſitione rei ſpiritualis, non committere ſimoniam, ſi tale poteſt habere aliquam rationem finis, ratione cuius ſecundum ſe ſit æſtimabile, vt eſſet beneuolentia principis, quamuis ipſum deſideret in ordine ad obtinendū ſpirituale, vt notat etiam Io. de Cartagena *in ſua diſput. De ſimon. cap.* 7. *in reſponſione ad* 3. Quia tunc non venit in contractum aliquid ſpirituale, aut ipſi annexum, ſed illud medium, quatenus eſt aliquid de ſe æſtimabile. Quod tamen ita debet intelligi; ſi intentio dantis pecuniam non reſpiciat ad ſpirituale iuxta Cap. *Tua nos*. De *ſimonia*. Secus aũtem eſſet dicendum, ſi medium eſſet talis conditionis, vt ratione ſui ipſius nullā haberet eſtimabilitatem, quia tũc non eſſet expetibile, niſi vt informatum fine, atque adeo ſpirituali: vnde daretur pecunia pro illo coniuncto ex medio, & re ſpirituali, & proinde committeretur ſimonia.

6 Secundò colligitur. Eſſe ferè eamdem rationem de ſimonia, ac vſura. Vnde ſicut vſura excluditur reducendo cõtractum ad aliquem iuſtũ titulum percipiendi lucrum, ita etiam excludetur ſimonia reducẽdo exhibitionem pecuniæ ad aliquem honeſtum titulum, pro quo exhiberi poſſit, & qui ſit ſufficiens, vt intentio dantis remoueatur à ſpirituali, ita vt faciat, quod pecunia non exhibeatur pro ſpirituali, aut ipſi annexo. Quando enim

enim intentio dantis non reſpicit ad ſpiritualе, non venit in contractũ ſpirituale, atque adeo non committitur ſimonia. Et ex his poterunt in facti contingentia reſolui plures caſus.

An ſimonia debeat eſſe euidens, & indubitata, vt quis in foro conſcientiæ de ipſa damnetur. Quæſt. 379.

S V M M A

1 *Pœna ſimoniæ.*
2 *Simonia debet eſſe euidens etiam in foro conſcientiæ quò ad pœnas.*
2 *Simonia debet concludenter probari.*
2 *Non magis facilè debet quis damnari in foro conſcientiæ, quàm in foro externo.*
3 *Super re dubia non poteſt ferri certa ſententia.*
4 *Probabilis opinio excuſat à pœnis ſimoniacorum in conſcientia.*
4 *In dubio excluditur ſimonia.*
5 *Dans pecuniam in ordine ad quid ſpirituale obtinendum, an poſſit excuſari à ſimonia.*
5 *Actus non operatur vltra intentionem agentis.*

1 INſeruit hæc quæſtio ad diſcernendum, quando pœnæ ſimoniacis impoſitæ habeant locum in foro conſcientiæ, qualis eſt illa, de qua Pius IV. *in ſua Conſtitutione*, quæ incipit, *In ſublimi Non. Maij* 1562. Quod nimirũ ſimoniacus teneatur in foro conſcientiæ dimittere beneficium ſimoniacè obtentum, abſq; vlla præuia declaratione; & quod non poſſit abſolui à Magno Pœnitentiario, niſi promittat beneficium huiuſmodi dimittere. & quales ſunt pœnæ, quas Pius IV. & Pius V. *in ſuis Conſtitutionibus de confidentijs*, imponunt ſimoniacis confidentialibus.

2 *Quod autem ſimonia debeat eſſe euidens, & indubitata, vt quis in foro conſcientia de ipſa damnetur, & cogatur ſubire huiuſmodi pœnas*, tenendum eſt. Quod ita accipi debet, vt ſit euidens, & indubitata eo modo, quo in foro conſcientiæ res certificari ſolet. Hæc reſolutio conformis eſt doctrinæ, quam cõmuniter tradunt de pœnis ſimoniæ in ordine ad forum externum. Et ratio eſt, quia quando agitur de ſimonia in foro externo, nõ ſolum quando criminaliter proceditur, ſed etiam quando cauſa ciuilis eſt, debet plenè, & concludenter probari, ita vt certa, & indubitata ſit, vt docet Gloſ. *in Cap. Veniens* 1. *De teſtib.* Abbas. *num.* 4. Dec. *num.* 8. Alciat. *Conſil.* 2. *nu.* 41. *lib.* 1. Natta *Conſil.* 299. *num.* 13. *lib.* 2. Clar. *in* §. *Simonia*, *num.* 12. *ver. Intellige tamen. De ſimonia.* Lotter. *De re benefic. lib.* 3. *qu.* 29. *num.* 59. Seraphin. *Deciſ.* 1029. *num.* 1. & *Deciſ.* 1359. *num.* 3. Rota. *Deciſ.* 108. *n.* 1. *par.* 1. *Recent.* & *Deciſ.* 166. *num.* 8. *part.* 2. & *in Firmana Capellaniæ.* 7. *Maij.* 1582. *coram Clement. VIII.* & *in Calaguritana Confidentiarum*. 25. *Iunij.* 1582. *coram Cardinali Pamphilio.* & *in Tullenſi ſimoniæ* 2. *April.* 1597. *coram Orano*. & alibi paſſim, & latè Farinacius *Conſil.* 75. *num.* 4. 13. 53. 65. 79. 106. *lib.* 1. ergo in foro quoque interno debet eſſe certa, vt quis de ipſa damnetur, quia non magis facilè debet quis damnari in foro conſcientiæ, quã damnetur in foro externo; & ſicut delictum debet eſſe certum, vt punitio in foro externo ſit iuſta; ita etiam debet eſſe certum in foro interno, quia iuſtitia eſt eadẽ ſiue in ordine ad forum externum, ſiue ad internum, & ſemper habet eamdem exigentiam certitudinis delicti.

3 Ratio aut generalis eſt, quia ſuper re dubia non poteſt ferri certa ſententia, Cap. *Graue.* 11. *Quæſt.* 3. & Cap. *Iudicãtem.* 30. *Quæſt.* 5. & Cap. *Habuiſſe. Diſt.* 33. & §. *Illud quæſitum.* Inſtit. *De rer. diuiſ.* & §. *Curare.* Inſtit. *De act.* Quia nimirum ſententia, vt ſit certa, debet habere proportionatum fundamentum. res autem incerta non eſt proportionatum fundamentum, cum certum non poſſit fundari in incerto. Dãnatio autem, & punitio eſt ſententia maximè certa, quia determinat, quod aliquis abſolutè ſit reus. ergo non poteſt ferri talis ſentẽtia, niſi delictum ſit certum; & proinde neq; in foro conſcientiæ poterit quis damnari de ſimonia, niſi ſit certa, & indubitata.

Et

4 Ex his autem colligitur, quod quando controuertitur, an aliqua actio ſit ſimoniaca, & adeſt probabilis opinio, quod non ſit, quamuis communis ſententia ſit in contrarium, non tenetur quis ſe habere pro ſimoniaco, nec ſubire pœnas impoſitas. Opinio enim probabilis facit, quod oppoſita non ſit certa, quia probabilitas non poteſt ſtare cum certitudine oppoſita circa eumdem actum, & qualitatem ipſius. Sublata autem certitudine iuris, tollitur etiam certitudo facti; vnde quamuis conſtet de facto, non conſtat tamen de qualitate ipſius, nempe quod ſit ſimoniacum; & proinde non poteſt ferri ſuper ipſo certa ſententia. Accedit etiam, quod in dubio ſumitur interpretatio excluſiua ſimoniæ, vt notant Put. *Deciſ.* 371. *lib.* 1. Mohedeus *Deciſ.* 224. Rota *Deciſ.* 3. & 83. *lib.* 1.

5 Colligitur 2. Quod ſi quis dediſſet pecuniam in ordine ad obtinendum aliquid ſpirituale abſque eo tamen, quod habuiſſet affectum, & intentionem illam tradendi pro ſpirituali, non eſſet in foro conſcientiæ damnandus de ſimonia, ſi poſſet conſiderari aliquid, quod fuerit compenſatum per illam pecuniam. Cũ enim deſit intentio dandi pro ſpirituali, ceſſat radix, vnde prouenit ſimonia nẽpe ſtudioſa voluntas emendi pretio rem ſpiritualem, quæ eſt eſſentialis ſimoniæ, vt dictum eſt *quæſt. præced. num.* 3. proinde deficit etiam ipſa ſimonia, aut ſaltem redditur incerta. Præſertim, quia actus non operatur vltra intentionem agentis *l.* Non *omnis. ff.* Si *cert. pet.* & *l.* *In agris. ff.* De *acquir. domin.* Vnde cum de fuerit intentio reſpiciens ad dandum pretium pro ſpirituali, non debet cenſeri datum pro ipſo; & proinde eſt excludenda ſimonia.

An ſit ſimonia, ſi quis det alicui pecuniam, vt ſua ipſius merita apud collatorem beneficij exponat. Quæſt. 380.

S V M M A.

1 *An ſit ſimonia dare pecuniam pro proprijs meritis exponendis apud collatorem.*
2 *Dans pecuniam, pro fine intermedio honeſto, an ſimonia.*
3 *Simonia requirit temporale pro ſpirituali, aut e contra.*
4 *Ordinare aliquid in eum finem, vt beneficiũ conferatur ex debita cauſa, non eſt ſimonia.*
5 *Simonia requirit, quod finis immediatus dãtis pecuniam ſit quid ſpirituale.*
6 *Exponens merita non eſt cauſa collationis beneficij.*
7 *Exponens pulchritudinem alicuius, vt inducat ad peccandum, quomodo peccet.*
8 *Exponens merita in ordine ad obtinendum beneficium, cur non ſit cauſa collationis.*

1 AFfirmatiuam ſentiam tenet Io. de Cartagena *in ſua diſputatione.* An *liceat dare munera interceſſori pro benef. cap.* 6. *difficul.* 1. aſſerens, eſſe ſimoniam dare pecuniam amico Prælati, vt apud ipſum exponat merita, quia, inquit, hoc eſt laudare aliquem apud Prælatum in ordine ad eum mouendum ad conferendum beneficium, atque adeo eſt eſſe cauſam moralem collationis. Vnde, qui daret pecuniam pro hoc, emeret cauſam moralem collationis beneficij, atque adeo committeret ſimoniam.

2 Sed in hoc non ſibi cohæret Cartagena, nam in eadem *diſp. cap.* 4. ver. *Secundo poſſunt.* & *cap.* 7. *in reſp. ad* 3. docet, quod quando dans pecuniam intẽdit aliquem finem intermedium honeſtum, & de ſe expetibilem, non committit ſimoniam, quamuis inde ſequatur acquiſitio ſpiritualis, ſeu collatio beneficij, quia tunc pecunia non datur pro ſpirituali. Sic qui exhibet obſequium Epiſcopo, vt acquirat beneuolentiam ipſius, qua mediante poſtea recipiat beneficium, non committit ſimoniam. In

caſu autem præſenti, qui dat pecuniam, vt propria ſua merita exponantur apud collatorem, habet finem intermedium honeſtum, & propter ſe expetibilem; nã expetibile eſt, quod propria merita cognoſcantur ab ijs præſertim, qui prodeſſe poſſunt, & habere bonam opinionem apud perſonas graues, & ab ijs æſtimari, eſt valde deſiderabile. Vnde cum in hoc caſu intermedius finis interueniat, etiã ſecundum doctrinam ipſius Cartagenæ, excludenda eſt ſimonia.

3 Itaque tenendum eſt, *quod nulla interueniat ſimonia, ſi quis det pecuniam alicui, vt propria ſua merita notificet collatori beneficij, vt inde moueatur ad ipsũ ei conferendum;* iuxta doctrinam, quam tradunt Adrian. *Quodlib.* 9. Angelus *verbo* Simonia 3. *n.* 25. Syluester *Quæſt.* 6. Azor. 3. *par. lib.* 12. *cap.* 5. *quæſt.* 4. Suarez *tom.* 1. *De relig. lib.* 4. *de Simon. cap.* 53. *nu.* 17. Filliuc. *tract.* 45. *cap.* 12. *quæſito.* 7. *nu.* 12. *in fine.* Bonac. *Diſp.* 1. *de Simon. quæſt.* 1. §. 1. *num* 16. Ratio autem eſt, quia ad inducendam ſimoniam requiritur, quod detur temporale pro ſpirituali, aut econtra; in hoc autem caſu non datur temporale pro ſpirituali, quia datur temporale pro illo munere exponendi merita, & finis proximus eſt acquiſitio bonæ opinionis apud collatorem beneficij, non autem ipſum beneficium.

4 Quod amplius conſtat ex eo, quod intentio dantis pecuniam non reſpicit ad ſpirituale, ſed eſt omnino aliena, vt velit temporale dare pro ſpirituali; nam intendit, quod collator beneficij moueatur ad conferendum, ſicut de iure debet moueri, nimirum ex meritis, & ideo procurat, quod propria merita notificentur ipſi; ergo non vult nec formaliter, nec virtualiter dare pecuniam pro beneficio; cum velit beneficium dari ex meritis, & non ex pecunia. Quando autem aliquid ordinatur in eum finem, vt beneficium conferatur ex debita cauſa, non interuenit ſimonia vt notat D. Th. 2. 2. *Quæſt.* 100. *ar.* 3. *ad* 3.

5 Inſuper. Vt interueniat ſimonia, neceſſe eſt, quod quando datur pecunia, finis immediatus ſit requiſitio alicuius ſpiritualis mediante illa pecunia; non autem ſufficit, quod ſit quid conſequens ex alio immediato fine iuxta doctrinã, quam tradunt D. Th. 2. 2. *quæſt.* 100. *ar.* 5. *ad* 3. Nauar. *in Manual. cap.* 23. *n.* 101. Suarez *tom.* 1. *de religio. cap.* 36. *nu.* 7. Garzias *de Benefic. par.* 11. *cap.* 3. *num.* 170. Molfeſ. *par.* 1. *Sum. tract.* 6. *cap.* 15. *num.* 56. vbi alios citat. In præſenti autem caſu, quod intenditur mediante pecunia, non eſt beneficium, ſed expoſitio meritorium ad bonam opinionem acquirendam, & acquiſitio beneficij ſolum reſpicitur, vt quid conſequens.

6 Hinc ſoluitur ratio in oppoſitum. negãdum eſt enim, quod expoſitio meritorum ſit cauſa collationis beneficij, & proinde qui dat pecuniam pro ipſa, non emit cauſam beneficij. & ſi eſſet cauſa, eſſet remota, nec cõſideraretur, vt informata beneficio, & proinde nõ eſſet materia ſimoniæ. Sed reuera non eſt cauſa; ſed tantum conditio quædam, & etiã remota, quia nimirum ſine ipſa collator non conſideraret merita illius. Cauſa namque finalis eſt prouiſio beneficij in perſona digna; impulſiua ſunt merita illius perſonæ expoſita collatori; efficiẽs verò eſt deliberatio collatoris facta ex motiuo meritorum.

7 Sed inſtat Cartagena. Si quis apud aliquem laudaret puellam tanquam formoſam eo fine, vt induceret ipſum ad eã dehoneſtandam, eſſet cauſa moralis efficiens illius dehoneſtationis; ergo etiã exponens merita apud collatorem eo fine, vt conferat beneficium, erit cauſa moralis collationis. Reſp. Non eſſe cauſam proximã dehoneſtationis, ſed remotam; vnde non peccaret peccato ſtupri, aut fornicationis, ſed peccato ſcandali. vnde ſolum ſequitur ad ſũmum, quod exponens merita erit cauſa remota; cauſa autem remota non poteſt conſiderati vt informata effectu, atq. adeo nec talis laudatio vt informata beneficio, vt ſit materia ſimoniæ.

8 Deinde eſt diuerſa ratio, nam laudans pulchritudinem puellæ, vt aliquem inducat ad illam dehoneſtandã, applicat cauſam ad illum effectum cauſandum,

pro

pro quo non eſt ex ſe applicata, & ideo habet rationem cauſæ, ſicut eſſet cauſa, qui applicaret ignem ad comburendam aliquam materiã, cui ante non eſſet applicatus. At merita ſunt ex ſe applicata ad obtinendum beneficium, cum intuitu meritorum debeat conferri; vnde qui ea exponit, non cauſat collationem, ſed ſolum tanquam conditio remouet impedimentũ occultationis, vt ipſa poſſint impetrare beneficium; ſic aperiens feneſtram, vt poſſit ſol cubiculum illuminare, non eſt cauſa illuminationis, ſed tantum remouens prohibens.

An ſit ſimonia accipere pecuniam pro applicatione animi ad conferendum aliquid ſpirituale. Quæſt. 381.

S V M M A.

1 *Applicare animum mediante pecunia ad cõferendum aliquid ſpirituale, an ſimonia.*
2 *Applicare animum ad aliquid conferendum, quid ſit.*
3 *Excluſa gratuita datione, & acceptione in ſpiritualibus conſurgit ſimonia.*
3 *Actus externus determinatur ab interno.*
3 *Ratio gratuitæ donationis eſt amor.*
3 *Amor primum donum.*

1 VAlent *tom. 1. diſp. 6. Quæſt. 16. punc. 3. quæſtiun. 2. ver. Sed poſſunt.* aſſerit, nõ eſſe ſimoniã, ſi quis propter temporale applicet animũ ad conferendum aliquid ſpirituale, ita vt temporale non ſit finis ſpiritualis, ſed applicationis animi. Ita enim habet; *Altero modo poteſt quis conferre ſpirituale propter tẽporale principaliter tamquam propter finem, ita vt temporale apud eum non ſit etiam finis ipſius rei ſpiritualis (quaſi temporale pluris ab eo, quàm ſpirituale æſtimetur) ſed tantummodo voluntatis, ſiue applicationis animi ad actum conferendi ſpirituale. Et hoc non eſt ſimonia. Nam tunc non propterea vel tanti, vel pluris æſtimatur temporale, atque ſpirituale.* Hæc Valentia.

2 Sed *non video, quomodo hæc doctrina ſubſiſtere poſſit.* Quid enim eſt applicare animum, ſeu voluntatem ad conferendũ aliquid ſpirituale, niſi determinare volũtatem ad conferendũ, atque adeo habere actum voluntatis de collatione. Si ergo temporale eſt finis principalis huius applicationis, & determinationis, erit etiam finis ſpiritualis, quod conferetur; tũ quia applicatio voluntatis ad conferendum eſt eſſentialiter informata collatione, atque adeo ipſo ſpirituali, cum ad ipſum dicat ordinem intrinſecum, ita vt neque mente ſeparari poſſit. Tum quia applicatio voluntatis ad conferendum eſt ipſa collatio interna ſeu voluntas cõferendi, atque adeo voluntas conferendi erit propter temporale tanquam propter finem principalẽ, in quo conſiſtit ſimonia. Vnde omnes, qui docent, eſſe ſimoniam dare ſpirituale pro temporali, tamquã pro motiuo principali, aut e cõtra, tacitè hanc ſententiam reijciunt, vt inter alios D. Th. *Quodlib. 8. ar. 11.* & 2. 2. *quæſt. 100. ar. 5. ad 3.* Altiſiodorenſ. 3. *par. Sum. tract. De Simon. quæſt. 2.* Alenſ. *par. 2. quæſt. 167. mem. 3.* Duran. *in 4. diſt. 25. quæſt. 4.* Richar. *quæſt. 2. ar. 3.* Gabr. *quæſt. 2.* Maior *ibid.* Palud. *qu. 5.* Caiet. *in Sum. verbo.* Simonia. *cap. 3.* Corduba *lib. 1. quæſt. 32.* Nauar. *in Manuali. cap. 23. n. 101.* Couar. *lib. 1. Variar. cap. vlt. nu. 3.* & alij communiter.

3 Accedit, quod quando excluditur gratuita acceptio, & datio in Spiritualibus, interuenit ſimonia. Cap. 1. & Cap. *Gratia. 1. Quæſt. 1.* & notant cõmuniter Dec. *Conſil. 25. num. 87. vol. 1.* Syluester *verbo.* Simonia. *quæſt. 3. reg. 5* Caiet. *ibid.* Nauar. *Cap. 23. Manual. num. 100.* Suarez *tom. 1. De relig. lib. 4. De Simon. cap. 44.* & cõmuniter. Quando autem datur temporale pro applicatione animi ad conferendum beneficium, excluditur gratuita collatio beneficij; nam ad gratuitam, & liberalem donationẽ requiritur, quod voluntas ipſa dandi ſit gratuita, aliàs, nec, quod datur, gratuitum erit. Actus enim externus denominatur ab interno, à quo ſumit rationem virtutis, & ideo actus internus debet habere illam ſpeciem, quam participat externus; & ſi non ha-

habet, non redundat in ipſum. Et ideo ſi voluntas dandi non ſit gratuita, nec erit gratuitum, quod damus. Nam, vt inquit D. Th. *1. par. quæſt. 8. ar. 2. in corpore*. Ratio gratuitę donationis eſt amor; ideo enim damus gratis alicui aliquid, quia volumus ei bonum. Primum ergo, quod damus ei, eſt amor, quo volumus ei bonum. Vnde manifeſtum eſt, quod amor habet rationem primi doni, per quod omnia dona gratuita donantur. Et D. Ambroſ. *lib. 1. de offic. cap.* 30. habet, quod affectus diuitem collationem, aut pauperem facit, & pretium rebus imponit.

An ſubſiſtat Indulgentia conceſſa pro Confraternitate nondum erecta, ſi in conceſſione pro erecta habeatur, & in ſupplicatione expreſſum ſit, quod erigebatur. Quæſt. 382.

S V M M A.

1 *Indulgentia pro confraternitate, quæ habetur pro erecta, an valeat, ſi nondum ſit erecta.*
1 *Litteræ extendendæ ad menſuram ſupplicationis ſignatæ.*
2 *In iis, quæ nemini nocent, ſufficit vnicus teſtis.*
3 *Quid facere debeat Ordinarius, quando confraternitas nondum eſt erecta, & pro ipſa eſt conceſſa indulgentia.*
3 *Paria ſunt fieri tempore habili, & tempore inhabili, ſed effectum conferri in tempus habile.*
4 *Quando in conceſſione gratiæ inſpiciendum tempus datæ.*
4 *Quando non requiratur habilitas tempore datæ.*

1 CVm erigeretur certa Confraternitas in quadam Eccleſia, ſupplicatũ fuit pro quibuſdam indulgentijs ad fauorem dictæ Confraternitatis, & in ſupplicatione fuit expreſſum, quod dicta Confraternitas inſtituebatur. Verum in extenſione litterarum habita eſt pro iã inſtituta, & tanquam iam inſtitutæ cõceſſæ ſunt indulgentiæ; dubitatur modo, an dictæ indulgentiæ ſubſiſtãt, & valeãt pro dicta confraternitate, quando iam erit plenè inſtituta. Et *affirmatiuè reſpondendum eſt*. quia licet videantur nullæ, cum nondũ exiſtat Confraternitas, pro qua conceduntur; attamen non ad tenorem litterarum extenſarum, & expeditarum attendendum eſt, ſed ad tenorẽ ſupplicationis, quæ à Papa ſignata fuit, quia ipſa eſt matrix originalis, & ad ipſius menſuram litterę attendendæ ſunt, vt dixit vt Rota *in Cæſarauguſtana penſionis 19. Februar.* 1599 *coram Cypsio*; & in *Bononienſi bonorum de Binarinis 5. Martij 16.8. coram Andrea*, & in *Colonienſi Canonicatus, ſeu Ferculi 17. Iulij 1647. coram Meltio*. Ludouiſ. *Deciſ.* 118. *num.* 1, vbi etiam Beltramin. *num.* 16. & frequenter ita Rotam decidiſſe, teſtatur Martin. *citata deciſ.* Vnde cum in ſupplicatione narratum ſit, quod confraternitas erigebatur, non obſtat validitati litterarum, quod in ipſis pro erecta habeatur, cum ad tenorem ſupplicationis ſignatæ reducendæ ſint, & iuxta ipsũ accipiendæ.

2 Sed difficultas eſt, quid dicendum, ſi non poſſet produci ſupplicatio, vt contingit, quando Ordinarius recognoſcere debet litteras indulgentiarum, an nimirum poſſet tales litteras admittere. Reſp. poſſe admittere, ſi ſaltem conſtaret per vnicum teſtem de ſupplicatione. Quia in ijs, quæ nemini nocent, & alteri proſunt, ſufficit vnicus teſtis Cap. *Cum itaq.* & Cap. *Paſtoralis*. De *conſecrat. Diſt.* 4. & notant Gloſ. *fin. in Cap. Licet vniuerſis*. De *teſtib. & in Cap. Placuit*. De *conſecrat Diſt.* 4. & *in Cap. Quanto. 2. Quæſt.* 9. vbi Dominic. Speculat. *Tit. De teſtib. fallent.* 9. & 16. Felin. *in Cap. Veniens* De *teſtib.* Iaſ. *in l. Reſcripta.* C De *precib. Imper. offeren.* Hippolit. *in l. 1 §. Idem Cornelio. ff.* De *quæſt.* Afflict. *ſuper Conſtit. Tit. de Apoſt. nu. 12. lib. 1.* Gabr. *Concluſ.* 1. *num.* 16. De *teſtib.* In caſu autem pręſenti agitur de fauore confraternitatis abſq. vllius prorſus præiudicio.

3 Alio etiam modo procedere poteſt Ordinarius, vt nimirũ non det executionem dictis litteris, niſi iam erecta cõfraternitate. Ex eo namque, quod in litteris præſupponitur Confraternitas iam exiſ-

exiſtens, requiritur tanquam ſubiectum habile ad recipiendam gratiam Pontificis, & proinde præſupponitur tanquam erecta, vt gratia concedatur ſubiecto habili. Quia tamen dictæ litteræ non ſortiuntur ſuum effectum, niſi ex voluntate Ordinarij exequentis, & proinde in ſuſpenſo manēt, quouſque recipiant exequutionem, ideo poterit Ordinarius differre vſque ad perfectam erectionem cōfraternitatis, quia ſufficit, quod ſubiectum ſit habile, quando debet recipere effectum: nam paria ſunt fieri tempore habili, & fieri tempore inhabili, dūmodo effectus conferatur in tempus habile. *l. In tempus. ff.* De *inſtit. hæred.* & notant Cagnol. *in l. fin. nu.* 5. *in noua edit.* C. De *Pactis* Decius *ibid. num.* 7. Iaſ. *nu.* 8. Purpurat. *num.* 10. Bologner. *num.* 61. Monteroſus. *nu.* 2. Sanchez *lib.* 7. *in Decal. c.* 2. *num.* 54. qui declarant, valere, dummodo ius non reſiſtat, qualis reſiſtentia non eſt in caſu noſtro.

4 Obijcitur ex Cap. *Si eo tempore.* De *reſcriptis in* 6. vbi deciditur, quod in gratiæ conceſſione inſpiciendum. eſt tēpus datæ, & qui dicto tempore non eſt idoneus pro beneficio obtinendo, nec etiam obtinere poteſt factus idoneus, & proinde decernitur ibi, reſcriptum Pontificium non ſuffragari illi, qui tempore datæ non habebat legitimam ætatem, & redditur ratio, *Cum tempore datæ ipſarum adhuc non eſſet idoneus.* Reſp. Hanc conſtitutionem procedere de beneficijs, quæ proinde nō debet extendi ad indulgentias, cum militet diuerſa ratio, nam mandatū de alicui prouidendo de præbenda eſt odioſum, quia aufert Epiſcopo liberam collationem, & ideo quæ circa ipſum decernūtur, non debent extendi ad alia. Deinde Pontifex non mandauerat abſolutè, quod prouideretur de beneficio curato, ſed ſuppoſito, quod haberet debita requiſita, & proinde debuerunt requiſita neceſſaria verificari tempore conceſſionis, quia tunc Pontifex ad illa reſpexit, & proinde ijs deficientibus, deficiebat intentio. At ſi abſolutè, & ſimpliciter Papa mandat prouideri, poteſt differri prouiſio vſque ad legitimam ætatem, & proinde non requiritur, quod adſit habilitas tempore datæ, vt deciditur in Cap. *Ei, cui.* De *præbend. in* 6. Ex quo tex. confirmatur, quod dictum eſt *num. præcedenti*, quod nimirum exequutio indulgentiæ differri poteſt vſque ad plenam erectionē Confraternitatis, quia litteræ Apoſtolicæ non ſunt nullæ, quando concedunt ſimpliciter aliquam gratiam, etiam ſi non adſit idoneitas in ſubiecto tempore conceſſionis, dummodo ſuperuentura ſit ex eodem tex. Ibi. *Sacerdotalis præbenda conferri non poterit, ſi nondum in ætate tali exiſtat, quod poſſit ad ſacerdotium promoueri. ſed aliam expectare debebit.*

An quando ex inſtitutione teſtatoris ad Capellaniam eſt præſentandus Sacerdos, debeat eſſe actu ſacerdos. Quæſt. 383.

SVMMA.

1 *Quando eſt præſentandus ſacerdos, an debeat eſſe actu ſacerdos.*
2 *Beneficium ſacerdotale poteſt impetrari à nō ſacerdote.*
2 *Quilibet in ſua diſpoſitione cenſetur adhærere iuri communi.*
3 *Sententia Rotæ.*
4 *Præbenda ſacerdotalis non poteſt conferri prouidendo, niſi habeat ætatem &c.*
5 *Qualitas ſacerdotis quomodo requiratur, quando eſt præſentandus ſacerdos.*
6 *Qualitas debet interuenire de tempore verbi adiecti.*
6 *Quid, ſi ſit in noſtra poteſtate.*
6 *Quando actus eſt in noſtra poteſtate, paratus ad actum ſimilis eſt habenti.*
7 *Modica non veniunt in conſiderationem.*
8 *Quæ de iure requirantur, vt quis promoueri poſſit.*
8 *Qui breui ordinari poteſt, promoueri poteſt ad beneficium.*
9 *Eodem modo accipienda diſpoſitio hominis, ac diſpoſitio iuris communis, ſi militet eadem ratio.*
10 *Beneficium ſacerdotale conferri poteſt non ſacerdoti &c. quia ſacerdotium non requiritur qualificatiuè.*

1 QVod non debeat neceſſariò eſſe actu ſacerdos, ſed ſufficiat, quod poſſit eſſe, & infra annum ordinari tenet Rolan. à Valle *Conſil.* 47. *num.* 6. *vol.* 1. Spin. *in Speculo teſtam. Gloſ.* 4. *princip. nu.* 68. Lambertin. *De iurepatron. par.* 1. *lib* 2. *quæſt.* 7. *principa.ar.* 27. *num.* 1. *& ſequen.* Gonzalez *ad Reg.* 8. *Cancel. gloſ.* 5. *init. num.* 74. *&* 104. Ceual. *Conm. opin. quæſt.* 693. *num.* 9. *& ſequent.* Flamin. *lib.* 3. *de reſignat. quæſt.* 9. *num.* 3. Gratian. *Cap.* 133. *Diſcept. forenſ. num.* 1. *& ſequen.* Perez de Lara *De capellan. lib.* 2. *cap.* 5. *num.* 16. Quaranta *in Sum. Bullarij.* verbo. *Seruitium Capellaniæ.* Giron. *De priuileg. ſeu exempt. explicat. nu.* 1172. & alij. qui tamen addunt, hoc non habere locum, quando diſpoſitio eſſet concepta verbis negatiuis, ſi nimirum diſponeret, quod non præſentetur, niſi ſacerdos.

2 Horum fundamentum eſt. Quia beneficium habens annexum miniſteriũ ſacerdotale poteſt impetrari à non ſacer. dote, dũmodo intra annum à die poſſeſſionis poſſit ordinari. Cap. *Cum in cunctis.* De *elect.* & Clem. *Generalem.* De *ætat. & qualit. &c.* & Concil. Trident. *ſeſſ.* 22. *cap.* 4. *de Reformat.* & *ſeſſ.* 24. *cap.* 12. *de Reformat.* cum ergo quilibet in ſua diſpoſitione videatur adherere velle iuri cõmuni, vt notant Bart. *in l. Heredes mei. §. Cum ita. num.* 4. *ff.* Ad Trebell. Dec. *Conſil.* 18. *num.* 20. Afflict. *Deciſ.* 44. *num.* 20. etiam teſtator cenſendus eſt hoc pacto diſpoſuiſſe.

3 E contra autem plures alij tenent, debere eſſe actu ſacerdotẽ. Gloſ. *in Cap. Nemo deinceps.* verbo. *Sacerdotio.* De *elect. in* 6. Abbas *in Clement.* Vt *ij, qui. nu.* 18. ver. *Item pone.* Cardin. *ibid. §. Illa vero. num.* 4. Vitalin. *num.* 16. De *ętate, & qualit.* Rochus *De iurepatronat. verbo.* Honorificum. *quæſt.* 4. *nu.* 26. Paris. *Conſil.* 50. *num.* 12. *lib.* 4. Dec. *in Cap. Cum in cunctis. § Inferiora. num.* 22. De *iudic.* & *Conſil.* 29. *num.* 5. Gutierez. *Conſil.* 1. *n.* 11. & *Conſil.* 2. *per totũ.* Mandoſ. *in tract. Caſuum annal. nu* 10. Rebuf. *in Repet. Cap. Extirpandæ. §. Qui verò. not.* 2. De *prębe.* Perez. *lib.* 1. *§. Notabile eſt etiam. Tit.* 6. *lib.* 1. *Ordinat.* Garzias *De benefic. par.* 7. *cap.* 1. *num.* 58. *& ſequent.* Campanil. *in Diuerſ. iur. comm. Rubr.* 7. *cap.* 6. *num.* 10. Zech. *De repub. eccleſ.* Tit. *De beneficiar. num.* 4. *not. vlt.* Tuſch. *littera B. concluſ.* 57 Lotter. *De re beneſ. lib.* 2. *quæſt.* 47. *num.* 10. Barboſa *De poteſt. Epiſcop. par.* 2. *alleg.* 24. *nu.* 42. Riccius *in Praxi. reſolut.* 339. Et ita ſæpius tenuit Rota vt *in Lucana Capellan.* 4. *Decemb.* 1595. *coram Gipſio.* In Foroliuienſ. Capellan. 10. *Maij* 1589. *corã Seraph. et in Romana* Capel. 19. *Martii. &* 14. *Nouẽb.* 1586. *corã Pamphil.* In Parmenſi *iuriſpatronatus* 8. Iun. 1573. *coram Blanchetto* & *Deciſ.* 290. *num.* 4. *apud Duranũ.* & *Deciſ.* 216. *num.* 1. *par.* 2. *Recent.*

4 Hæc difficultas reſoluenda eſt per tex. Cap *Ei, cui.* De *præbendis in* 6. vbi deciditur, quod ſi alicui mandetur à Pontifice prouideri de præbenda ſacerdotali, non poterit ipſi conferri, ſi nondum habeat ætatem ſufficientem, vt promoueri poſſit ad ſacerdotium, ſed debebit expectare vſque ad debitam ætatem pro ſacerdotio. ibi. *Ei, cui prouideri mandatur ſimpliciter de præbenda proximè vacatura, ſacerdotalis præbenda ei conferri non poteſt, ſi nondum in ætate tali exiſtat, quod poſſit ad ſacerdotium promoueri.* Et proinde reſoluendũ eſt, *Quod quando eſt præſentandus ſacerdos ad aliquam capellaniam ex inſtitutione fundatoris, poterit præſentari non ſacerdos, ſi habeat legitimam ætatem, vt poſſit ad ſacerdotium promoueri: Secus autem ſi non habeat legitimam ætatem.*

5 Ratio eſt, Quia non minus requiritur qualitas ſacerdotij in eo, cui præbenda ſacerdotalis eſt conferenda, quàm requiratur à teſtatore in præſentando ad Capellaniam, cùm ex eodem capite in vtroque requiratur, nempe quia tàm capellania, quàm præbenda ſacerdotalis eſt, & proinde requirit pro ſubiecto Sacerdotem. In tantum enim fundator capellaniæ vult, pręſentari ſacerdotem, in quantum eſt præſentandus ad miniſterium, quod requirit ſacerdotium. Cũ ergo prębenda ſacerdotalis poſſit conferri ei, qui non eſt actu ſacerdos, ſed habet legitimam ætatem, vt poſſit ordinari, & non poteſt conferri, ſi non habet legitimam ætatem pro ſacerdo-

tio,

tio, poterit quoque non ſacerdos præſentari ad Capellaniam, ad quam præſentandus eſt ſacerdos, ſi habeat legitimam ętatem pro ſacerdotio, & non poterit pręſentari, ſi nō habet dictā ætatē.

6 Ratio autem eſt, quia licet requiratur ſacerdotium qualificatiuè ad perſonam promouendam, & qualitas debeat interuenire de tempore verbi adiecti iuxta regulam *l. In delictis. §. Si extraneus. ff.* De *noxalib.* atque adeo in ipſo initio actus, vt declarant Cardin. *in Cap. Perpendimus. num. 7. ver. Sed redeundo.* De *ſent. excommunicat.* Gomez *Deciſ. 72. init. lib. 1.* hoc tamē ſolum locum habet de qualitatibus, quæ non ſunt in noſtra poteſtate, nec pararę ſuot, vt acquirantur, quia tunc, ſi non adeſt qualitas, nec eſt talis, qualis requiritur, nec in promptu habet, vt ſe faciat talem. At quando qualitas eſt in poteſtate noſtra, & dependet à noſtra voluntate, & in promptu eſt, vt poſſit acquiri, tunc non eſt neceſſe, quod actu habeatur, ſed ſufficit, ſi ſtatim poſſit haberi, & perſona qualificanda parata ſit illam aſſumere. Nam in ijs, quæ dependent à noſtra volūtate paratus ad aliquem actum ſimilis eſt habenti talem actum. Cap. *Qui peierare. 22. Quæſt. 5.* & *l. Iure ciuili. ff.* De *condit. & demon.* & *l.* Si *reus. ff.* De *procurat.* Et proinde tanquam proximè qualificandus habetur pro qualicato *l. Ex eo tempore. ff.* De *teſtam. milit.*

7 Et hoc pacto ſaluatur etiam mens diſponentis requirentis talem qualitatē; cum enim illam requirat qualificatiuè ad perſonam, & parum, imo nihil interſit, quod actu inſit, aut de breui ſuperuentura ſit, quia modica non veniunt in conſiderationem *l. Si oleum. §. Poſſunt. ff. Cōmodati.* & *l. Seio. ff.* De *in integ. reſt.* nō erit contra mentem diſponentis, & requirentis certam qualitatem, ſi qualitas de præſenti non adſit, ſed ſuperuentura ſit de breui.

8 Atque ſupradicta doctrina confir. Quia cum de iure communi quatuor requirantur qualificatiuè ad perſonam, vt per textum illum notat Gloſ. *in Cap. Si pro clericis. in figura t. caſut.* & *verbo* Alij. *De prębend. in 6.* nempe Scientia, Ætas, Mores, & Ordo. Si priores tres qualitates actu non inſint, nō poteſt promoueri; ſi verò non inſit ordo, promoueri poteſt, dummodo poſſit breui ordinari. Cap. *Si pro clericis.* De *prębend. in 6.* & Cap. *Si is, ad quem.* De *inſtitut. in 6.* Quia nimirum tres priores qualitates non ſūt ita in poteſtate carentis, vt in promptu ſint, vt poſſint acquiri; quarta verò eſt in promptu, vt poſſit haberi, & ideo quāuis requiratur, non eſt neceſſe, quod actu inſit.

9 Nec cum Lotterio *lib. 2. de re benef. quæſt. 47. num. 15.* reſponderi poteſt, quod cum diſpoſitione iuris communis mitius agitur, quàm cum diſpſitione hominis; nam diſpoſitio quoque hominis accipienda eſt intra terminos rationis, & ad illos reducenda; & proinde cū ſimus in caſu, in quo ratio eadem, quę militat in diſpoſitione iuris communis, militat etiam in diſpoſitione hominis, eodē modo accipienda eſt diſpoſitio hominis, ac accipitur diſpoſitio iuris. Præſertim, quia omnis diſpoſitio reducitur ad ius commune, niſi aliquid obſtet. vt notant Ancharan. *Conſil. 6. num. 13.* & *Conſil.* 421. *init.* Roman. *Conſil. 350. num. 24. ver. Tertio.* Valaſc. *Conſil. 42. nu. 7.* Tiraquel. *Tract. Le mort declar. 2. num. 2.* Barboſa *in l. 1. par. 1. nu. 61. ff.* Soluto *matrim.* Tuſch. *Littera D. concluſ. 501.*

10 Nec obſtat fundamentum oppoſitæ ſentent. *n. 2.* relatum. Nam Ius commune concedit conferri beneficium habens annexum ſacerdotale miniſterium non ſacerdoti, ſi intra annum promoueri poſſit ad ſacerdotium, atque adeo quāuis tunc non habeat legitimam ętatem pro ſacerdotio; quia ſacerdotium non requiritur qualificatiuè ad perſonam promouendam, ſed ſolum eſt annexum miniſteriali modo. At quando inſtitutor diſponit, quod præſentetur ſacerdos, ſacerdotium requiritur qualificatiuè ad perſonam, & ideo debet ſaltem actu habere ætatem legitimam pro ſacerdotio, vt de proximo poſſit habere qualitatem requiſitam, vt conſtat ex dictis.

An ſit licita ſponſio, in qua quis cum pluribus certò lucraturus eſt, et cum vno tantum perditurus. Quæſt. 384.

SVMMA.

1 *Declaratio caſus.*
2 *Sponſio cum pluribus ſeorſim, in qua ſponſor cum pluribus eſt lucraturus, & cum vno tantum perditurus, an licita. & nu. ſeq.*
4 *Sponſiones, quæ ſingillatim ſunt iuſtæ, non fiunt iniuſtæ ex eo, quod vniantur.*
5 *Iniuſtitia quando contingat.*
6 *Sponſio vt ſit iuſta, quid requirat.*
6 *Quæ certitudo lucri non obſtet ſponſioni.*
7 *Quædam ſponſiones cur alicubi prohibitæ.*
7 *Sponſio de ſe licita.*

1 QVando plures concurrunt ad aliquod officium, & vnus tantũ ipſum conſequuturus eſt, poteſt quis cũ aliquo ſpondere, quod Titius concurrẽs non obtinebit tale officium, & cum alio ſpondere, quod neque Caius obtinebit, & cum tertio, quod neq. Franciſcus obtinebit, & cum quarto, quod neque Petrus obtinebit. Cum autem vno obtinente cœteri remaneant excluſi, ſponſor cum vno tantum perdet ſponſionem & cum tribus lucrabitur, dubitatur modo, an talis ſponſio ſit licita.

2 Prima autem opinio negat, eſſe licitam. Ita Ledeſma *par. 2. Sum. tract. 32. cap. 2. difficul. 2. poſt. ·concluſ.* Villalob *par. 2. Sum. tract. 28. difficul. 6. num. 3.* Quia licet quælibet ſponſio de ſe ſeorſim iuſta ſit, & licita, coniunctim tamen habent magnam inæqualitatem, & proinde cõtinent Iniuſtitiam; nam ex vna parte concurrit tantum periculũ amittendi in ordine ad vnum, & lucrum cum tribus certum eſt. Ex altera verò parte concurrit periculum amittendi ex parte trium, & quò ad vnum tantum lucrũ eſt certũ.

3 At huiuſmodi ſponſiones eſſe licitas, tenet Sanchez *lib. 1. Conſil. moral. cap. 8. dub. 16 num. 2.* aſſerens, ſic etiam ſentire doctos Recentiores. quia ſponſio cum ſingulis iuſta eſt, & licita, quia cum ſingulis eſt dubius de futuro euentu, & ideo reſpectu ſingulorum poteſt lucrari, & perdere, in quo conſiſtit iuſtitia huius contractus.

4 Et *hæc poſterior ſententia mihi videtur probabilior.* Quia, cum ſingulę iſtæ ſponſiones de ſe ſint iuſtæ, vt etiam fatentur Doctores oppoſitæ ſententiæ, non poſſunt ſimul iunctæ fieri iniuſtæ. quia non vniuntur in vnicum contractum tanquam partes illius, vt poſſit in toto conſurgere inæqualitas, & iniuſtitia; nam ſingulæ ſunt ſpecialis, & ſingularis contractus cum diſtinctis perſonis, ita vt in tali contractu intereſſe vnius non communicet cum intereſſe alterius. Et eſt eadem ratio, ac de ludo, in quo plures ſimul ludunt, & quilibet rem ſuam agit, & vnus vincit cum omnibus, aut ratione puncti, aut ex aliò titulo. Tunc enim in tali ludo certus eſt, quod ſi perdit, cum vno tantum perdet nempe cum eo, qui omnes vincit, & econtra, ſi vincit, cum pluribus vincet, & tamen iſta inæqualitas non tollit iuſtitiam ludi, quia contractus initur cum ſingulis ſeorſim.

5 Deinde non poteſt interuenire iniuſtitia, niſi lædatur ius alterius; nam cum obiectum iniuſtitiæ, vt ait D. Th. *2. 2. q. 59. ar. 2. in corpore.* ſit aliquid inæquale, prout ſcilicet alicui attribuitur plus, vel minus, quàm ſibi competat, requiritur talis inæqualitas, ex qua aliquis lędatur. In dictis autem ſponſionibus nullius ius læditur, quia iura ſunt ſingulorum propria, & ideo niſi aliquis lædatur in proprio iure, non poteſt interuenire iniuſtitia; vnde cum ſingulæ ſponſiones cum ſingulis contrahantur, & cum ſingulis ſeruetur debita æqualitas, nullius ius læditur.

6 Nec dictæ ſponſiones dici poſſunt iniuſtæ ratione certitudinis lucrandi, ſi quidem, vt contractus ſponſionis ſit licitus, debet ex vtraque parte lucrum eſſe incertum, & periculum perdendi debet eſſe æquale. Nam incertitudo lucri, & periculum perdendi neceſſarium pro iuſtitia ſponſionis, adhuc in his ſponſionibus ſaluatur. Siquidem incertitudo euentus neceſſaria pro ſponſione eſt illa,

quæ

quę ipſi ſponſioni intrinſeca eſt, & proinde excludit ſolam certitudinem extrinſecam lucri. hoc eſt, quæ oriatur ex ipſamet ſponſione, non autem certitudinē extrinſecam, & quæ per accidens ſe habet. Intrinſeca autem incertitudo reperitur in omnibus ſponſionibus, cum in omnibus adſit periculum perdendi; vnde ſingulę habent ſuam incertitudinem: nec poteſt dari vna incertitudo omnibus communis, quia non communicant inter ſe. Certitudo autem lucri eſt extrinſeca, & per accidens proueniens ex induſtria ſponſoris, quia ita diſponit ſponſiones, vt ſit certò lucraturus.

7 Neque obſtat, quod huiuſmodi ſponſiones aliquibus in locis prohibeantur, quia non prohibentur ratione iniuſtitiæ, quam contineant, ſed quia ratione annexorum non cenſentur expedire bono publico, & ratione circumſtantiarum afferre detrimentum, vnde neque abſolutè prohibentur, ſed ſolum ſuper certis rebus, quod ſignum eſt, non eſſe de ſe malas, ſed ſolum eſſe occaſionem ratione circumſtantiarum alicuius damni. Imo ſi hoc valeret, non ſolum prædictus modus ſponſionis eſſet reijciendus, ſed abſolutè etiam ipſa ſponſio, quia abſolutè ſponſio ſuper tali re prohibetur. Quam tamen licitam eſſe, tradunt communiter. Iaſ. *in l. A Titio. ff.* De *verbor. obligat.* Dec. *Conſil.* 115. Couaruu. *Regula Peccatũ* §. 4. *n.* 2. De *reg. iur. in* 6. Petrus Santerna *De ſponſion.* Mercat. *par.* 2. *num.* 17. Padilla *l. De fideicom. num.* 9. C. De *tranſact.* vbi alios citat. Gomez *lib.* 2. *Varar. cap.* 11. *num.* 4. Medina *Cod.* De *reſtit. quæſt.* 22. Clar. *lib.* 5. *recep. ſent. verbo. Ludos.* ver. *Quarto etiam.* Sotus *lib* 6. *De iuſt. & iure quæſt.* 7. *ar.* 1. Nauar. *in Manuali cap.* 20. *num.* 18. Alcozer. *tract. de ludo. cap* 46. *concluſ.* 3. Sanchez *lib.* 1. *Conſil. moral. cap.* 8. *dub.* 32. *num.* 2. Et approbatur in iure *l. Si quis ita ſtipulatus fuerit. ff.* De *verbor. obligat.* & *l. Si pater.* C. De *inoffic. teſt.*

An penſio ſit aliquid ſpirituale. Queſt. 385.

S V M M A.

1 *Penſio an quid ſpirituale, an verò temporale.*
2 *Subiectum penſionis quodnam ſit.*
3 *Opinio aſſerens, penſionem eſſe quid ſpirituale.*
4 *Spirituale quid ſit.*
5 *Solus clericus capax ſpiritualis penſionis.*
5 *Clericatus ſeparat à laicis.*
6 *Beneficium cur ſit quid ſpirituale.*
6 *Ius percipiendi penſionem cur ſpirituale.*
6 *Fructus penſionis, et beneficij percipiuntur titulo iuſtitiæ.*

1 Difficultas procedit de penſione clericali, pro qua requiritur clericatus, vt quis ſit capax: non autem de laicali, cum de hac certum ſit, non eſſe quid ſpirituale. Eſſe autem quid merè temporale, tenent Coſmas Gumier in *Pragmat. ſanct.* Tit. *De collat.* ver. *Item quod vniuerſitates.* verbo. *Beneficiorum.* Rebuf. *tract. De pacifi. poſſeſ. num.* 132. *concluſ.* 18. Gigas *de penſion quæſt.* 1. *num.* 1. ver. *Prædicta definitio. & quæſt.* 69. *n.* 6. & 7. Burſat. *Conſil.* 178. *num.* 28. Leſſius *lib.* 2. *De iuſt. & iur. cap.* 35. *nu.* 125. Lotterius *de re beneficiar. lib.* 5. *q.* 29. *n.* 86. qui *n.* 92. miratur, quomodo Rota oppoſitum tenuerit in *Britinorenſi Commendæ* 12. Decẽb. 1588. *corã Gyptio*; & eſt impreſſa *Deciſ.* 63. *num.* 3. *poſt Conſil. Farinac.* Quod etiam tenuit *Deciſ.* 2. *nu.* 5. *par.* 4. *Recent.* & alij, quos citaui *in Deciſ. Moral. lib. Deciſ.* 207. *n.* 1.

2 Fundamentum huius ſententiæ eſt. Quia ſubiectum penſionis non eſt aliud, quàm fructus beneficij, prout ſunt ſeparati, & diſtincti ab ipſo beneficio, vt inter alios notant Roman. *Conſil.* 388 *nu.* 1. ver. *Primò, quia hæc.* Gigas *Conſil.* 35. *num.* 9. ver. *Eſt enim penſio.* Burſat. *Conſil.* 178. *n.* 28. & latè declarat ipſe Lotter. *lib.* 1. *de re beneſ. quæſt.* 39. *num.* 82. & *ſequen.*

At

3 At eſſe quid ſpirituale, tenent. Paul. Roman. *De penſion.cap.6.num.*34. Gambar. *De offic.leg.lib.* 6. *num.* 361. *&* 633. Guerret. *in* Speculo.*cap.* 61. ver. *Et ſi penſio.* Fuſchus De *viſit.lib.2.cap.*26.*num.*40. Nauar. *Conſil.*11. *De reb. Eccleſ. non alien.* & *conſil.*60. 62. *&* 66. *De ſimon.* Salzedo *ad Pract.* Diaz *cap.*91. *Littera* D. ver. *Septimo quod licet.* Vgolin De Simon.*tab.*1. *c.* 28. §. 3.*nu.*6. *&* 7. Corduba *lib.*1.*quæſt.* 21.*punc* 1. Flamin. *De reſig.lib.*6.*quæſt.*4. *num.* 54. Zerola *in* Praxi *Epiſcop. par.* 2. ver.*Penſionarius.*S.1. Adrian.*Quodlib* 4.*ad* 5. Philiar. *De offic.ſacerdot.par.*2. *lib.* 6.*c.* 4.*concluſ.*3. Zechius *De benefic.cap.*11.*nu.* 8. *&* 9. Vega *par.*2. *Sum. cap.* 65. *caſu.* 7. Sayrus *lib.*2. *De cenſur.cap.*5.*num.*15. Lopez *par.*1. *Inſtruct.cap.*103. Viual. *in Appendice ad* Candelab. *cap.* 1. *num.* 33. Rodriquez *par.*2. *Sum.cap* 21. *num.* 7. *&* 8. Henriquez *lib.* 13. *Sum. cap.* 13. *num.* 2. Garzias *de Benefic. par.*1. *cap.* 5. *num.* 19. Rota Deciſ. 454. *num.*7. *par.* 1. *diuer. &* Deciſ. 585. *num.*3. *par.* 4. *Recent.* & *Deciſ.*450. *par.*5. & alij, quos citaui *in Deciſ. mor. Deciſ.*207. *num.*4.

4 Et quidem *Quamuis ex eo capite, quod penſio imponatur ſuper fructibus, non ſit quid ſpirituale, quia fructus ſunt quid merè temporale, ex alio tamen capite cenſenda eſt ſpiritualis, nimirum ratione iuris, quod quis habet ad percipiendos hos fructus.* Cum enim ſpirituale ſit id, quod ex ſpirituali gratia procedit, aut ad ipſam diſponit, vt docet D. Th. communiter receptus 2. 2. *qu.* 100. *ar.* 3. *in corpore.* & admittit etiam ipſe Lotter. *lib.*2.*de re benefic.quæſt* 9.*num.*7. *&* 8. ſequitur, quod etiam ius ad pēſionem ſit quid ſpiritualizatum tanquam informatum eſſe ſpirituali ſui ſubiecti, & in ipſo radicatum.

5 Nemo namq; poteſt eſſe capax eccleſiaſticæ penſionis, niſi ſit conſtitutus in ſtatu clericalis militiæ, vt declarat Pius V. *in ſua conſtit.* 71 et Sixtus V. *in ſua Conſtit.* 31. & tamquam certum ſupponūt Doctores præſertim Garzias *par.*1. *de Beneſ.cap.*5. *num.*10. pluribus id comprobans. Cum autem clericatus ſeparet à laicis, & incorporet ordini eccleſiaſtico Cap. *Cum contingat.* De *ætat. & qualit.* remanet Deo dicatus in ordine ad cultum ipſius, & proinde acquirit quemdam ſtatum ſpiritualem. Vnde cum ius ad pēſionem fundetur neceſſariò in hoc ſtatu, eſt ius ſpiritualizatum, quia eſt ius, quod competit perſonæ, quatenus ſpiritualizatæ per conſecrationem, qua ſe Deo conſecrauit.

6 Quod etiam ex eo confir. Ideo beneficum, quatenus dicit ius percipiendi fructus, eſt ſpirituale ius, quia conſurgit ex legitima conſecratione facta Deo bonorum temporalium, vt notant Lotterius. *De re benefic. lib* 1. *quæſt.*5.*num.*43. Nauar. Cap.23.*Manual. num.*108. & alij & §. *Sacra res.* Inſtit. *De rer. diuiſione.* quia enim bona, quæ eriguntur in beneficium, conſecrantur Deo, & ſuo modo ſpiritualizātur, ideo ius ad percipiendos fructus ipſorum ſpirituale eſt, quia ius, quod non eſt ſpirituale, eſt ad ſpiritualizata. Vel quia habet annexum officiū ſpirituale, vt cum pluribus notat Garzias *par.*1. *cap.*2.*num.*7. Vel quia oritur ex officio eccleſiaſtico tanquam ex radice, vt notant Palaus *par* 2. *oper. moral. tr.*13. *de benefic. diſp.*1.*punc* 1.*num.*2. Hæc autē omnia habent locū etiam in iure percipiendi penſionem eccleſiaſticam. nam tale ius emergit ex conſecratione bonorum temporalium facta Deo, nam ipſa ſtāre talia bona quò ad fructus remanēt deſtinata pro ſubſtentatione miniſtrorū, qui inſeruiunt cultui diuino, & proinde ius, quod datur talibus miniſtris ad participandum in fructibus dictorum bonorum, radicatur in conſecratione ipſorū, & ex ipſa emergit, quia datur tale ius, quatenus ex vi conſecrationis talia bona ſūt deſtinata pro miniſtris. Habet etiā annexū officiū eccleſiaſticū inſeruiēdi cultui diuino, & proinde recitandi ſaltem officium diuinū, per quod Pius V. determinauit cultū diuinū exhibendum à penſionarijs. Et oritur etiam ex officio eccleſiaſtico tanquam ex radice; tum quia ratione clericatus perſona militat Deo, & ipſi inſeruit in illo ſpeciali munere orandi mediante officio B. Virginis. Quod ex eo colligitur, quia hi fructus dantur ſecundum normam commutatitiuæ

tiuæ iuſtitiæ pro onere inſeruiendi Deo, vt de fructibus beneficij notat Sotus *lib. 3. De iuſt. & iure. qu. 3. ar. 2. in 2. concluſ.* & proinde, ſi non recitant officium B. Virginis, tenētur ad reſtitutionem pro rata, vt decernit Pius V. *in ſua Conſtit.* 135. Ex *proximo*. §. 2. in fine.

An liceat ſe inebriare medicinæ cauſa. Quæſt. 386

SVMMA

1 *Inebriatio an licita medicinæ cauſa, & num. ſeq.*
3 *Ebrietas quatenus mala.*
4 *Exceſſus in delectatione potus quando habeatur.*
5 *Ebrietas an intrinſecè mala.*
6 *Priuari vſu rationis, an ex ſe malum.*
7 *Fornicatio quomodo mala.*

1 QVod non ſit licitū, quamuis medicinæ cauſa, tradunt Angelus *verbo* Ebrietas. *num.* 2. Roſella *ibid. nu.* 2. Tabiena *num.* 4. D. Antonin. 2. *par tit.* 6. *cap.* 6. *num.* 1. & ij, qui tenent, ebrietatem ita eſſe intrinſecè malam, vt nunquam poſſit fieri licita, vt inter alios Vuigers *de Iuſt. & iure. tract. De temperant. c. 2. dub. 7. num. 11. & ſequent.* Fundamentum huius ſententiæ eſt. Quia non ſunt facienda mala, vt eueniant bona, vnde cum ebrietas ſit ſemper contra temperantiam, ſēper retinet ſuam malitiam, & nunquam fit licita. Sic non licet inducere aliquem ad fornicandum medicinæ cauſa. Vnde D. Auguſ. *ſerm. 231. de tempore.* ait. *Qui enim alterū cogit, vt ſe plusquam opus eſt, bibendo inebriet, minus malum ei erat, ſi carnem eius vulneraret gladio, quàm animam eius necaret.*

2 E contra tamen tenent alij, id licere. Ita Socin. *in repet.* Cap. *Si conſtiterit. num.* 20. De *accuſat.* Caiet. 2. 2. *qu.* 150. *ar.* 2. *ad* 3. Sylueſter *verbo.* Ebrietas. *nu.* 4. Nauar. *in Manuali cap. 23. nu.* 119. Azor. *par. 1. lib. 7. cap. 33. qu. 5. §. Dubia quæſtionis.* Tolet. *lib. 8. cap. 61. nu. 1. ver. Vnum* eſt. Bannes 2. 2. *qu. 46. ar. 7. circa finem.* Armilla *verbo.* Ebrietas. *num.* 5. Leſſius *lib. 4. de Iuſt. & iure. cap. 3. dub. 4. nu.* 31. Villalob. *par. 2. Sum. tract. 40. difficult. 6. num.* 5. Filliuc. *tract. 30. cap. 1. qu. 4. n.* 12. Lublinus *part.* 2. *Sum. verbo.* Ebrietas. *num.* 16.

3 Hæc *poſterior ſententia eſt abſolutè tenenda.* Nam ebrietas non eſt mala, niſi quatenus fundatur in exceſſu potus ordinati ad delectationem guſtus, & appetitus; & proinde habet ſuam malitiam ratione finis, ad quem ordinatur, nempe, ad delectandum guſtum, & appetitum. Quæ quidem delectatio, licet ſecundum ſe ſit licita, quando tamen eſt cum exceſſu, contrariatur temperantiæ, quæ præſcribit mediocritatē in his delectationibus. At quando ſumptio vini in magna quantitate ordinatur ad ſanitatem, habet alium finem, & ceſſat finis delectationis guſtus, & appetitus, & proinde non eſt amplius regulanda ſecūdum regulas temperantiæ, ſed ſecundum regulas medicinæ. Vnde cum fiat in ea mēſura, quam præſcribit medicina, nullus interuenit exceſſus, neque ex parte materiæ, neque ex parte finis, cum omnia ſint ſecundam debitam menſuram, & proinde ceſſat exceſſus, ratione cuius continet malitiam, & hoc pacto denudatur à malitia, & fit licita.

4 Nec obſtat, quod etiā tunc interueniat delectatio guſtus; nam talis delectatio non eſt per ſe intenta, ſed per accidēs conſurgit. Nec in ratione delectationis dicit exceſſum, quia tunc in delectatione habetur exceſſus, quando habetur in potu, cum non ſit exceſſus ſecundum intentionem, ſed ſecundum extenſionem, quia cum exceſſu extenditur; & ideo cū in quantitate potus nō ſit exceſſus, quia menſuratur, non ſecundum regulas temperantiæ, ſed ſecundum regulas medicinæ, nec etiam erit in delectatione.

5 Hinc ſoluitur fundamentum oppoſitæ ſententiæ. Neque enim ebrietas eſt intrinſecè mala, cum poſſit denudari ſua malitia, vt conſtat ex dictis; ſed ſolū quatenus cōtrariatur virtuti temperantiæ,

tiæ, à qua contrarietate poteſt ſubtrahi; & ideo non fiunt mala, vt eueniant bona. D. autem Auguſ. *num*. 1. citat. Solũ vult, quod ebrietas animam necet, quãdo continet exceſſum contra virtutem temperantiæ, atq; adeo propriam malitiam; non autem vult, quod non poſſit denudari ab hac malitia, vt iam explicatum eſt.

6 Quod ſi vrgeatur, quod quocunq; modo contingat, ſemper priuat vſu rationis, & proinde ſemper continet malitiam. Reſp. Priuari vſu rationis non eſſe ex ſe malum; ſed ſolum ratione cauſæ, vnde ſequitur iſta priuatio; nam quando dormimus, priuamur vſu rationis, & tamẽ nulla interuenit malitia. Imò eſt licitum priuare ſe vſu rationis in ordine ad reſtaurandum corpus, & in hunc finem ſunt licita remedia conciliatiua extraordinarium ſomnum, quando eſt neceſſarius ad reſtaurationem corporis; vnde cum ſomnus ſit priuatio vſus rationis, erit licita talis priuatio etiam media ebrietate, quando eſt neceſſaria in ordine ad ſanitatem.

7 Nec eſt eadem ratio de fornicatione, quia fornicatio non eſt mala ratione alicujus exceſſus, atq; adeo nec accidentaliter, vt poſſit à malitia ſua denudari, ſicuti eſt potus; ſed eſt mala eſſentialiter ratione ſui obiecti; & ideo ſiue ſecundum has regulas, ſiue ſecundum illas menſuretur, ſemper retinet propriam malitiam, quia ſemper retinet ſuum obiectum cum eadem deformitate obiectiua, & eadem contrarietate ad regulas rationis. Potus autem non eſt malus ex obiecto, ſed accidentaliter ex exceſſu, qui exceſſus poteſt honeſtari, quando ſecundum alias regulas eſt neceſſarius.

An diſpenſatus ob infirmitatem oculorum à recitatione diuini officij, teneatur ipſum recitare, ſi conualeſcat.
Quæſt. 387.

SVMMA.

1 *Diſpenſatus ab horis canonicis ob infirmitatem oculorum, an teneatur recitare ſi conualeſcat.*
2 *Ceſſante cauſa quando ceſſet diſpenſatio.*
3 *Quando obligatio legis habet tractum ſucceſſiuum, diſpenſatio non extenditur ad tempus, in quo cauſa ceſſat.*
4 *Diſpenſatio non ſubſiſtit, niſi vt informata cauſa finali.*
4 *Paria ſunt, cauſam non fuiſſe ab initio, & poſtea omnino ceſſaſſe, in diſpenſatione habente tractum ſucceſſiuum.*
5 *Quando cauſa ceſſat negatiuè, ceſſat etiã lex.*
5 *Facilius ceſſat diſpẽſatio, quam ius cõmune.*
6 *Obligatio legis habentis plura præcepta affixa tempori, quomodo debeat extingui.*

1 NOn teneri recitare officium diuinum, etiam ſi conualeſcat ab infirmitate, propter quam diſpenſatus eſt, ſed adhuc durare diſpenſationem, etiam ſi cauſa ceſſauerit, tenet Auctor caſuum conſcient. Bononienſ. *anno* 1538. *menſe Maio. Caſu* 1. & in ſimili caſu idem tradunt Granad. 1. 2. *controuer.* 7. *tract.* 3. *diſp.* 17. *n.* 43. Salas *de legib. diſp.* 20. *ſect.* 6. *in fine.* Fundamentum eſt; quia totalis effectus diſpẽſationis eſt legis relaxatio; cum ergo ſit ſublata obligatio legis, atque extincta, non poteſt reuiuiſcere ex eo, quod ceſſat cauſa finalis diſpenſationis; & ideo parum refert, quod ceſſet, vel perſeueret.

2 At *hæc opinio prorſus reÿcienda, ſicut reÿciunt in ſimili, & generaliter in ſimilibus caſibus* Sanchez *lib.* 8. *de matrimon. diſp.* 30. *n.* 14. Suarez *lib.* 8. *de legib. cap.* 30. *num.* 9. & 18. Laiman *lib.* 1. *theol. moral. tr.* 4. *cap.* 22. *n.* 15. Merolla *tom.* 2. *theol. moral. diſp.* 4. *cap.* 6. *num.* 131. Et hoc locum habet, etiam ſi ceſſante finali cauſa non ceſſet diſpenſatio, quia hoc non habet lo-

locum in ijs, quæ habent tractum ſucceſſiuum. Deducitur autem hæc reſolutio ex generali doctrina eorum, qui docent, quod ceſſante cauſa ceſſet diſpenſatio, quando non eſt ſortita ſuum vltimatum effectum. Ita Gloſ. *in Cap. Abbate*. De *verb. ſignif.* & *in Cap. Cum ex eo, verbo.* Litterarum. *De elect. in* 6. Dinus *in Cap. Decet*. De *reg. iur. in* 6. Felin. *in Cap. Quæ in Eccleſiarum. nu.* 26. De *conſtit.* Io. Andr. *in Cap. Poſt translat. n.* 39. De *renunciat.* Panorm. *in Cap. Suggeſtū. num.* 5. De *decim.* Bald. *in l. Generaliter. num.* 3. C. De *Epiſcop. & Cler.* Caſtrenſ. *Conſil.* 210. *l. b.* 1. Roman. *Conſil.* 404. *n.* 5. Io. de I nola *Conſil.* 87. ver. *Præterea ſecūdo*. Tiraquel. *tract. Ceßante cauſa. limit.* 23. *num.* 11. vbi alios citat. Tapia *in l. fin. ff.* De *conſtit. princip. par.* 2. *cap.* 4. Mandol. *De priuileg. ad inſtar gloſ.* 5. *in fine*. Tuſch. *Littera C. concluſ.* 202. *n.* 27. Coninch. *De cenſur. diſp.* 33. *in fine*. Bonac. *diſp.* 1. *de legib. quæſt.* 2. *punct.* 10. *§.* 1. *num.* 9.

3 Ratio autem eſt; quia dato, quod ceſſante cauſa nō ceſſet diſpenſatio, hoc tamen non poteſt habere locum, quando obligatio legis habet tractum ſucceſſiuum, quia tunc lex continet plura pręcepta ſolo numero diuerſa, quę ſe extēdunt ſucceſsiuè ad alios, & alios dies; & proinde cum tempore adueniunt, & cū tempore extinguuntur; præceptū namq; quod obligat in præſenti die ad recitandum officium diuinum, ita eſt affixum diei, vt tranſeat cum ipſo, & dies ſubſequens afferat nouum præceptum, & nouam obligationem affixam ſimiliter diei, & cum ipſo tranſeuntem. Ex quo fit, quod, vt diſpenſatio tollat has ſucceſſiuas obligationes, quas continuò inducit lex, debeat & ipſa habere tractum ſucceſſiuum, vt poſſit ſe opponere obligationi aduenienti; nam ſi aduenit obligatio, & non reperit obſtaculum diſpenſationis, producet ſuum effectum, & obligabit.

4 Ceſſante autem cauſa finali diſpenſationis, quæ in noſtro caſu eſt infirmitas oculorum, diſpenſatio non poteſt habere tractum ſucceſſiuum, & ſe opponere obligationi de nouo aduenienti. Diſpenſatio namque non ſubſiſtit, niſi prout informata cauſa finali, ob quam eſt conceſſa, cum enim conceſſa ſit ex tali cauſa expreſſa, ita fundatur in illa, & ipſa informatur, vt ſi cauſa non ſit vera, irrita quoque, & nulla ſit diſpenſatio, vt communiter docent Gloſ. *in Cap. Ex parte* 2. *verbo.* Falſa. *De conuer. coniug.* Dec. *in Cap. Poſtulaſti. num.* 11. *in noua edit. De reſcript.* Paris. *Conſil.* 4. *num.* 3. *vol.* 4. Couaruu. *lib.* 11. *Variar. cap.* 20. *num.* 5. ver. *Falſitas.* Staphil. *De litter. grat.* Tit. *de vi & effectu clauſ. init. n.* 5. Merlin. *controu. forenſ. cap.* 54. *num.* 5. Henriquez *lib.* 12 *de matrimon. cap.* 3. *num.* 7. Syluoſter *verbo.* Reſcriptum. *Quæſt.* 6. Sanchez *lib.* 8. *de matrim. diſp.* 21. *n.* 32. & alij apud ipſum. Et ratio eſt, quia cum dependeat à voluntate diſpenſantis, & voluntas ipſius moueatur à cauſa finali ad diſpenſandum, dependet etiam ab ipſa cauſa, tanquam determinante voluntatem diſpenſantis. Cum ergo ceſſet cauſa finalis, remanet diſpenſatio ſine ſuo fundamento, & ſine ſua forma, & proinde non ſubſiſtit in ſuo eſſe, ſed eodem modo ſe habet, ac ſe haberet ab initio, ſi non extaret cauſa expreſſa, quia paria ſunt, ab initio non adfuiſſe cauſam, & fuiſſe aliquam, ſed illam omnino ceſſaſſe *l.* 1. *ff.* De *nautico fœn.* Vnde ceſſat etiam voluntas diſpenſantis eam manutenentis in ſuo eſſe, ſi quidem talis voluntas operatur, & conſeruatur in virtute cauſæ mouentis. & ideò tanquam irrita non poteſt ſe opponere ſuperuenienti obligationi.

5 Quod amplius confit. Quando ceſſat cauſa ſolum negatiuè, ceſſat etiam lex; quia cum reſpiciat finem ſuum, non habet inducere obligationem, niſi ſub ratione talis finis, & ideo cū non habeat finem negatiuè, ceſſat inducere, quia ceſſat finis, ad cuius exigentiam inducit, vt docent Couaruu. 4. *Decret. par.* 2. *cap.* 6. *§.* 9. *num.* 8. Tiraquel. *tract. Ceſſante cau. part.* 1. *limit.* 9. Caſtro *lib.* 1. *De lege pœn. cap.* 5. *docum.* 3. Caiet. 2. 2. *quæſt.* 147. *ar.* 5. Ledeſma 2. *par.* 4. *quæſt.* 17. *ar.* 2. *dub.* 3. *ad* 4. *& qu.* 18. *dub.* 12. *poſt.* 2. *concluſ.* &

communiter, ergo etiam diſpenſatio ceſſabit ceſſante cauſa finali, quia facilius ceſſat diſpenſatio, quam ceſſet ius commune. *l. Eius milit. §. 1. C. Ad ſenat. conſult. Velleian.* vbi Gloſ. *verbo Quocunque modo*, & explicat Tiraq. *dict. tra. Ceſſante limit. 11. in fine*. alios citans præſertim, quia militat eadem ratio, nam tàm lex, quàm diſpenſatio habent finalem cauſam pro fundamento, & forma.

6 Hinc facilè ſoluitur fundamentum oppoſitę ſententiæ. Ex eo namque, quod diſpenſatio ſit relaxatio obligationis legis, ſequitur, quod lex deſinat obligare, & ad ſummum quod obligatio extincta per talem diſpenſationem non reuiuiſcat amplius. At quando obligatio legis habet tractum ſucceſſiuum, & habet ſua præcepta affixa diebus, nō ſufficit, quod extinguatur vna, aut altera obligatio, ſed debent extingui omnes iuxta ſucceſſionem dierum, & præceptorum, nam ſingulis dies, dum de nouo adueniunt, afferunt de nouo præcepta ſibi affixa abſque eo, quod reuiuiſcat obligatio extincta, nō poſſunt autem extingui obligationes omnes ſingulorum præceptorum, niſi etiam diſpenſatio habeat tractum ſucceſsiuum, quem non poteſt habere amplius, quando ceſſat cauſa, quia remanet informis, & abſque fundamento, & ideo non poteſt amplius ſubſiſtere.

An prohibitio largitionis munerum inter ipſos regulares per Clementem VIII. obliget ſecluſa ambitione. Quæſt. 388.

S V M M A

1 *Largitio munerum prohibita etiam inter religioſos.*
2 *Quid, ſecluſa ambitione.*
3 *Penes conſcientiam attenditur ſola veritas.*
3 *Lex fundata in falſa præſumptione iuris, & de iure non obligat in conſcientia.*
4 *Lex fundata in falſa præſumptione tantum iuris obligat in conſcientia.*
5 *Præſumptio iuris quænam ſit.*
5 *Prohibitio largitionis munerum fundatur in præſumptione iuris.*
6 *Ceſſante fine legis etiam in particulari ceſſat lex.*
7 *Ratio, & finis ampliant, & reſtringunt diſpoſitionem.*

1 CLemen. VIII. in ſua *Conſtitutione*, quæ incipit *Religioſæ Congregation.*, edita *XIII. Kal. Iulij anno* 1594. & eſt in *Bullario. 28§. Neque vero.* prohibet munera, etiam inter ipſos religioſos. ibi. *Ita vt inter ipſos quoque religioſus. (Ne praua ambitione impulſi pro conſequendis in ſua religione gradibus, & dignitatibus alter alterius gratiam, aut beneuolentiam aucupetur) quæcunque largitio, aut donatio munerum, (niſi rerum minimarum de licentia expreſſa, & in ſcriptis ſuperiorum) ſit penitus interdicta.* Stante ergo vigore huius conſtitutionis dubitatur, an obliget ſecluſa ambitione.

2 Negatiuam partem tradit Valerus *in Different. vtriuſque fori: verbo.* Munera. *Different. 1. num. 82.* quia hæc prohibitio procedit ex præſumpta cauſa ambitionis, vnde ſi ea ceſſet, ceſſabit etiam prohibitio ſaltem in foro conſcientiæ. argum. Cap. *Is, qui fidem.* iuncto Cap. *Tua.* De *ſponſalib.* quatenus probãt, quod lex fundata in falſa præſumptione non obligat in conſcientia, quod etiã approbat Diana *par. 1. tract. 10. Reſol. 27.* ver. *Item prohibitio Clementis VIII.*

3 Verum hæc doctrina nō eſt admittenda, quia licet lex fundata in falſa præſumptione non obliget in conſcientia, ſecundum quã attẽditur ſola veritas. *Cap. Veritas. Diſt. 8.* & Cap. *Inquiſitionis*. De *ſentent. excommunicat.* hoc tamen ſolum locum haber, quando præſumptio eſt iuris, & de iure; quia nimirum tunc lex præſumit aliquod factum, & eo ſuppoſito tanquam vero aliquid diſponit, vnde diſpoſitio fundatur in veritate facti præſumpti; & ideo ſi non adeſt veritas facti, quæ præſumitur, corruit etiam obligatio legis quò ad conſcientiam, quia corruit fundamentum ipſius.

4 At quando præſumptio eſt tantum

iuris, & non de iure, quãuis falſa ſit præſumptio, lex non deſinit obligare, vt inter alios tradunt Salas *diſp.* 10. *De legib. ſect.* 4. Bonac. *diſp.* 1. *de legib. qu.* 1. *punc.* 7. *§.* 3. *num.* 1. *&* 6. Pontius *lib.* 5. *de matrimon. cap.* 5. *num.* 6. Gordon. *lib.* 2. *theol. moral. qu.* 9. *cap.* 9. *num.* 35. Lota t. 2. *diſp.* 21. *de legib. memb.* 2. Tit. *De legib. quæ in præſump. &c.* Suarez *lib.* 3. *de legib. cap.* 23. *num.* 6. Vaſquez t. 2. *diſp.* 163. *cap.* 2. *&* 3. Merol. *to.* 2. *theol mor. diſp.* 4. *cap.* 3. *dub.* 22. *num.* 213. Palaus *par.* 1. *oper. moral. tract.* 3. *de legib. diſp.* 1. *punc.* 14. *num.* 12. Et ratio eſt, Quia lex procedens ex præſumptione iuris, non dependet à veritate præſumptionis, quia præſumptio nec eſt fundamentum, in quo fundetur obligatio legis, ita vt debeat corruere corruente veritate præſumptionis. Nec eſt cauſa finalis ipſius, quia lex non intendit, quod præſumitur, neque ſtatuit aliquid circa ipſum tanquam circa veritatem præſuppoſitam; ſed talis præſumptio eſt ſolum cauſa impulſiua ad ſic ſtatuendum. Cũ ergo obligatio legis non innitatur præſumptioni iùris, non corruit corruente veritate præſumptionis.

5 Quod autem dicta conſtitutio habeat tantum præſumptionem iuris ex eo colligitur, quod præſumptio iuris eſt illa, quæ ſe tenet ex parte legis, quia nimirum ab ipſa inducitur, & approbatur, vt notant Bald. *in Rubr.* De *præſumpt. num.* 3. Felin. *in Cap. Quanto.* De *præſumpt.* Beroius *in Rubrica De probat. num.* 42. Caſtrenſ. *Conſil.* 299. *lib.* 2. nec ſupponit aliquod factum. In caſu autem præſenti dicta prohibitio non ſupponit aliquod factum, circa quod tanquam verum diſponat, ſed ſolum inducit præſũptionem, quod munera inter religioſos dentur ad aucupandam beneuolentiam ex ambitione pro obtinenda aliqua dignitate, aut officio, & ſtante hac præſumptione, quæ merè eſt iuris, prohibet munera. Vnde concludendum eſt, quod, quantũ eſt ex hoc capite, non poſsit excludi obligatio dictæ prohibitionis.

6 Ex alio tamen capite ceſſare poteſt prohibitio ſupradicta in ijs, in quibus ceſſat finis. Cum enim finis ipſius ſit prohibere munera, ne ijs tanquam medijs aucupetur beneuolentia alterius, ex qua poſtea ſequatur mala diſtributio officiorum, & dignitatum, ceſſante hoc fine, ceſsabit etiam prohibitio legis, quia ceſſante fine legis etiam in particulari, & ſolum negatiuè, ceſſat etiam ipſa lex; vt tradunt Bar. *in l.* 1. *§. Huius rei. ff.* De *offic. eius, cui man. eſt iuris.* Io. de Platea *in l. vnicam.* C. De *Sal. boſ. non præb.* Roman. *in Repet. Authen. Similiter.* C. Ad *leg. Falcid.* Oldrad. *Conſ.* 6. Io. Andr. *in Cap.* Non *eſt in mora.* De *reg. iur. in* 6. Salicet. *in l.* 3. C. De *iniur.* Ancharan. *Conſil.* 11. Calderin. *Conſil.* 21. Panorm. *in Cap. Quoniam. num.* 6. De *probat.* Archidiacon. *in Cap. Vtinam: Diſt.* 76. Angelus. *verbo.* Lex. *num.* 4. *caſu* 7. Sylueſter. *Quæſt.* 8. *&* 9. Adrian. *Quodlib.* 6. *poſt.* 2. *concluſ.* Euerar. *loca à ceſſat. rat. num.* 1. *&* 2. Nauar. *in Rubr.* De *iudic. num.* 74. Mexia *in pragmat. taxæ pan. concluſ.* 2. *num.* 29. *& ſequent.* Henriquez *lib.* 11. *Sum. cap* 17. *nu.* 2. Comitol. *lib.* 7. *reſpon. moral. qu.* 1. *num* 10. Sà *verbo.* Lex. *num.* 1. Souſa *in Bullam Clemen. VIII.* De *largit. muner. fundamen.* 3. Megala 2. 2. *lib.* 2. *cap.* 7. *quæſt.* 2. *num.* 55 Granad. 1. 2. *controuer.* 7 *tra.* 3. *par.* 1. *diſp.* 15. *ſect.* 2. Cum enim lex obliget ſecundum menſuram intentionis legislatoris, & intentio legislatoris ſit ſecundum menſuram finis, ita vt non plus intendat obligare, quàm finis moueat ad obligandum, ſequitur, quod mens legislatoris non ſe extendat ad obligandum, niſi quatenus ſe extendit finis, & proinde non ſe extendat ad illos caſus, in quibus ceſſat finis.

7 Præſertim quia ratio, & finis ampliant, & reſtringunt omnem diſpoſitionem *l. Vnum ex familia. § fin. ff.* De *leg.* 2. & *l. Si is, qui. ff.* De *acquir. poſſeſ.* & notant Bald. *Conſil.* 312. *num.* 2. ver. *Tertiò vt cauſa. lib.* 4. *Butr. Conſil.* 51. *nu.* 5. ver. *Item hoc declarat.* Roman. *Conſil.* 503. *n.* 7. Surd. *Conſil.* 67. *num.* 20. Rota *Deciſ.* 10. *num.* 2. *par.* 1. *Recent.* Cum ergo lex, & obligatio ipſius non poſſit extendi, niſi ſecundum intentionem finis, non poterit habere locum, vbi locum non habet finis legis.

An canonicus, qui lucratus eſt groſſam canonicatus, antequam officium omittat, teneatur portionem ipſius reſtituere. Quæſt. 389.

S V M M A

1 *Canonicus, qui poſt quam obtinuit groſſam, non recitat officium, an teneatur ad reſtitutionem. & num. ſeq.*
3 *Fructus omnes beneficiorum per æquas portiones correſpondet ſingulis diebus in ordine ad officium.*
4 *Fructus omnes beneficiorum acquiruntur cum modo.*
5 *Modus, & conditio in quo differant.*
5 *Conditio impedit acquiſitionem.*
6 *Non recitatis horis canonicis acquiſitio fructuum reſoluitur.*
6 *Modus, ſi non impleatur, reſoluit acquiſitionem.*

1 NOn teneri teſtituere portionem groſſæ canonicatus, qui officium omittit, poſtquam eam lucratus eſt, tradit Salas *diſp. 15. de legib. ſect. 2. num. 27. in fine*. Cuius fundamentum eſt, quia pœna impoſita non recitantibus horas canonicas per Concilium Lateranenſe *ſub Leone X.* & declarata à Pio V. *in ſua Conſtitutione*, Ex proximo *edita Kal. Octobr.* 1571. & eſt 135. *in Bullario* non eſt, vt fructus iam ſuos reſtituant, ſed vt non faciant fructus ſuos.

2 At Vaſquez 1. 2. *Diſp.* 168. *cap.* 4. *num.* 36. cenſet, debere reſtituere portionem ipſius groſſæ, quia etiam ſi illam lucratus ſit, & acquiſierit dominium, ita vt non maneat in ſuſpenſo per totum annum ſub conditione, ſi recitauerit, ſi quidem ſi contingat mori, poſtquam groſſam lucratus eſt, ipſa defertur ad ſuos hæredes, adhuc tamen lex imponit pœnam reſtitutionis, quamuis iure naturali non teneatur ad talem reſtitionem.

3 Hæc poſterior ſententia tenenda eſt. Si quidem tradit illud ipſum, quod in dicta conſtitutione Pij V. decernitur. Ibi enim Pontifex §. 2. vult, quod fructus omnes beneficiorum diuidantur in tot portiones quot ſunt dies anni, & ſequuta omiſſione recitationis totius officij pro vno, aut pluribus diebus, fiat reſtitutio illatum portionum, quæ correſpondent illis diebus. Ita enim habet, *Statuimus, vt qui horas omnes canonicas vno, vel pluribus diebus intermiſerit, omnes beneficij, ſeu beneficiorum ſuorum fructus, qui illi, vel illis diebus reſponderent, ſi quotidie diuiderentur; qui verò matutinum tantum dimidiam; qui cæteras omnes horas, aliam dimidiam; qui harum ſingulas ſextam partem fructuum eiuſdem diei amittat. Tametſi aliquis choro addictus non recitans omnibus horis canonicis cum alijs præſens adſit, fructuſque, & diſtributiones, forte aliter aſſignatas ſola præſentia iuxta ſtatuta, conſuetudinem, fundationem, vel aliàs ſibi lucriſeciſſe prætendat, is etiam præter fructuum, & diſtributiouum amiſſionem. &c.* Ex quibus conſtat, quod abſolutè pars illa, quæ ex omnium beneficiorum fructibus correſpondet diei, ſiue fructus percepti ſint, ſiue non, reſtituenda eſt.

4 Quia tamen hæc conſtitutio Pij V. eſt declarariua conſtitutionis Leonis X. *in Concilio Lateranenſi* factæ, in qua dicitur, quod non recitans non faciat fructus ſuos, ideo videndum eſt, quomodo teneatur reſtituere fructus, quos iam ſuos effecit. Pro quo eſt aduertendum, quod licet beneficium non tradatur ſub ea conditione, quod non faciat beneficiarius fructus ſuos, niſi recitet horas canonicas, & proinde quando canonicus percipit groſſam canonicatus, non remaneat in ſuſpenſo dominium expectans futuram conditionem, ſed ſtatim fiat abſolutum, attamen ita traditur beneficium cum onere recitandi horas canonicas, vt non percipiat fructus, niſi cum modo recitandi horas canonicas, atque adeo addictos tali modo.

5 Differt autem modus à conditione, quod conditio debet impleri, antequam actus perficiatur. *l. Filiofamilias. ff.* De condit. *& demonſtrationibus*. Modus autem debet impleri poſt actum perfectum *l. Meuia. ff.* De *manum. teſt.* & *l. Quibus diebus. §. Termilius. ff.* De condit.

condit. & demonſtrat. Bart. *ibid. num.* 1. *ver. Dic ergo ſic.* Alciat. *reſponſ.* 165. *nu.* 15. Paris. *Conſil.* 19. *nu.* 255. *lib.*2. Menoch. *Conſil.* 131. *num.*2. Sarmien. *lib.*2. *Select. interpret. cap.*3. *nu.*1. *&* 4. Duran. *de condit. & mod. impoſſibil. par.* 5. *cap.* 1. *num.*3. Ex quo fit, quod conditio impediat acquiſitionem ab initio, quia tenet actum ſuſpenſum, donec fuerit poſita. *l. Si quis ſub conditione. ff.* Si *quis omiſ. cau. teſt.* Cum ergo recitatio horarum canonicarum annexa beneficio, non impediat acquiſitionem fructuum, non habet rationem conditionis, ſed rationem modi, cum quo fructus tranſeunt ſub dominium beneficiarij.

6 Quia ergo beneficiarius percipit fructus ſub modo, & obligatione recitandi horas canonicas, ideo, ſi non implet modum, reſoluitur acquiſitio fructuum, & dominium ſuper ipſos, & in eo ſtatu conſtituuntur, in quo erant, antequam fuiſſent facti beneficiarij. Natura enim modi eſt, quod licet non impediat acquiſitionem, eam tamen reſoluat, ſi non impleatur. *l. Libertas.* §. *Hac ſcriptura. ff.* De *man teſt.* & notant Bart. *in l. Quibus diebus.* §. *Termilius. num.*13. *ff.* De *condit. & demonſtrat.* Decius *in l. Cum mota. num.*6. C. De *tranſact.* Duran. De *condit. & mod impoſſib. part.* 5. *cap.* 1. *num.*4. Quare canonicus acquirens groſſam canonicatus, acquirit quidem dominium ſupra illos fructus, ſed reſolubile non impleto modo recitationis officij. & ideo, quando aliquo die non recitat, reſoluitur dominium quò ad illam, portionem, quæ correſpondet tali diei, & non facit ſuos tales fructus, quia nedum facit dominium irreſolubile, ſed illud reſoluit, atque adeo definunt illi fructus eſſe ſub eius dominio.

An valeat donatio rei immobilis facta religioni incapaci immobilium ſub eo modo, ne ipſam alienet. Queſt. 390.

SVMMA

1 *Modus impoſſibilis de iure vitiat contractum.*
1 *Stipulatio ex turpi cauſa ipſo iure eſt nulla.*
1 *Stipulatio turpis eſt irrita.*
2 *Modus impoſſibilis de iure non vitiat contractum ſed reijcitur.*
3 *Donatio ratione modi impoſſibilis de iure vitiatur quò ad actionem, non quò ad retentionem.*
4 *Donatio nulla non transfert dominium.*
5 *Donatio ſub modo impoſſibili de iure ſubſtinetur.*
6 *Donatio immobilium facta religioni incapaci immobilium ſub modo, ne alienet, an valeat.*
6 *Modus turpis adiectus donationi &c. reijcitur.*
6 *Nulla poteſtas extenditur ad illicita.*
6 *Non eſt poteſtas, niſi, ſit rationabilis.*
7 *Donatio inter coniuges valet, licet matrimonium ſit irritum ex impedimento iuris, cuius intuitu facta eſt.*
8 *In pactis, & contractibus reijciuntur modi de iure impoſſibiles.*
8 *Promiſſio de aliquo harede inſtituendo eſt nulla.*
8 *Impoſſibilia habentur, pro non appoſitis.*
9 *Modus quando impleri debeat.*
9 *Modus quando non poteſt impleri, niſi cum culpa, non nocet, ſi non impleatur.*
9 *Non dicitur quis poſſe, quando contra ius poteſt.*
10 *Salarium ceſſat ceſſante officio, pro quo datur, etiam ex cauſa impoſſibili.*
11 *Promiſſio requirit in promiſſario qualitatem, cuius contemplatione fit.*
11 *Quando aliquid implendum eſt, priuſquam diſpoſitio ſortiatur effectum, diſpoſitio eſt conditionalis.*
12 *Stipulatio ex turpi cauſa cur nulla.*
13 *Omnis actus dependet à poteſtate.*
14 *Actio à retentione quando ſeparetur.*

1 TRes ſententias in hac difficultate reperio, quarum prima eſſe poteſt

poteſt eorũ, qui generaliter volunt, quod modus impoſſibilis de iure vitiet contractum, quam tradunt Corneus *Conſil. 255. per totum. vol* 4. Couatuu. *in Cap. Cum t. bi, n. 15. ver. Hęc autem, in fine.* Do *teſtamen.* Vnde cum modus appoſitus in donatione ſit impoſſibilis de iure, vitiabit donationem. Prob. 1. *ex l. Si militi.* C. De *procurat.* vbi modus impoſsibilis de iure ita vitiat cõtractum, vt ſi res tradita fuerit, repeti poſſit. Quod etiam habetur ex *l. Ea quę.* C. De *donat. ante nupt.* 2. Stipulatio facta ex turpi cauſa ipſo iure eſt nulla *l. Si Flagitij. ff. De verbor. obligat. & l. Mercalem.* C. De *condit. ob tur. cau.* præſertim quando ſtipulatio trãſiret in crimen commune tàm ſtipulatori, quàm promiſſori. Talis autem eſt dicta donatio, quia ex turpi cauſa, nempe ex cauſa poſſeſſionis prohibitæ. 3 Turpis ſtipulatio eſt irrita *l. Generaliter ff. De verbor. obligat.* talis autem donatio eſt turpis, cum ſit ſub modo turpi, nempe prohibito.

2 Secunda opinio eſſe poteſt eorum, qui abſolutè aſſerunt, modum impoſſibilem de iure non vitiare contractum, ſed reijci, & haberi pro non adiecto. Ita Aretin. *in l. Impoſſib lis ff De verbor. obligat.* & alij *ibid.* Vnde ſecundum hos etiam in tali donatione erit reijciendus modus, & ſubſtinenda donatio. Et poſſunt ij omnes citari, qui absolutè volunt, modum impoſſibilẽ ſiue de iure, ſiue ex natura ſua non vitiare contractus, vt Accurſius *in l. Cum donat.* C. De *tranſact.* Caſtrenſ. *ibid. num.* 5. Alexan. *num.* 3. Iaſ. *num.* 5. Bart. *in l. Quibus diebus. §. Termilius. num.* 18. *ff.* De *condit. & demonſtrat.* Romanus *in l. Impoſſibilis. ff.* De *verbor. obligat.* Zaſius *ibid.* Anton. de Padilla *in dict. leg. Cum donationis.* Molina *lib.* 2. *de Primogenit. c.* 12. *n.* 41. & alij.

3 Tertia ſententia eſt media, quam in terminis de tali donatione tradit Duran. *De condit. & mod. impoſſibilib. par.* 5. *cap.* 2. *num.* 27. *ver. Verum hac ratione.* vult enim, quod dicta donatio ratione modi adiecti vitietur quò ad actionem, ita vt non poſſit donatarius intentare actionem ad rem donatam obtinendam non autem vitiari quò ad retinendam rem traditam, ſi ſequuta ſit traditio, ita vt competat retentio, & exceptio.

4 Verum hanc diſtinctionem nequeo percipere. Quia, ſi ſequuta traditione poteſt donatarius retinere rem donatam ſub modo impoſſibili de iure, non obſtante hac impoſſibilitate modi, oportet concedere, quod acquiſierit ius in re donata, & quod facta ſit ſub illius dominio. Hoc autem non poteſt ſaluari, niſi donatio valida ſit, quia donatio nulla non poteſt transferre dominium rei donatæ, ſiquidem quod nullum eſt, nullum poteſt habere effectum l. *l. Non putauit. §. Non quęuis. ff.* De *bonor. poſſeſ. con. tab.* & *l. Sicut nullum.* C. De *legit. hered.* & *l. Non dubium.* C. De *legib.* & Cap. *Illud.* De *iurepatr.* Si autem donatio eſt valida, iam non vitiatur ex modo de iure impoſſibili appoſito. Quod ſi non vitiatur, ſed habet vim transferendi dominium, iam dat donatario ius ad rem, atq. adeo etiam actionem, quia actio naſcitur ex iure ad rem.

5 Rurſus Modus impoſsibilis de iure non vitiat donationem quo ad retentionem rei donatæ, ſi ſequuta ſit traditio; ergo ſubſtinetur donatio, & reijcitur modus, quia ſi non reijceretur, haberet ſuum effectum, & reſolueret donationem, ſi non impleretur *l. Libertas. §. Hac ſcriptura. ff.* De *man. teſt.* & notant Doctores *Queſt. præced. num.* 6. citati. Ergo nec vitiat actionem, quæ ex donatione acquiritur, ſed ab ipſa reijcitur, quia ſi ſemel à donatione reijcitur, ſemper reijciendus eſt, cum militet ſemper eadem ratio.

6 Itaque tenendum eſt abſolutè, quod *Donatio rei immobilis facta religioni incapaci immobilium cum modo, quod non poſsit alienari, ſubſiſtat, ſed ab ipſa modus reijciendus ſit tanquam de iure impoſſibilis.* Ratio autem eſt quia legatum rei immobilis factum religioni incapaci immobilium, ſub conditione, ſeu modo, quod non alienetur, tenet, & reijcitur modus tamquam turpis, cum inducat ad violationem inſtitui religionis, vt

vt docent Bald. *Conſil.* 132. Guillel. Benedict. *in Cap. Raynutius. verbo.* Relinqu't. *num.* 14. De teſtam. Menoc. *Conſil.* 1014. *per totum*. ergo etiam in donatione reijcietur talis modus tanquam turpis, & valebit donatio, quia militat eadem ratio. In tantum enim reijcitur in legato, quia eſt turpis, & voluntas legantis debet reduci ad terminos rationis, quia non habet poteſtatem faciendi, quod turpe eſt, cum omnis poteſtas claudatur intra limites rationis, & non ſe extendat ad illicita, & à iure prohibita. *l.* 1. *ff. De milit. teſt.* iuncta *l. Dotalem.* & *l. In Fraudem.* & *l. Si à mi. lite* §. 1. & 2. *ff. eodem.* & *l.* 3. §. *Si procurator. ff.* Quod *quiſque. iur.* vt per hos text. notat Menoch. *De arbitr. lib.* 1. *q.* 7. *num.* 7. Neque enim eſt poteſtas, niſi ſit rationabilis, & iuſta. *l.* 2. *ff.* D *vſ. fr. ear rer. quę uſ. conſum.* & *l. Reprehendenda.* C. *De inſtit. et ſubſtit.* & Cap. *Sunt quędam.* 25. *Quęſt.* 1. Vnde cũ etiam talis modus appoſitus donationi ſit turpis, tanquam nullus ex defectu poteſtatis in apponente, debet reijci, ſicut reijcitur in legato.

7 Præterea. Donatio ex cauſa matrimonij inter coniuges valet, etiam ſi modus, ſub quo facta eſt, ſit de iure impoſſib lis, quia nimirum conſtet poſtea matrimonium, ſub quo tanquam ſub modo facta eſt, irritum fuiſſe ex impedimento à iure poſito. Cap. 2. *in fine*. De *donat. inter uir. & uxor.* vbi Abbas *num.* 1. argum. ex *l. Si cum dotem.* §. *fin. ff.* Soluto *matrimonio* vbi Roman. Duran. *De cond. t. & mod. impoſ. par.* 5. *cap.* 2. *nu.* 6. Ergo etiam donatio facta religioni incapaci immobilium de re immobili ſubſiſtet, & reijcietur modus de iure impoſſibilis, & competet actio ad rem donatam, quia donatarius aget ad rem donatam reiecto modo donationis.

8 Ratio autem eſt. Quia in pactis, & contractibus reijciuntur modi, qui de iure ſunt impoſſibiles. Cap. *Quamuis pa ?um.* De *pactis in* 6. vbi modus de iure ciuili impoſſibilis adiectus pacto, ſeu dotatio facta cũm modo de non habendo regreſſu ad bona paterna contra ius ciuile, ſubſtinetur ſolum ratione iuramenti, aliàs non ſubſtinenda cum hoc modo, ſed reijciendus. Rurſus quia modus, quod quis inſtituatur hæres, eſt de iure prohibitus, quia promiſſio de aliquo hærede inſtituendo eſt nulla. *l. Stipulatio hoc modo concepta. ff.* De *verbor. obligat.* & *l. fin.* C. De *pactis*. & notant Couaruu. *in Cap. Quamuis pactum*, De *pactis*. Cancer. *lib.* 3. *Variar. cap.* 7. vbi latè. Si apponatur alicui contractui, & in ſpecie donationi, reijcitur modus iſte, & ſubſtinetur donatio *l. Cum donationis*. C. *De tranſact.* Quia nimirum generaliter impoſsibilia habentur pro non appoſitis *l. Ea, quæ dari. ff.* De *reg. iur.* Vnde reijciuntur tamquam inutilia, & ſubſtinetur contractus tamquam non vitiatus ab ipſis, cum ſint extra eiuſdem ſubſtantiam, iuxta regulam Cap. *Vtile*, De *reg. iur. in* 6. & *l. ff.* De *condit. inſtit.*

9 Quod etiam confir. Quia modus non debet impleri antequam res perficiatur, ſed ſolum ea perfecta *l. Mæuia. ff.* De *manu. teſt.* & *l. Quibus diebus*. §. *Termilius ff.* De *condit. & d:monſtr.* Et proinde non impedit acquiſitionem, ſed ſolum reſoluit, ſi non impleatur. *l. Libertas.* §. *Hac ſcriptura. ff. De man. teſt.* Vnde ſi donatio ſit facta ſub modo turpi, non poteſt modus adiectus impedire acquiſitionem, & actionem ad rem donatam, quia donatarius poterit proteſtari, quod modus appoſitus non poteſt impleri ſine culpa, & proinde ſibi non nocere, quod non impleat *l. Si pecuniam: ff.* De *condit. ob cau.* Cum enim modus ſit contra ius, habetur pro impoſsibili, quia non dicitur quis poſſe, quod contra ius poteſt. *l. Quaro.* §. *Inter locatorem. ff. Locati.* & *l. Nepos Proculo*. *ff.* De *ver. bor. ſignificat.* & Cap. *Cauſam*, *quę*. De *reſcrip.* & Cap. *Cum dilectus*. De *conſuet.*

10 Nec obſtant, quæ *num* 1. pro priori ſententia allata ſunt; nam ad 1. reſp. Quod ille tex. loquitur de conditione, non de modo, vt cum Bar. *in dict. l. Si militem. ff.* De *condit. ob cau.* docent communiter; Si quidem pecunia data fuit

mi-

militi pro mercede, vt eſſet procurator; cum autem non poſſet eſſe procurator, quia à iure prohibetur, non potuit acquirere dictam mercedem, ſeu ſalarium, quia ceſſante labore, & exercitio etiam ex cauſa impoſsibili, ceſſat etiam ſalarium, & ſi ſolutum ſit, repeti poteſt *l. Seruo amico. ff.* De *an. leg.* ibi *Cũ tàm labor. qudm pecunia diuiſionem reciperent*. Quia de natura ſalarij pro officio eſt, quod prius officium exhibeatur, quàm ſoluatur ſalarium, vt notat Bart. *in l. 1. §. Diuus. nu. 16. ff.* De *var. & extr. cogn.* Quare cum dicta pecunia habuerit rationem mercedis, officium procuratoris exhibendum erat conditio, non modus, quia tantum eo exhibito, fiebat debita pecunia.

11 Similiter tex. *l. Ea que. C.* De *donat. ante nupt.* procedit de conditione, non de modo. Nam loquitur de promiſſione facta mulieri vt ſponſæ, & non quomodocunque, & decernit, quod ab ipſa peti non poſsit res promiſſa, quia non fuit ſponſa. Ex quo colligitur promiſſionem fuiſſe conditionalem, quia fuit facta mulieri vt ſponſæ, hoc eſt vt qualificatę per talem, qualitatem ſponſæ, & quia non erat ſponſa, non ſubſiſtebat promiſſio, niſi poſita qualitate iſta; vnde vt promiſſio ſubſiſteret, & haberet ſuum effectum, vt pote directa ad ſponſam vt talem, debuit prius poni qualitas ſponſæ. Quando autem prius debet impleri illud, quod per diſpoſitionem exprimitur, antequam actus habeat locum, & conſequi poſſit emolumentum, diſpoſitio eſt conditionalis, vt notant Molina lib. 2. *de primogen. cap.* 12. *num.* 2. Menoch. *Conſil.* 131. *num.* 3. Surd. *de alimen. tit.* 9. *queſt.* 16. *num.* 40. & *Deciſ.* 156. *num.* 5 Cened. *ſing.* 20. *num.* 4. Melchior Phæbus *Deciſ. Luſit.* 11. *num.* 14. *tom.* 1. Alciat. *reſp.* 165. *num.* 15. Paris. *Conſil.* 19. *num.* 255. *lib.* 2. Sarmien. *lib.* 2. *Select. Interpret. cap.* 3. *num.* 1. Barboſa *Dictione Vt. num.* 5. & deſumitur ex *l. Meuia. ff.* De *man. teſt.* & *l. Quibus diebus. §. Termilius. ff.* De *condit. & demonſt.*

12 Ad 2. Ideo ſtipulationem ex turpi cauſa eſſe nullam ipſo iure; quia ipſa turpitudo venit in contractum, & proinde vitiat ſubſtantiam contractus. Cum enim turpis cauſa ſubminiſtret materiã contractui, & contineat finem proximũ ipſius, refundit turpitudinem in ipſum contractum, quia omnis actus qualificatur à materia, circa quam verſatur, & à fine. Non ſic autem contingit, quando modus eſt turpis, quia cum ſit extrinſecus actui, & contingenter ſe habeat, vt notat Butr. *in l. Quibus diebus. §. Termilius. ff.* De *condit. & demonſt.* non inficit ſubſtantiam contractus.

13 Ad 3. Turpes ſtipulationes eſſe irritas, quia non ſunt turpes, niſi turpitudo inſit ipſarum ſubſtantiæ. Et proinde cum omnis actus depẽdeat à poteſtate; vt notat Menoch. *lib.* 1, *præſumpt.* 30. *nu.* 11. Socin. *reg.* 30. ver. *Tertio*. Et nemo poſſit id, quod honeſtè facere nõ poteſt. *l. Nepos Proculo. ff.* De *verbor ſignif.* & notant Surd. *Conſil.* 203. *num.* 44. Gratian. *Diſcep. foren cap* 891. *nu.* 31. talis ſtipulatio corruit ex defectu poteſtatis in ſtipulante. Non autem quando modus eſt turpis, & contractus honeſtus, quia cum modus, & dictum eſt, ſit extrinſecus, iuxta Reg. *Vtile.* De *reg. iur in* 6. non vitiatur contractus per modum vitioſum, ſed reijcitur modus, & retinetur contractus.

14 Contra ea tamen, quæ ſuperius dicta ſunt, poteſt obijci, quod in iure poſſit actio ſeparari à retentione, ita vt retineri poſſit, quod datum eſt, quamuis peti non poſſit. vt per *l. Mercalem. C.* De *condit. ob turp. cau.* ergo non ſemper eſt verum, quod quando transfertur dominium, habeat locum etiam actio. Reſp. Ex natura rei ſemper habere locum actionem, quando contractus habet vim transferendi dominium, quia ſi transfert dominium, datius ad rem. quandoautẽ adeſt ius ad rem, poteſt quiſq. ius ſuum proſequi petendo, quod ſibi debitum eſt. Aliquando tamen leges denegant actionem, & tunc ſeparatur actio à retentione: non ex natura ſua, ſed ex diſpoſitione iuris, quod non contingit in contractu, qui habet annexum modum à iure prohibitum.

Pro-

Promiſit quis concubinæ ſe eam hæredem inſtituturam, quod poſtea non fecit, quæritur, an poſſit concubina ſibi retinere pro compenſatione res aliquas illius, quas apud ſe habet. Quæſt. 391.

S V M M A.

1 *Promiſſio ob turpem cauſam obligat naturaliter.*
2 *Concubina non poteſt vti compenſatione, ſi concubinarius eam non inſtituit hæredem, vt promiſit.*
2 *Quid requiratur, vt occulta compenſatio ſit licita.*
3 *Quando ſufficiat probabile debitum.*
4 *Promiſſio contra bonos mores irrita eſt.*
5 *Promiſſio præbens cauſam peccandi, eſt nulla.*
6 *Promiſſio de aliquo hærede inſtituendo non valet.*
6 *Promiſſio contra legem eſt nulla.*
7 *Actus irritatus à iure non parit obligationẽ in conſcientia.*
7 *Promiſſio facta concubinæ, quod hæres erit, eſt nulla.*
8 *Promiſſio inſtituendi hæredem non eſt hæredem inſtituere, nec facit debitam hæreditatem.*
9 *Promiſſio non eſt ſola affirmatio faciendi aliquid, ſed etiam obligatio.*

1 Videtur affirmatiuè reſpondendum, quia promiſſio ob turpẽ cauſam obligat naturaliter patrato malo opere, iuxta ea, quæ tradunt Couaruu. *Regula, Peccatum par.* 2. §. 2. *num.* 1. Caiet. 2. 2. *quæſt.* 32. *ar.* 7. §. *Aliter ergo.* Medina. *C. De reſt. q.* 28. Leſſius *lib.* 2. *De iuſt. & iure, cap.* 18. *dub.* 3. *num.* 18. Quia non eſt promiſſio gratuita, ſed onerоſa, cum fiat ſub onere alicuius rei præſtandæ: vnde eſt ſaltem contractus innominatus *Do, vt facias,* ſeu *do, vt des.* præſertim quia ſere ſemper ſubit promiſſarius aliquod detrimentum pretio ęſtimabile. Cum igitur dicta promiſsio ſit facta ſub onere continuandi carnalem exhibitionem ſui corporis, ſi quidem eſt facta in hunc finem, obligabit promiſſorem, & promiſſaria poterit vti compenſatione.

2 Abſolutè tamen tenendum eſt. *Hanc occultam compenſationem non eſſe licitam.* Ratio eſt, quia licet aliquando ſit licita occulta compenſatio, vt communiter docent apud Sayr. *lib.* 9. *Clau. reg. cap.* 14. *num.* 3. & Petrum Nauar. *lib.* 3. *De reſt. cap.* 1. *num.* 385 oportet tamen, vt ſit licita, quod concurrant aliquæ cõditiones, de quibus præfati Doctores, quarum vna præcipua eſt, quod debitum ſit liquidum, & certum, aliàs ſi eſſet dubiũ, & incertum, non poſſet fieri compenſatio. Ita communiter præſertim Palud. in 4. *diſt.* 14. *q.* 2. *ar.* 2. Adrian. *Quodlib.* 6. *ar.* 1. Sotus *lib.* 5. *de iuſt. & iure. qu.* 3. *ar.* 1. & *ar* 3 *ad* 1. Medina C. *De reſt. q.* 3. Nauar. *in Manual. cap.* 17. *num.* 112. Valent. *tom.* 3. *diſp.* 3. *q.* 10. *punct.* 6. Corduba *in Sum. quæſt.* 111. & *lib.* 1. *q.* 35. Couaruu. *in Cap. Quamuis pactum par.* 1. §. 4. *num.* 9. *ver. Item non.* Petrus Nauar. *lib.* 3. *de reſt. cap.* 1. *num.* 188. Sayr. *lib.* 9. *Clau. reg. cap.* 14. *n.* 7. Leſſius *lib.* 2. *De iuſt. & iure cap.* 12. *dub.* 10. *num.* 58. Syluius 2. 2. *quæſt.* 62. *ar.* 8. *quæſito* 1. Malder. *tract.* 4. *cap.* 1. *dub.* 6. Valer. *in differ. vtriuſque fori. verbo.* Compenſatio. *differẽt.* 1. Villalob *par.* 2. *Sum. tract.* 11. *difficul.* 23. Dicaſtil. *De iuſt. & iure lib.* 2. *tract.* 2. *diſp.* 9. *dub.* 6. *num.* 92. Hurtad. *De iuſt. & iure diſp.* 13. *difficul.* 6. Trullench. *lib.* 7. *in Decal. cap.* 15. *dub.* 11. *num.* 5. Petrus à S. Ioſeph *in Idea theol. moral. lib.* 4. *cap.* 11. *reſol.* 7. Machad. *De perfecto confeſſ. tom.* 1. *lib.* 2. *par.* 3. *tract.* 23. *docum.* 5. *n.* 4. Caſpenſ. *par.* 2. *Curſ. theol trac.* 18. *diſp.* 1. *ſect.* 13. *n.* 161.

3 Imo etiam ſecundum aliquos Recentiores licet ſufficiat opinio probabilis, quæ facit, quod debitum ſit probabile, loquendo de probabilitate iuris, nõ autẽ de probabilitate facti, abſolutè tamen requiritur, vt ſit licita cõpenſatio occulta, quod debitũ ſit tale, quod poſſit iudex cogere debitorem ad ſoluendum, quia compenſatio fit in ſupplementum ſententiæ, iudicis. Et ideo, quod non poteſt iudex in iudicio tribuere, nec etiam quis poteſt ſibi occulta compenſatione vindicare; aliàs ſibi vſurparet id, circa quod iudex non poteſt ius dicere, & furtum

tum committeret domino rationabiliter inuito.

4 Ex his concluditur, quod in prædicto caſu non poſſit habere locum occulta compenſatio, quia nimirum, ſi res ad forum deduceretur, non poſſet iudex iudicare in fauorem promiſſariæ. Et primo quidem, quia dicta promiſſio eſt cõtra bonos mores, nam reſpicit continuationem concubinatus. Promiſſio autem, quę eſt contra bonos mores, non inducit obligationem, ſed ipſo facto irrita eſt. *l.* Si *ſtipulatio* 61. *ff.* De *verbor. obligat.* & *l. Si vnus.* §. *Pacta. ff.* De *pactis*. & *l* Pacta C. De *pactis*. ibi. *Pacta, quæ contra leges, conſtitutioneſque, vel contra bonos mores fiunt, nullam vim habere, indubitati iuris eſt.*

5 Secundo accedit, quod dicta promiſſio habet turpem cauſam, quia facta eſt intuitu continuationis in concubinatu, & proinde præbet etiam occaſionem peccandi. Promiſſio autem huiuſmodi eſt nulla, nec obligat promittentem *l. Generaliter. ff.* De *verbor. obligat.* & *l.* Si *flagitij. eodem tit.* ibi Si *flagitij faciendi, furtiuè cauſa concepta ſit ſtipulatio, ab initio non valet.*

6 Tertio quia ſpecialiter eſt prohibita à iure promiſſio in materia, de qua agitur, nempe de aliquo inſtituendo hærede; nec talis promiſſio, aut pactum valet, *l. Stipulatio hoc modo concepta. ff.* De *verbor. obligat.* & *l. fin.* C. De *pactis* & notant ſpecialiter Couaruu. *in Cap. Quamuis pactum.* De *pactis*. Cancer. *lib.* 3. *Variar. cap.* 7. vbi latè. Cum igitur promiſerit concubinæ eã hæredem inſtituere, eſt irrita promiſſio tanquam facta contra leges *l. Pacta* 6. C. De *pactis*. Vnde cum ex tot capitibus promiſſio irrita ſit, non poterit iudex cogere promiſſorem, ad præſtandum, quod promiſit, atque adęo nec fieri occulta compenſatio.

7 Sed dices. Ex tali promiſſione oriri obligationem naturalem, licet non oriatur ciuilis; & proinde poſſe habere locũ occultam compenſationem, quia obligatio naturalis facit debitum in conſciẽtia. Verum reijcitur hæc reſponſio, quia quando ius irritat aliquem actum, neq. in conſcientia parit obligationem naturalem, vt patet in matrimonio clandeſtino per Concilium Tridentinum. *Seſſ.* 25. *cap.* 1. *De reformat, matrim.* In matrimonio facto cum impedimento dirimente; in electione, quando per ius irritatur, vt in Cap. *Quia propter.* De *elect.* & in *Cap.* 6. *de reformatione Regul. ſeſſ.* 25. *Concilij Tridentini.* Dicta autem promiſſio eſt irrita ſecundum ius, vt conſtat ex *l. Pacta.* C. De *pactis*. & *l. Si vnus.* §. Pacta. *ff.* De *pactis*. & *l.* Si *flagitij. ff.* De *verb. obligat.* & aliis citatis textib.

8 Accedit etiam. Quod ſi promiſſio ſubſiſteret, neque adhuc haberet locum compenſatio occulta; nam non eam inſtituiſset hęredẽ, vt ſit ipſi hæreditas debita; ſed ſolum promiſiſſet hæredem inſtituere, & ideo ex vi talis promiſſionis nil aliud eſſet debitum, quàm inſtitutio huiuſmodi; promiſſio enim inſtituendi aliquem hæredem, non eſt hæredem inſtituere, quia promiſſio facti non eſt ipsũ factum, vt notant Glòſ. *in l. Bonæ fidei, verbo.* Condicturum. *ff. De eo, quòd cer. loco.* Iaſ. *ibid. num.* 3. Couaruu. *lib.* 3. *Variar. cap.* 4. *num.* 7. Craueta *Conſil.* 76. *nu.* 5. Cephal. *Conſil.* 66. *nu.* 10. *lib.* 1. Burſat. *Conſil.* 10. *num.* 1. *lib.* 1. Boer. *Deciſ.* 58. *num.* 3. Ioſeph Ludouic. *concluſ.* 72. *n.* 1.

9 Denique neque adeſt vera promiſſio, in cuius virtute, dato quod eſſet valida, licita ſit aliqua occulta compenſatio. Nam, vt notat etiam Leſsius *lib.* 2. *de iuſt. & iure. cap.* 18. *dub.* 1. *n.* 5. promiſsio nontantum eſt affirmatio dandi, vel faciendi aliquid, quia talis affirmatio indicat ſolum propoſitum mente conceptum, ſed dicit obligtionem, qua quis alteri ſe obligat, et confert ius in ipſum ad rem promiſſam; vnde eſt actio quædam obligatiua promiſſoris, et translatiua iuris ad promiſſarium. Ita caſu autem pręſenti, non adeſt talis actio translatiua iuris, ſed ſolum affirmatio faciendi, et notificatio propoſiti.

An

An fingens paupertatem pro eleemoſina obtinenda, teneatur ad reſtitutionem. Quæſt. 392.

S V M M A

1 *Fingens paupertatem, vt obtineat eleemoſinã, an teneatur ad reſtitutionem.*

1 *In errante non eſt conſenſus.*

2 *Ficti pauperes oſtiatim mendicantes non tenentur ad reſtitutionem.*

3 *Facta per errorem non retractantur, ſi ſubſit cauſa pietatis.*

3 *Anima rebus omnibus anteponenda.*

3 *Actus cenſetur factus ex vtiliori capite.*

3 *Ad acquirendum non requiritur expreſſus conſenſus.*

3 *Subminiſtrans alimenta ex cauſa pietatis, nõ repetit.*

4 *Donatio ſubſiſtit licet non ſubſiſtat cauſa impulſiua.*

4 *Diſpenſatio valet, etiam ſi non ſubſiſtat cauſa impulſiua.*

4 *Falſum circa qualitates extrinſecas diſpenſationis, aut taciturnitas illam non vitiat.*

5 *Cauſa finalis eleemoſinæ.*

5 *Paupertas cauſa impulſiua eleemoſinæ,*

5 *Cauſa finalis, & impulſiua vnde dignoſcantur.*

1 FEre communiter aſſerunt, quod qui fingit paupertatem, vt obtineat eleemoſinam, teneatur ad reſtitutionem. Ita ſpecialiter Alenſ. *par.4.q.86. mem.3.ar.2. & 3.* Scot. *in 4.diſt.15.qu.2.* Gabr. *quæſt.9.concluſ.7.* Adrian. *qu.15. de reſtit.* Nauar. *in Manual.cap.17.nu.107.* Sum. Piſanel. *verbo.* Reſtitutio 1. §. *penult.* Palat. *lib.6. De contract.c.7. poſt. 2. concluſ.§. Porro ſi diues.* Faber. *De pœnit. in 4.diſt.15.qu.2.diſp.50.cap.4.* Alphon. Enecus de valdes. *De eleemoſina par.3.pagin.84.§. Secundo quæritur* Fundamentũ huius ſententiæ eſt, quia dans eleemoſinam, putat ſe illam erogare pauperi: & ideo interuenit error. Vnde cum in errãte non ſit conſenſus *l. Si per errorem. ff.* De *iuriſd.* & *l. Conſenſiſſe 2. ff.* De *iudic.* illa eleemosina eſt inuoluntaria ſtante errore elargientis, & proinde fictus pauper eam retinebit inuito domino.

2 Alij tamen volunt, hoc ſolum locũ habere in magnis eleemosinis, non autẽ in paruis, quales ſunt illæ, quæ dantur oſtiatim mendicantibus, quia in his non præſumitur illa tacita conditio, quod nõ daretur, niſi præſuppoſita paupertate. Ita Sotus *lib.9.De iuſt, & iure qu.7.ar.3.ad 4.* Azor. *par.3. lib.4, cap.21.qu.8.* Io. à Cruce *par.1.Directr.Conſcient.præcep.5.ar.4.dub.2.concluſ.4.* Granad. *2.2.controuer. 3.tract.11.diſp.7.n.4.*

3 Verum *quod vniuerſaliter pauper fictus non teneatur reſtituere acceptas eleemoſinas probabile ſit*, ex quadam doctrina, quam tradunt iuriſcõſulti, nimirum, quod facta per errorem non retractantur, quando ſubeſt cauſa pietatis: quia cum faueãt animæ, quæ rebus omnibus anteponenda eſt *l. Sancimus. in fine.* C. De *ſacroſanct. Eccleſ.* non cenſentur inuoluntaria, cum quilibet cenſeatur facere actum ex vtiliori capite, ex quo fieri poteſt *l.3. ff. De teſtam. milit.* & *l. Cum pater. ff.* De *iure dot.* & proinde, quando eſt vtilis cenſetur volita illa vtilitas. Vnde qui errat, vbi interuenit pietas, sibi acquirit, vt autem quis ſibi acquirat, non requiritur expreſſus conſenſus *l. Is, cui bonis. 6. ff.* De *verbor. obligat.* Ex quibus infer Lara *de alimen.§. Si mater.nu.27.* Quod si quis ſubminiſtraret alimenta ex cauſa pietatis ei, qui putabatur non habere, vnde aleretur, non poſſet illa repetere, etiam ſi poſtea reperiatur habere. Vnde cum etiam eleemosinæ erogatæ ficto pauperi ſubsit cauſa pietatis, non poterit retractari, & proinde non aderit obligatio reſtituendi.

4 Accedit etiam, quod donatio ſubſiſtit, etiam ſi nõ ſubsiſtat cauſa impulſiua § *Longè magis.* Inſtit. *De legat.* & *l. Si cum filiusfamilias. in fine. ff* De *donat.* Et generaliter in diſpenſationibus, conceſsionibus, gratijs falsitas cauſæ impulſiuæ non vitiat conceſsionem, dummodo ſubsiſtat cauſa finalis, vt tenent Lappus *allegat.89.* Decius *in Cap. Poſtulaſti. in noua edit.num.11. not.4.* & *in Cap. Super litteris.* verbo *Litteras. num.3.* De *reſcrip.* Beroius *ibid. in 2.lect.num.55. & 73* Paris. *Conſil.4.num.35.vol.4.* Menoch. De

ar-

arbitr. lib. 2. cent. 3. Caſu 201. *num.* 30. Sylueſter, *verbo*, Reſcriptum. *quæſt.* 6. Sà *verbo*. Gratia. *num.* 10. Molina *De iuſt. & iure. tract. 2. diſp.* 173. ver. *Vt item legitimatio.* Imo, quando tacetur aliquid circa qualitates extrinſecas diſpenſationis, aut falſum narratur, non vitiatur diſpenſatio, etiam ſi ſuperior veritate cognita nõ eſſet conceſſurus, quod concedit, docent Sanchez *lib. 8. de matrim. diſp.* 21. *num.* 17 & *lib. 4. Sum. cap* 47. Suarez *tom. 2. de relig. lib. 6. de voto. cap. vlt. num.* 11. *& ſequẽ.* Salas *diſp. 20. de legib. ſect.* 15. *num.* 115. *& ſequen.* Bonac. *diſp. 1. De legib. qu. 2. punc.* 4. *num.* 3. Mandoſ. *reg.* 32. *Cancellar. qu.* 9. *num.* 10. Gutierez *lib. 2. Quæſt. canon. c.* 15. *n.* 29. Quia nimirum hæc omnia pertinent ad cauſam impulſiuam, & ſubſiſtente cauſa finali ſubſiſtit etiam voluntas in concedente; quia ab ipſa mouetur ad concedendum.

5 Stante autem hac doctrina idem dicendum eſt in cauſa præſenti. Nam duæ cauſæ concurrunt ad erogationem eleemoſinæ; nempe ſubleuatio indigentis, & opus pietatis, ſeu exercere pietatẽ propter Deum. Prima eſt cauſa impulſiua, ſecunda verò cauſa finalis. Quando enim concurrunt duæ cauſæ, quarum vna eſt finis operis; altera verò finis operantis, quæ eſt finis operantis eſt principalior, & abſolutè mouens, ſiquidem altera aſſumitur tanquam mediũ, & proinde ſupponit determinationem, ſeu intẽtionem in aſſumente, & tantum impellit ad exequendam determinationem. Subleuatio autem pauperis eſt finis operis, ſeu eleemoſinæ; & exercere pietatem eſt finis erogantis eleemoſinam, & ideo illa eſt cauſa impulſiua; quæ licet non ſubſiſtat, quia paupertas eſt ficta; & ideo non interuenit ſubleuatio pauperis, ſubſiſtet eleemoſina, quia ſubſiſtit cauſa finalis. Quare quod ſi ficta paupertas ſit cauſa impulſiua, non adſit obligatio reſtituendi, tenent Sotus *lib.* 9. *De iuſt. & iure q.* [illegible] *ar.* 3. *ad* 4. Medina C. *De reſtit. q.* 23. Azor. [illegible] *par.* 3. *lib.* 4. *c.* 21. *q.* 8.

An teneat collatio facta ab Ordinario beneficij vacatis per obitum in vltima nocte menſis reſeruati ſpirantis, ſi aliqua horologia pulſauerint ſignum mediæ noctis, & alia non. *Quæſt.* 393.

S V M M A.

1 *Reſeruatio non excluditur niſi ſuperueniente certo tempore, pro quo non ſit facta reſeruatio.*
1 *Dubitans in die ieiunij, an media nox ſit elapſa, non poteſt cœnare.*
2 *Beneficium vacatum in vltima nocte menſis reſeruati, poſt quam aliqua horologia pulſauerunt mediam noctem, & alia non, an poſſit conferri ab Ordinario.*
3 *Singula horologia faciunt probabile tempus indicatum.*
3 *Poſſumus ſequi quodcunque horologium.*
4 *Beneficium vacatum in vltima nocte menſis reſeruati pulſata media nocte per aliqua horologia, & non per alia poteſt conferri tum ab Ordinario tum à Papa.*
5 *Si ab vtroque conferatur, quæ prouiſio ſubſtinenda.*
5 *Reſeruatio beneficij non poteſt opponi, niſi concludenter probetur.*
6 *Dies vltimus pulſata media nocte per aliqua horologia non eſt, probabiliter in poſſeſſione reſeruationis.*
6 *Melior eſt conditio poſſidentis, quando valeat.*
7 *Dubius, an ſit elapſa media nox in die ieiunij, quando non poſſit comedere.*
8 *Qui prætendit prouiſionem Apoſtolicam, debet probare vacationem in menſe reſeruato.*
8 *Ratione poſſeſſionis præſumitur dominium.*
8 *Prouiſus ab Ordinario, etiam ſi ſit actor, debet manuteneri, ſi aduerſarius non probet concludenter.*
9 *Prouiſus ab Ordinario quando debeat concludenter probare, vt excludat prouiſum à Papa.*

1 DIctam collationem beneficij nõ poſſe ſubſtineri, videtur reſoluẽdum, quia dies vltimus menſis reſeruati eſt in poſſeſſione reſeruationis, à qua nõ poteſt deturbari, niſi per certum ſuperue-

uenientiam ſubſequentis diei, quia cum poſſeſsio ſit certa, non poteſt tolli, niſi per certam ſuperuenientiam temporis non reſeruati. Modo autem, dum ſolum aliqua horologia indicant mediam noctem,& alia non indicant, non adeſt certa ſuperuenientia ſubſequentis diei, ſed dubia. Deinde cum illa horologia, quæ pulſauerunt, ſolum faciant probabile, quod media nox ſit impleta,& alia, quæ non pulſauerunt, faciāt probabile, quod non ſit completa,remanet dubium,an ſit completus menſis reſeruatus: vnde cum vigore illius menſis reſeruatio ſit in poſſeſsione,iudicandum eſt pro ipſa, cū in dubijs melior ſit conditio poſsidentis. Proprerea, ſi hodie ſit dies ieiunij, & dubitem,an ſit media nox,non poſſum cœnare,vt docent Sanchez *lib. 2. de matrim. diſp.* 41. *num.* 40. ver. *Contrarium tamen.* Facundez *pracep. 4. Eccleſ. lib. 1. cap.* 10. *n.* 3 Laiman. *lib. 1. theol. mor. tract. 1. cap. 4. n.* 36. Trullench. *lib. 3. in Decal. cap 2. dub. 4 num.* 8. Breſſer. *lib. 4. de conſcient. cap.* 11. *num.* 103.

2 Attamen *hoc non obſtante, dictam prouiſionem factam ab Ordinario ſuſtinēdam puto.* Ratio autem eſt, quia cum non poſsimus præcisè ſcire punctum mediæ noctis, nec etiam iudicare poſſumus, quodnam ex pluribus horologijs illud indicet: imo eſt moraliter impoſsibile,quod aliquod ex ipſis cum ipſo prę-cisè concordet. Vnde, quando iudicantur regulatè procedere, ſingula faciunt probabile,quod ſit media nox,dum ipsā indicant. Imo etiam ſi plura concordent,non faciūt magis probabile, quàm faciat vnum,quia fieri poteſt,vt hoc vnū ſit magis regulatum,vt dixi in *Praxi Ieiunij. Deciſ.* 444. *num.* 4. Et ideo poſſe nos ſequi horologium,quod libuetit,tradunt Sanchez *lib 2. de matrimon. diſp.* 41. *num.* 40. ver. *Quod ſi diuerſa.* Facundez *pracep. 4. Eccleſ. lib. 1. cap.* 10. *num.* 3. Io. Sanchez *in ſelect. de ſacram. diſp.* 42. *num.* 18. Villalob. *tom. 1. Sum. tract. 1. difficul.* 21. *n.* 7. Bonac. *diſp. 1. de ſacram. in genere. q. 2. punc. 2. §. incidenti. num* 9. Breſſerus *lib. 4. de conſcient. cap.* 11. *nu.* 106. Caramuel *in Reg. S. Benedic. diſp.* 101. *num.* 1328. & alij,quos citaui in dicta *deciſ. num.* 2.

3 Hoc ergo ſtante cum beneficium vacauerit per obitum ſequutum inter pulſus diuerſorum horologiorum indicantium mediam noctem, ſicut ex illis horologijs aliqua probabile faciūt,quod ſit tranſacta media nox,& alia,quod nō ſit tranſacta; ita etiam reſultat hinc inde probabilitas pro reſeruatione; nam in virtute aliquorum probabile fit, quod expirauerit; in virtute verò aliorum probabile fit, quod non expirauerit. Cum ergo ex dictis poſsimus ſequi quodlibet horologium in ijs, quę regulanda ſunt ſecundum terminum mediæ noctis, ſequitur, quod collatio dicti beneficij tàm ſpectet ad Ordinarium, quàm ad ſummum Pontificem, quia poteſt Ordinarius ſequi primum horologium, & conferre beneficium, tanquam non amplius reſeruatum, & Summus Pont fex poteſt ſequi vltimum horologium, & conferre beneficium tanquam reſeruatum; ita vt ius conferendi non magis ſe teneat ex parte vnius,quàm ex parte alterius.

4 Hinc ergo fit, quod illa prouiſio ſit ſuſtinenda, quæ eſt prior tempore, atq. adeo prouiſio ordinarij,quia quādo plures conferre poſſunt idem beneficium, ſubſiſtit prouiſio, quæ eſt prior tempore Cap. *Dudum.* §. *Nos igitur.* §. & Cap. *Si à Sede. De præben. in* 6. & Cap. *Si plures.* §. *Porro De offic deleg. in* 6 & Doctores in hos tex. & notant Sraphil. *De litter. grat. in Prælud. num.* 8. Gomez *de expectat. nu.* 16. Boer. *qu.* 24. *num.* 4. & *qu.* 287. *num.* 1. Abbas *in Cap Quia diuerſitatem. num.* 5. *De conceſ. præben.* Bonifac. Vitalin. *in Clem. 1. num.* 38. ver. *Vnde ſi papa.* Vt *lite pen.* Rebuf. *in Concor. in Rubr. de mand. Apoſt. §. Declarantes. in gloſ* ver. *Iure præuen.* Gonzalez *ad reg. 8. cancel. §. 3 proem. n.* 1. & *ſequen.* Rota *Deciſ. 1. num. 2. De præben. in nouiſ.* & *Deciſ.* 17. *num.* 2. ver. *Præterea Papa. De præben. in nouiſ.* & *Deciſ.* 272 *num. 4. lib. 2. par. 3. diuer.*

5 Præſertim, quia cum prouiſus ab ordinario eodem fundamento poſſit oſtendere reſeruationem expiraſſe,quo cōtra ipſum probatur,non expiraſſe, non habet contra ſe ſufficiens fundamētum, vt

tiæ, à qua contrarietate poteſt ſubtrahi; & ideo non fiunt mala, vt eueniant bona. D. autem Auguſ. *num.* 1. citat. Solū vult, quod ebrietas animam necet, quādo continet exceſſum contra virtutem temperantiæ, atq; adeo propriam malitiam; non autem vult, quod non poſſit denudari ab hac malitia, vt iam explicatum eſt.

6 Quod ſi vrgeatur, quod quocunq; modo contingat, ſemper priuat vſu rationis, & proinde ſemper continet malitiam. Reſp. Priuari vſu rationis non eſſe ex ſe malum; ſed ſolum ratione cauſæ, vnde ſequitur iſta priuatio, nam quando dormimus, priuamur vſu rationis, & tamē nulla interuenit malitia. Imò eſt licitum priuare ſe vſu rationis in ordine ad reſtaurandum corpus, & in hunc finem ſunt licita remedia conciliatiua extraordinarium ſomnum, quando eſt neceſſarius ad reſtaurationem corporis; vnde cum ſomnus ſit priuatio vſus rationis, erit licita talis priuatio etiam media ebrietate, quando eſt neceſſaria in ordine ad ſanitatem.

7 Nec eſt eadem ratio de fornicatione, quia fornicatio non eſt mala ratione alicujus exceſſus, atq; adeo nec accidentaliter, vt poſſit à malitia ſua denudari, ſicuti eſt potus; ſed eſt mala eſſentialiter ratione ſui obiecti; & ideo ſiue ſecundum has regulas, ſiue ſecundum illas menſuretur, ſemper retinet propriam malitiam, quia ſemper retinet ſuum obiectum cum eadem deformitate obiectiua, & eadem contrarietate ad regulas rationis. Potus autem non eſt malus ex obiecto, ſed accidentaliter ex exceſſu, qui exceſſus poteſt honeſtari, quando ſecundum alias regulas eſt neceſſarius.

An diſpenſatus ob infirmitatem oculorum à recitatione diuini officij, teneatur ipſum recitare, ſi conualeſcat.

Quæſt. 387.

SVMMA.

1 *Diſpenſatus ab horis canonicis ob infirmitatem oculorum, an teneatur recitare ſi conualeſcat.*
2 *Ceſſante cauſa quando ceſſet diſpenſatio.*
3 *Quando obligatio legis habet tractum ſucceſſiuum, diſpenſatio non extenditur ad tempus, in quo cauſa ceſſat.*
4 *Diſpenſatio non ſubſiſtit, niſi vt informata cauſa finali.*
4 *Parùm ſunt, cauſam non fuiſſe ab initio, & poſtea omnino ceſſaſſe, in diſpenſatione habente tractum ſucceſſiuum.*
5 *Quando cauſa ceſſat negatiuè, ceſſat etiā lex.*
5 *Faciliùs ceſſat diſpēſatio, quam ius cōmune.*
6 *Obligatio legis habentis plura præcepta affixa tempori, quomodo debeat extingui.*

1 NOn teneri recitare officium diuinum, etiam ſi conualeſcat ab infirmitate, propter quam diſpenſatus eſt, ſed adhuc durare diſpenſationem, etiam ſi cauſa ceſſauerit, tenet Auctor caſuum conſcient. Bononienſ. *anno* 1538. *menſe Maio. Caſu* 1. & in ſimili caſu idem tradunt Granad. 1. 2. *controuer.* 7. *tract.* 3. *diſp.* 17. *n.* 43. Salas *de legib. diſp.* 20. *ſect.* 6. *in fine*. Fundamentum eſt; quia totalis effectus diſpēſationis eſt legis relaxatio; cum ergo ſit ſublata obligatio legis, atque extincta, non poteſt reuiuiſcere ex eo, quod ceſſat cauſa finalis diſpenſationis; & ideo parum refert, quod ceſſet, vel perſeueret.

2 At *hæc opinio prorſus reijcienda, ſicut reijciunt in ſimili, & generaliter in ſimilibus caſibus* Sanchez *lib.* 8. *de matrimon. diſp.* 30. *n.* 14. Suarez *lib.* 8. *de legib. cap.* 30. *num.* 9. & 18. Laiman *lib.* 1. *theol. moral. tr.* 4. *cap.* 22. *n.* 15. Merolla *tom.* 2. *theol. moral. diſp.* 4. *cap.* 6. *num.* 31. Et hoc locum habet, etiam ſi ceſſante finali cauſa non ceſſet diſpenſatio, quia hoc non habet

lo-

locum in ijs, quæ habent tractum ſucceſſiuum. Deducitur autem hæc reſolutio ex generali doctrina eorum, qui docent, quod ceſſante cauſa ceſſet diſpenſatio, quando non eſt ſortita ſuum vltimatum effectum. Ita Gloſ. *in Cap. Abbate.* De *verb. ſignif.* & *in Cap. Cum ex eo, verbo.* Litterarum. *De elect. in* 6. Dinus *in* Cap. Decet. De *reg. iur. in* 6. Felin. *in Cap. Quæ in Eccleſiarum. nu.* 26. De *conſtit.* Io. Andr. *in Cap. Poſt translat. n.* 39. De *renunciat.* Panorm. *in Cap. Suggeſtū. num.* 5. De *decim.* Bald. *in l. Generaliter. num.* 3. C. De *Epiſcop. & Cler.* Caſtrenſ. *Conſil.* 210. *l. b.* 1. Roman. *Conſil.* 404. *n.* 5. lo. de I nola *Conſil.* 87. *ver. Præterea ſecūdo.* Tiraquel. *tract. Ceſſante cauſa. limit.* 23. *num.* 11. vbi alios citat. Tapia *in l. fin. ff.* De *conſtit. princip. par.* 2. *cap.* 4. Mandol. *De priuileg. ad inſtar gloſ.* 5. *in fine.* Tuſch. *Littera C. concluſ.* 202. *n.* 27. Coninch. *De cenſur. diſp.* 33. *in fine.* Bonac. *diſp.* 1. *de legib. quæſt.* 2. *punct.* 10. *§.* 1. *num.* 9.

3 Ratio autem eſt; quia dato, quod ceſſante cauſa nō ceſſet diſpenſatio, hoc tamen non poteſt habere locum, quando obligatio legis habet tractum ſucceſſiuum, quia tunc lex continet plura præcepta ſolo numero diuerſa, quę ſe extēdunt ſucceſsiuè ad alios, & alios dies; & proinde cum tempore adueniunt, & cū tempore extinguuntur; præceptū namq; quod obligat in præſenti die ad recitandum officium diuinum, ita eſt affixum diei, vt tranſeat cum ipſo, & dies ſubſequens afferat nouum præceptum, & nouam obligationem affixam ſimiliter diei, & cum ipſo tranſeuntem. Ex quo fit, quod, vt diſpenſatio tollat has ſucceſſiuas obligationes, quas continuò inducit lex, debeat & ipſa habere tractum ſucceſſiuum, vt poſſit ſe opponere obligationi aduenienti: nam ſi aduenit obligatio, & non reperit obſtaculum diſpenſationis, producet ſuum effectum, & obligabit.

4 Ceſſante autem cauſa finali diſpenſationis, quæ in noſtro caſu eſt infirmitas oculorum, diſpenſatio non poteſt habere tractum ſucceſſiuum, & ſe opponere obligationi de nouo aduenienti. Diſpenſatio namque non ſubſiſtit, niſi prout informata cauſa finali, ob quam eſt conceſſa, cum enim conceſſa ſit ex tali cauſa expreſſa, ita fundatur in illa, & ipſa informatur, vt ſi cauſa non ſit vera, irrita quoque, & nulla ſit diſpenſatio, vt communiter docent Gloſ. *in Cap. Ex parte* 2. *verbo.* Falſa. *De conuer. coniug.* Dec. *in Cap. Poſtulaſti. num.* 11. *in noua edit. De reſcript.* Paris. *Conſil.* 4. *num.* 3. *vol.* 4. Couaruu. *lib.* 11. *Variar. cap.* 20. *num.* 5. *ver. Falſitas.* Staphil. *De litter. grat.* Tit. *de vi & effectu clauſ. init. n.* 5. Merlin. *controu. forenſ. cap.* 54. *num.* 5. Henriquez *lib.* 12 *de matrimon. cap.* 3. *num.* 7. Syluester *verbo.* Reſcriptum. *Quæſt.* 6. Sanchez *lib.* 8. *de matrim. diſp.* 21. *n.* 32. & alij apud ipſum. Et ratio eſt, quia cum dependeat à voluntate diſpenſantis, & voluntas ipſius moueatur à cauſa finali ad diſpenſandum, dependet etiam ab ipſa cauſa, tanquam determinante voluntatem diſpenſantis. Cum ergo ceſſet cauſa finalis, remanet diſpenſatio ſine ſuo fundamento, & ſine ſua forma, & proinde non ſubſiſtit in ſuo eſſe, ſed eodem modo ſe habet, ac ſe haberet ab initio, ſi non extaret cauſa expreſſa, quia paria ſunt, ab initio non adfuiſſe cauſam, & fuiſſe aliquam, ſed illam omnino ceſſaſſe *l.* 1. *ff.* De *nautico fœn.* Vnde ceſſat etiam voluntas diſpenſantis eam manutenentis in ſuo eſſe, ſi quidem talis voluntas operatur, & conſeruatur in virtute cauſæ mouentis. & ideò tanquam irrita non poteſt ſe opponere ſuperuenienti obligationi.

5 Quod amplius confir. Quando ceſſat cauſa ſolum negatiuè, ceſſat etiam lex; quia cum reſpiciat finem ſuum, non habet inducere obligationem, niſi ſub ratione talis finis, & ideo cū non habeat finem negatiuè, ceſſat inducere, quia ceſſat finis, ad cuius exigentiam inducit, vt docent Couaruu. 4. *Decret. par.* 2. *cap.* 6. *§.* 9. *num.* 8. Tiraquel. *tract. Ceſſante cau. part.* 1. *limit.* 9. Caſtro *lib.* 1. *De lege pœn. cap.* 5. *docum.* 3. Caiet. 2. 2. *quæſt.* 147. *ar.* 5. Ledeſma 2. *par.* 4. *quæſt.* 17. *ar.* 2. *dub.* 3. *ad* 4. *& qu.* 18. *dub.* 12. *poſt.* 2. *concluſ* &

communiter, ergo etiam diſpenſatio ceſſabit ceſſante cauſa finali, quia facilius ceſſat diſpenſatio, quam ceſſet ius commune. *l. Eius milit. §. 1. C.* Ad *ſenat. conſult. Velleian.* vbi Gloſ. *verbo Quocunqi modo*, & explicat Tiraq. *dict. tra. Ceſtanteaw limit. 11. in fine*. alios citans præſertim, quia militat eadem ratio, nam tàm lex, quàm diſpenſatio habent finalem cauſam pro fundamento, & forma.

6 Hinc facilè ſoluitur fundamentum oppoſitę ſententiæ. Ex eo namque, quod diſpenſatio ſit relaxatio obligationis legis, ſequitur, quod lex deſinat obligare, & ad ſummum quod obligatio extincta per talem diſpenſationem non reuiuiſcat amplius. At quando obligatio legis habet tractum ſucceſſiuum, & habet ſua præcepta affixa diebus, nō ſufficit, quod extinguatur vna, aut altera obligatio, ſed debent extingui omnes iuxta ſucceſſionem dierum, & præceptorum, nam ſinguli dies, dum de nouo adueniunt, afferunt de nouo præcepta ſibi affixa abſque eo, quod reuiuiſcat obligatio extincta, nō poſſunt autem extingui obligationes omnes ſingulorum præceptorum, niſi etiam diſpenſatio habeat tractum ſucceſſiuum, quem non poteſt habere amplius, quando ceſſat cauſa, quia remanet informis, & abſque fundamento, & ideo non poteſt amplius ſubſiſtere.

An prohibitio largitionis munerum inter ipſos regulares per Clementem VIII. obliget ſecluſa ambitione. Quæſt. 388.

S V M M A

1 *Largitio munerum probibita etiam inter religioſos.*
2 *Quid, ſecluſa ambitione.*
3 *Penes conſcientiam attenditur ſola veritas.*
3 *Lex fundata in falſa præſumptione iuris, & de iure non obligat in conſcientia.*
4 *Lex fundata in falſa præſumptione tantùm iuris obligat in conſcientia.*
5 *Præſumptio iuris quænam ſit.*
5 *Prohibitio largitionis munerum fundatur in præſumptione iuris.*
6 *Ceſſante fine legis etiam in particulari ceſſat lex.*
7 *Ratio, & finis ampliant, & reſtringunt diſpoſitionem.*

1 CLemen. VIII. in ſua *Conſtitutione*, quæ incipit *Religioſæ Congregationes*, edita *XIII. Kal. Iulij anno* 1594. & eſt in *Bullario*. 28 *§. Neque vero.* prohibet munera, etiam inter ipſos religioſos. ibi. *Ita vt inter ipſos quoq; religioſus. (Ne praua ambitione impulſi pro conſequendis in ſua religione gradibus, & dignitatibus alter alterius gratiam, aut beneuolentiam aucupetur) quæcunque largitio, aut donatio munerum, (niſi rerum minimarum de licentia expreſſa, & in ſcriptis ſuperiorum) ſit penitus interdicta.* Stante ergo vigore huius conſtitutionis dubitatur, an obliget ſecluſa ambitione.

2 Negatiuam partem tradit Valerus *in Different. vtriuſque fori. verbo* Munera. *Different. 1. num. 82.* quia hæc prohibitio procedit ex præſumpta cauſa ambitionis, vnde ſi ea ceſſet, ceſſabit etiam prohibitio ſaltem in foro conſcientiæ. argum. Cap. *Is, qui fidem.* iuncto Cap. *Tua. De ſponſalib.* quatenus probāt, quod lex fundata in falſa præſumptione non obligat in conſcientia, quod etiā approbat Diana *par. 1. tract. 10. Reſol. 27. ver. Item prohibitio Clementis VIII.*

3 Verum hæc doctrina nō eſt admittenda, quia licet lex fundata in falſa præſumptione non obliget in conſcientia, ſecundum quā attēditur ſola veritas. *Cap. Veritas. Diſt. 8.* & Cap. *Inquiſitionis*. De *ſentent. excommunicat.* hoc tamen ſolum locum habet, quando præſumptio eſt iuris, & de iure; quia nimirum tunc lex præſumit aliquod factum, & eo ſuppoſito tanquam vero aliquid diſponit, vnde diſpoſitio fundatur in veritate facti præſumpti; & ideo ſi non adeſt veritas facti, quæ præſumitur, corruit etiam obligatio legis quò ad conſcientiam, quia corruit fundamentum ipſius.

4 At quando præſumptio eſt tantum iuris,

iuris, & non de iure, quãuis falſa ſit præſumptio, lex non deſinit obligare, vt inter alios tradunt Salas *diſp.* 10. *De legib. ſect.* 4. Bonac. *diſp.* 1. *de legib. qu.* 1. *punc.* 7. *§.* 3. *num.* 1. *&* 6. Pontius *lib.* 5. *de matrimon. cap.* 5. *num.* 6. Gordon. *lib.* 2. *theol. moral. qu.* 9. *cap.* 9. *num.* 35. Lora 1. 2. *diſp.* 21. *de legib. memb.* 2. Tit. *De legib. quæ in præſump. &c.* Suarez *lib.* 3. *de legib. cap.* 23. *num.* 6. Vaſquez 1. 2. *diſp.* 163. *cap.* 2. *&* 3. Merol. *to.* 2. *theol mor. diſp.* 4. *cap.* 3. *dub.* 22. *num.* 213. Palaus *par.* 1. *oper. moral. tract.* 3. *de legib. diſp.* 1. *punc.* 14. *num.* 12. Et ratio eſt. Quia lex procedens ex præſumptione iuris, non dependet à veritate præſumptionis, quia præſumptio nec eſt fundamentum, in quo fundetur obligatio legis, ita vt debeat corruere corruente veritate præſumptionis. Nec eſt cauſa finalis ipſius, quia lex non intendit, quod præſumitur, neque ſtatuit aliquid circa ipſum tanquam circa veritatem præſuppoſitam; ſed talis præſumptio eſt ſolum cauſa impulſiua ad ſic ſtatuendum. Cũ ergo obligatio legis non innitatur præſumptioni iuris, non corruit corruente veritate præſumptionis.

5 Quod autem dicta conſtitutio habeat tantum præſumptionem iuris ex eo colligitur, quod præſumptio iuris eſt illa, quæ ſe tenet ex parte legis, quia nimirum ab ipſa inducitur, & approbatur, vt notant Bald. *in Rubr.* De *præſumpt. num.* 3. Felin. *in Cap. Quanto.* De *præſumpt.* Beroius *in Rubrica De probat. num.* 42. Caſtrenſ. *Conſil.* 299. *lib.* 2. nec ſupponit aliquod factum. In caſu autem præſenti dicta prohibitio non ſupponit aliquod factum, circa quod tanquam verum diſponat, ſed ſolum inducit præſũptionem, quod munera inter religioſos dentur ad aucupandam beneuolentiam ex ambitione pro obtinenda aliqua dignitate, aut officio, & ſtante hac præſumptione, quæ merè eſt iuris, prohibet munera. Vnde concludendum eſt, quod, quantũ eſt ex hoc capite, non poſsit excludi obligatio dictæ prohibitionis.

6 Ex alio tamen capite ceſſare poteſt prohibitio ſupradicta in ijs, in quibus ceſſat finis. Cum enim finis ipſius ſit prohibere munera, ne ijs tanquam medijs aucupetur beneuolentia alterius, ex qua poſtea ſequatur mala diſtributio officiorum, & dignitatum, ceſſante hoc fine, ceſsabit etiam prohibitio legis, quia ceſſante fine legis etiam in particulari, & ſolum negatiuè, ceſſat etiam ipſa lex, vt tradunt Bar. *in l.* 1. *§. Huius rei. ff.* De *offic. eius, cui man. eſt iuris.* Io. de Platea *in l. vnicam. C.* De *Sal. hoſ. non præb.* Roman. *in Repet. Authen. Similiter. C.* Ad *leg. Falcid.* Oldrad. *Conſ.* 6. Io. Andr. *in Cap.* Non *eſt in mora.* De *reg. iur. in* 6. Salicet. *in l.* 3. C. De *iuiur.* Ancharan. *Conſil.* 11. Calderin. *Conſil.* 21. Panorm. *in Cap. Quoniam. num.* 6. De *probat.* Archidiacon. *in Cap. Vtinam. Diſt.* 76. Angelus. *verbo.* Lex. *num.* 4. *caſu* 7. Syluester. *Quæſt.* 8. *&* 9. Adrian. *Quodlib.* 6. *poſt.* 2. *concluſ.* Euerar. *loca à ceſſat. rat. num.* 1. *&* 2. Nauar. *in Rubr.* De *iudic. num.* 74. Mexia *in pragmat. taxæ pan. concluſ.* 2. *num.* 29. *& ſequent.* Henriquez *lib.* 11. *Sum. cap* 17. *nu.* 2. Comitol. *lib.* 7. *reſpon. moral. qu.* 1. *num* 10. Sà *verbo.* Lex. *num.* 1. Souſa *in Bullam Clemen. VIII.* De *largit. muner. fundamen.* 3. Megala 2. 2. *lib.* 2. *cap.* 7. *quæſt.* 2. *num.* 55. Granad. *t.* 2. *controuer.* 7 *tra.* 3. *par.* 1. *diſp.* 15. *ſect.* 2. Cum enim lex obliget ſecundum menſuram intentionis legislatoris, & intentio legislatoris ſit ſecundum menſuram finis, ita vt non plus intendat obligare, quàm finis moueat ad obligandum, ſequitur, quod mens legislatoris non ſe extendat ad obligandum, niſi quatenus ſe extendit finis, & proinde non ſe extendat ad illos caſus, in quibus ceſſat finis.

7 Præſertim quia ratio, & finis ampliant, & reſtringunt omnem diſpoſitionem *l. Vnum ex familia. § fin. ff.* De *leg.* 2. & *l. Si is, qui. ff.* De *acquir poſſeſ.* & notant Bald. *Conſil.* 312. *num.* 2. ver. *Tertiò vt cauſa. lib.* 4. *Butr. Conſil.* 51. *nu.* 5. ver. *Item hoc declarat.* Roman. *Conſil.* 503. *n.* 7. Surd. *Conſil.* 67. *num.* 20. Rota *Deciſ.* 10. *num.* 2. *par.* 1. *Recent.* Cum ergo lex, & obligatio ipſius non poſſit extendi, niſi ſecundum intentionem finis, non poterit habere locum, vbi locum non habet finis legis.

An canonicus, qui lucratus eſt groſſam canonicatus, antequam officium omittat, teneatur portionem ipſius reſtituere. Quæſt. 389.

S V M M A

1 *Canonicus, qui poſt quam obtinuit groſſam, non recitat officium, an teneatur ad reſtitutionem. & num. ſeq.*

3 *Fructus omnes beneficiorum per æquas portiones correſpondet ſingulis diebus in ordine ad officium.*

4 *Fructus omnes beneficiorum acquiruntur cum modo.*

5 *Modus, & conditio in quo differant.*

5 *Conditio impedit acquiſitionem.*

6 *Non recitatis horis canonicis acquiſitio fructuum reſoluitur.*

6 *Modus, ſi non impleatur, reſoluit acquiſitionem.*

1 NOn teneri reſtituere portionem groſſæ canonicatus, qui officium omittit, poſtquam eam lucratus eſt, tradit Salas *diſp. 15. de legib. ſect. 2. num. 27. in fine*. Cuius fundamentum eſt, quia pœna impoſita non recitantibus horas canonicas per Concilium Lateranenſe *ſub Leone* X. & declarata à Pio V. *in ſua Conſtitutione*, Ex proximo *edita Kal. Octobr.* 1571. & eſt 135. *in Bullario* non eſt, vt fructus iam ſuos reſtituant, ſed vt non faciant fructus ſuos.

2 At Vaſquez 1. 2. *Diſp.* 168. *cap.* 4. *num.* 36. cenſet, debere reſtituere portionem ipſius groſſæ, quia etiam ſi illam lucratus ſit, & acquiſierit dominium, ita vt non maneat in ſuſpenſo per totum annum ſub conditione, ſi recitauerit, ſi quidem ſi contingat mori, poſtquam groſſam lucratus eſt, ipſa defertur ad ſuos hæredes, adhuc tamen lex imponit pœnam reſtitutionis, quamuis iure naturali non teneatur ad talem reſtitionem.

3 Hæc *poſterior ſententia tenenda eſt*. Si quidem tradit illud ipſum, quod in dicta conſtitutione Pij V. decernitur. Ibi enim Pontifex §. 2. vult, quod fructus omnes beneficiorum diuidantur in tot portiones quot ſunt dies anni, & ſequuta omiſſione recitationis totius officij pro vno, aut pluribus diebus, fiat reſtitutio illatum portionum, quæ correſpondent illis diebus. Ita enim habet, *Statuimus, vt qui horas omnes canonicas vno, vel pluribus diebus intermiſerit, omnes beneficij, ſeu beneficiorum ſuorum fructus, qui illi, vel illis diebus reſponderent, ſi quotidie diuiderentur; qui verò matutinum tantum dimidiam; qui cæteras omnes horas, aliam dimidiam; qui harum ſingulas ſextam partem fructuum eiuſdem diei amittat. Tametſi aliquis choro addictus non recitans omnibus horis canonicis cum alijs præſens adſit, fructuſque, & diſtributiones, forte aliter aſſignatas ſola præſentia iuxta ſtatuta, conſuetudinem, fundationem, vel aliàs ſibi lucriſeciſſe prætendat, is etiam præter fructuum, & diſtributionum amiſſionem, &c.* Ex quibus conſtat, quod abſolutè pars illa, quæ ex omnium beneficiorum fructibus correſpondet diei, ſiue fructus percepti ſint, ſiue non, reſtituenda eſt.

4 Quia tamen hæc conſtitutio Pij V. eſt declaratiua conſtitutionis Leonis X. *in Concilio Lateranenſi* factæ, in qua dicitur, quod non recitans non faciat fructus ſuos, ideo videndum eſt, quomodo teneatur reſtituere fructus, quos iam ſuos effecit. Pro quo eſt aduertendum, quod licet beneficium non tradatur ſub ea conditione, quod non faciat beneficiarius fructus ſuos, niſi recitet horas canonicas, & proinde quando canonicus percipit groſſam canonicatus, non remaneat in ſuſpenſo dominium expectans futuram conditionem, ſed ſtatim fiat abſolutum, attamen ita traditur beneficium cum onere recitandi horas canonicas, vt non percipiat fructus, niſi cum modo recitandi horas canonicas, atque adeo addictos tali modo.

5 Differt autem modus à conditione, quod conditio debet impleri, antequam actus perficiatur. *l. Filiofamilias. ff.* De *condit. & demonſtrationibus*. Modus autem debet impleri poſt actum perfectum *l. Meuia. ff.* De *manum. teſt.* & *l. Quibus diebus. §. Termilius. ff.* De *condit.*

condit. & demonſtrat. Bart. ibid. num. 1. ver. Dic ergo ſic. Alciat. reſponſ. 165. nu. 15. Paris. Conſil. 19. nu. 255. lib.2. Menoch. Conſil. 131. num.2. Sarmien. lib.2. Select. interpret. cap.3. nu.1. & 4. Duran. de condit. & mod. impoſſibil. par. 5. cap. 1. num.3. Ex quo fit, quod conditio impediat acquiſitionem ab initio, quia tenet actum ſuſpenſum, donec fuerit poſita. l. Si quis ſub conditione. ff. Si quis omiſ. cau. teſt. Cum ergo recitatio horarum canonicarum annexa beneficio, non impediat acquiſitionem fructuum, non habet rationem conditionis, ſed rationem modi, cum quo fructus tranſeunt ſub dominium beneficiarij.

6 Quia ergo beneficiarius percipit fructus ſub modo, & obligatione recitandi horas canonicas, ideo, ſi non implet modum, reſoluitur acquiſitio fructuum, & dominium ſuper ipſos, & in eo ſtatu conſtituuntur, in quo erant, antequam fuiſſent facti beneficiarij. Natura enim modi eſt, quod licet non impediat acquiſitionem, eam tamen reſoluat, ſi non impleatur. l. Libertas. §. Hac ſcriptura. ff. De man teſt. & notant Bart. in l. Quibus diebus. §. Termilius. num. 13. ff. De condit. & demonſtrat. Decius in l. Cum mota. num.6. C. De tranſact. Duran. De condit. & mod. impoſſib. part. 5. cap. 1. num.4. Quare canonicus acquirens groſſam canonicatus, acquirit quidem dominium ſupra illos fructus, ſed reſolubile non implero modo recitationis officij. & ideo, quando aliquo die non recitat, reſoluitur dominium quò ad illam, portionem, quæ correſpondet tali diei, & non facit ſuos tales fructus, quia nedum facit dominium irreſolubile, ſed illud reſoluit, atque adeo deſinunt illi fructus eſſe ſub eius dominio.

An valeat donatio rei immobilis facta religioni incapaci immobilium ſub eo modo, ne ipſam alienet. Quæſt. 390.

S V M M A

1 *Modus impoſſibilis de iure vitiat contractum.*
1 *Stipulatio ex turpi cauſa ipſo iure eſt nulla.*
1 *Stipulatio turpis eſt irrita.*
2 *Modus impoſſibilis de iure non vitiat contractum ſed reijcitur.*
3 *Donatio ratione modi impoſſibilis de iure vitiatur quò ad actionem, non quò ad retentionem.*
4 *Donatio nulla non transfert dominium.*
5 *Donatio ſub modo impoſſibili de iure ſubſiſtitur.*
6 *Donatio immobilium facta religioni incapaci immobilium ſub modo, ne alienet, an valeat.*
6 *Modus turpis adiectus donationi &c. reijcitur.*
6 *Nulla poteſtas extenditur ad illicita.*
6 *Non eſt poteſtas, niſi, ſit rationabilis.*
7 *Donatio inter coniuges valet, licet matrimonium ſit irritum ex impedimento iuris, cuius intuitu facta eſt.*
8 *In pactis, & contractibus reijciuntur modi de iure impoſſibiles.*
8 *Promiſſio de aliquo herede inſtituendo eſt nulla.*
8 *Impoſſibilia habentur, pro non appoſitis.*
9 *Modus quando impleri debeat.*
9 *Modus quando non poteſt impleri, niſi cum culpa, non nocet, ſi non impleatur.*
9 *Non dicitur quis poſſe, quando contra ius poteſt.*
10 *Salarium ceſſat ceſſante officio, pro quo datur, etiam ex cauſa impoſſibili.*
11 *Promiſſio requirit in promiſſario qualitatem, cuius contemplatione fit.*
11 *Quando aliquid implendum eſt, priuſquam diſpoſitio ſortiatur effectum, diſpoſitio eſt conditionalis.*
12 *Stipulatio ex turpi cauſa cur nulla.*
13 *Omnis actus dependet à poteſtate.*
14 *Actio à retentione quando ſeparetur.*

1 TRes ſententias in hac difficultate reperio, quarum prima eſſe poteſt

poteſt eorũ, qui generaliter volunt, quod modus impoſſibilis de iure vitiet contractum, quam tradunt Corneus *Conſil. 255. per totum. vol. 4.* Couarr. *in Cap. Cum t. bi. n. 15. ver. Hæc autem in fine.* De *teſtamen.* Vnde cum modus appoſitus in donatione ſit impoſſibilis de iure, vitiabit donationem. Prob. 1. *ex l. Si militẽ.* C. De *procurat.* vbi modus impoſsibilis de iure ita vitiat cõtractum, vt ſi res tradita fuerit, repeti poſſit. Quod etiam habetur ex *l. Ea quæ.* C. De *donat. ante nupt.* 2. Stipulatio facta ex turpi cauſa ipſo iure eſt nulla *l. Si Flagitij. ff.* De *verbor. obligat. & l. Mercalem.* C. De *condit. ob turp. cau.* præſertim quando ſtipulatio tranſiret in crimen commune tàm ſtipulatori, quàm promiſſori. Talis autem eſt dicta donatio, quia ex turpi cauſa, nempe ex cauſa poſſeſſionis prohibitæ. 3 Turpis ſtipulatio eſt irrita l. *Generaliter ff.* De *verbor. obligat.* talis autem donatio eſt turpis, cum ſit ſub modo turpi, nempe prohibito.

2 Secunda opinio eſſe poteſt eorum, qui abſolutè aſſerunt, modum impoſſibilem de iure non vitiare contractum, ſed reijci, & haberi pro non adiecto. Ita Aretin. *in l. Impoſſib lis ff.* De *verbor. obligat.* & alij *ibid.* Vnde ſecundum hos etiam in tali donatione erit reijciendus modus, & ſubſtinenda donatio. Et poſſunt ij omnes citari, qui abſolutè volunt, modum impoſſibilẽ ſiue de iure, ſiue ex natura ſua non vitiare contractus, vt Accurſius *in l. Cum donat.* C. De *tranſact.* Caſtrenſ. *ibid. num.* 5. Alexan. *num.* 3. Iaſ. *num.* 5. Bart. *in l. Quibus diebus. §. Termilius. num.* 18. *ff.* De *condit. & demonſtrat.* Romanus *in l. Impoſſibilis. ff.* De *verbor. obligat.* Zaſius *ibid.* Anton. de Padilla *in dict. leg. Cum donationis.* Molina *lib. 2. de Primogenit. c. 12. n. 41.* & alij.

3 Tertia ſententia eſt media, quam in terminis de tali donatione tradit Dutan. *De condit. & mod. impoſſibilib. par. 5. cap. 2. num. 27.* ver. *Verum hac ratione.* vult enim, quod dicta donatio ratione modi adiecti vitietur quò ad actionem, ita vt non poſſit donatarius intentare actionem ad rem donatam obtinendam non autem vitiari quò ad retinendam rem traditam, ſi ſequuta ſit traditio, ita vt competat retentio, & exceptio.

4 Verum hanc diſtinctionem nequeo percipere. Quia, ſi ſequuta traditione poteſt donatarius retinere rem donatam ſub modo impoſſibili de iure, non obſtante hac impoſſibilitate modi, oportet concedere, quod acquiſierit ius in re donata, & quod facta ſit ſub illius dominio. Hoc autem non poteſt ſaluari, niſi donatio valida ſit, quia donatio nulla non poteſt transferre dominium rei donatæ, ſiquidem quod nullum eſt, nullum poteſt habere effectum l. *l. Non putauit. §. Non quauis. ff.* De *bonor. poſſeſ. con. tab.* & *l. Sicut nullum.* C. De *legit. hæred.* & *l. Non dubium.* C. De *legib.* & Cap. *Illud.* De *iure patr.* Si autem donatio eſt valida, iam non vitiatur ex modo de iure impoſſibili appoſito. Quod ſi non vitiatur, ſed habet vim transferendi dominium, iam dat donatario ius ad rem, atq. adeo etiam actionem, quia actio naſcitur ex iure ad rem.

5 Rurſus Modus impoſsibilis de iure non vitiat donationem quo ad retentionem rei donatæ, ſi ſequuta ſit traditio; ergo ſubſtinetur donatio, & reijcitur modus, quia ſi non reijceretur, haberet ſuum effectum, & reſolueret donationem, ſi non impleretur *l. Libertas. §. Hac ſcriptura. ff.* De *man. teſt.* & notant Doctores *Queſt. praeced. num.* 6. citati. Ergo nec vitiat actionem, quæ ex donatione acquiritur, ſed ab ipſa reijcitur, quia ſi ſemel à donatione reijcitur, ſemper reijciendus eſt, cum militet ſemper eadem ratio.

6 Itaque tenendum eſt abſolutè, quod *Donatio rei immobilis facta religioni incapaci immobilium cum modo, quod non poſſit alienari, ſubſiſtat, ſed ab ipſa modus reijciendus ſit tanquam de iure impoſſibilis.* Ratio autem eſt quia legatum rei immobilis factum religioni incapaci immobilium, ſub conditione, ſeu modo, quod non alienetur, tenet, & reijcitur modus tamquam turpis, cum inducat ad violationem inſtitui religionis,

vt

vt docent Bald. *Conſil.* 132. Guillel. Benedict. *in Cap. Raynutius. verbo.* Relinquit, *num.* 14. *De teſtam.* Menoc. *Conſil.* 1014. *per totum.* ergo etiam in donatione reijcietur talis modus tanquam turpis, & valebit donatio, quia militat eadem ratio. In tantum enim reijcitur in legato, quia eſt turpis, & voluntas legantis debet reduci ad terminos rationis, quia non habet poteſtatem faciendi, quod turpe eſt, cum omnis poteſtas claudatur intra limites rationis, & non ſe extendat ad illicita, & à iure prohibita. *l.* 1. *ff. De milit. teſt.* iuncta *l. Dotalem.* & *l. In Fraudem.* & *l. Si à milite §.* 1. *&* 2. *ff. eodem.* & *l.* 3. *§. Si procurator. ff.* Quod *quiſque. iur.* vt per hos text. notat Menoch. *De arbitr. lib.* 1. *q.* 7. *num.* 7. Neque enim eſt poteſtas, niſi ſit rationabilis, & iuſta. l. 2. *ff. D vſ. fr. ear rer. qua uſ. conſum.* & *l. Reprebendenda.* C. *De inſtit. et ſubſtit.* & Cap. *Sunt quędam.* 25. *Quęſt.* 1. Vnde cũ etiam talis modus appoſitus donationi ſit turpis, tanquam nullus ex defectu poteſtatis in apponente, debet reijci, ſicut reijcitur in legato.

7 Præterea. Donatio ex cauſa matrimonij inter coniuges valet, etiam ſi modus, ſub quo facta eſt, ſit de iure impoſſibilis, quia nimirum conſtet poſtea matrimonium, ſub quo tanquam ſub modo facta eſt, irritum fuiſſe ex impedimento à iure poſito. Cap. 2. *in fine.* *De donat. inter uir. & uxor.* vbi Abbas *num.* 1. argum. ex *l. Si cum dotem. §. fin. ff.* Soluto *matrimonio* vbi Roman. Daran. *De cond. t. & mod. impoſ. par.* 5. *cap.* 2. *nu.* 6. Ergo etiam donatio facta religioni incapaci immobilium de re immobili ſubſiſtet, & reijcietur modus de iure impoſſibilis, & competet actio ad rem donatam, quia donatarius aget ad rem donatam reiecto modo donationis.

8 Ratio autem eſt. Quia in pactis, & contractibus reijciuntur modi, qui de iure ſunt impoſsibiles. Cap. *Quamuis pactum.* *De pactis in* 6. vbi modus de iure ciuili impoſsibilis adiectus pacto, ſeu dotatio facta cũm modo de non habendo regreſſu ad bona paterna contra ius ciuile, ſubſtinetur ſolum ratione iuramenti, aliàs non ſubſtinenda cum hoc modo, ſed reijciendus. Rurſus quia modus, quod quis inſtituatur hæres, eſt de iure prohibitus, quia promiſſio de aliquo hærede inſtituendo eſt nulla. *l. Stipulatio hoc modo concepta. ff. De verbor. obligat.* & *l. fin.* C. *De pactis.* & notant Couaruu. *in Cap. Quamuis pactum, De pactis.* Cancer. *lib.* 3. *Variar. cap.* 7. vbi latè. Si apponatur alicui contractui, & in ſpecie donationi, reijcitur modus iſte, & ſubſtinetur donatio *l. Cum donationis.* C. *De tranſact.* Quia nimirum generaliter impoſsibilia habentur pro non appoſitis *l. Ea, quæ dari. ff. De reg. iur.* Vnde rejciuntur tamquam inutilia, & ſubſtinetur contractus tamquam non vitiatus ab ipſis, cum ſint extra eiuſdem ſubſtantiam, iuxta regulam Cap. *Vtile. De reg. iur. in* 6. & *l. ff. De condit. inſtit.*

9 Quod etiam confir. Quia modus non debet impleri antequam res perficiatur, ſed ſolum ea perfecta l. *Mænia. ff. De manu. teſt.* & l. *Quibus diebus. §. Termilius ff. De condit. & demonſtr.* Et proinde non impedit acquiſitionem, ſed ſolum reſoluit, ſi non impleatur. *l. Libertas. §. Hac ſcriptura. ff. De man. teſt.* Vnde ſi donatio ſit facta ſub modo turpi, non poteſt modus adiectus impedire acquiſitionem, & actionem ad rem donatam, quia donatarius poterit proteſtari, quod modus appoſitus non poteſt impleri ſine culpa, & proinde ſibi non nocere, quod non impleat *l. Si pecuniam: ff. De condit. ob cau.* Cum enim modus ſit contra ius, habetur pro impoſsibili, quia non dicitur quis poſſe, quod contra ius poteſt. *l. Quæro. §. Inter locatorem. ff. Locati.* & *l. Nepos Proculo. ff. De verbor. ſignificat.* & Cap. *Cauſam, quę. De reſcrip.* & Cap. *Cum dilectus. De conſuet.*

10 Nec obſtant, quæ *num* 1. pro priori ſententia allata ſunt; nam ad 1. reſp. Quod ille tex. loquitur de conditione, non de modo, vt cum Bar. *in dict. l. Si militem. ff. De condit. ob cau.* docent communiter; Si quidem pecunia data fuit mi-

militi pro mercede, vt eſſet procurator; cum autem non poſſet eſſe procurator, quia à iure prohibetur, non potuit acquirere dictam mercedem, ſeu ſalarium, quia ceſſante labore, & exercitio etiam ex cauſa impoſsibili, ceſſat etiam ſalarium, & ſi ſolutum ſit, repeti poteſt *l. Seruo amico. ff.* De *an. leg.* ibi *Cũ tàm labor. quàm pecunia diuiſionem reciperent*. Quia de natura ſalarij pro officio eſt, quod prius officium exhibeatur, quàm ſoluatur ſalarium, vt notat Bart. *in l. i. §. Diuus. nu. 16. ff.* De *var. & extr. cogn.* Quare cum dicta pecunia habuerit rationem mercedis, officium procuratoris exhibendum erat conditio, non modus, quia tantum eo exhibito, fiebat debita pecunia.

11 Similiter tex. *l. Ea que.* C. De *donat. ante nupt.* procedit de conditione, non de modo. Nam loquitur de promiſſione facta mulieri vt ſponſæ, & non quomodocunque, & decernit, quod ab ipſa peti non poſsit res promiſſa, quia non fuit ſponſa. Ex quo colligitur promiſſionem fuiſſe conditionalem, quia fuit facta mulieri vt ſponſæ, hoc eſt vt qualificatę per talem, qualitatem ſponſæ, & quia non erat ſponſa, non ſubſiſtebat promiſſio, niſi poſita qualitate iſta; vnde vt promiſſio ſubſiſteret, & haberet ſuum effectum, vt pote directa ad ſponſam vt talem, debuit prius poni qualitas ſponſæ. Quando autem prius debet impleri illud, quod per diſpoſitionem exprimitur, antequam actus habeat locum, & conſequi poſſit emolumentum, diſpoſitio eſt conditionalis, vt notant Molina *lib. 2. de primogen. cap. 12. num. 2.* Menoch. *Conſil. 131. num. 3.* Surd. *de alimen. tit. 9. quæſt. 16. num. 40.* & *Deciſ. 156. num. 5* Cened. *ſing. 20. num. 4.* Melchior Phœbus *Deciſ. Luſit. 11. num. 14. tom. 1.* Alciat. *reſp. 165. num. 15.* Paris. *Conſil. 19. num. 255. lib. 2.* Sarmien. *lib. 2. Select. Interpret. cap. 3. num. 1.* Barboſa *Dictione Vt. num. 5.* & deſumitur ex *l. Mæuia. ff.* De *man. teſt.* & *l. Quibus diebus. §. Termiliut. ff* De *condit. & demonſt.*

12 Ad 2. Ideo ſtipulationem ex turpi cauſa eſſe nullam ipſo iure; quia ipſa turpitudo venit in contractum, & proinde vitiat ſubſtantiam contractus. Cum enim turpis cauſa ſubminiſtret materiā contractui, & contineat finem proximũ ipſius, refundit turpitudinem in ipſum contractum, quia omnis actus qualificatur à materia, circa quam verſatur, & à fine. Non ſic autem contingit, quando modus eſt turpis, quia cum ſit extrinſecus actui, & contingenter ſe habeat, vt notat Butr. *in l. Quibus diebus. §. Termi-lius. ff.* De *condit. & demonſt.* non inficit ſubſtantiam contractus.

13 Ad 3. Turpes ſtipulationes eſſe irritas, quia non ſunt turpes, niſi turpitudo inſit ipſarum ſubſtantiæ. Et proinde cum omnis actus depēdeat à poteſtate; vt notat Menoch. *lib. 1, præſumpt. 30. nu. 11.* Socin. *reg. 30. ver. Tertio*. Et nemo poſſit id, quod honeſtè facere nō poteſt. *l. Nepos Proculo. ff.* De *verbor ſignif.* & notant Surd. *Conſil. 203. num. 44.* Gratian. *Diſcep. foren cap 891. nu. 31.* talis ſtipulatio corruit ex defectu poteſtatis in ſtipulante. Non autem quando modus eſt turpis, & contractus honeſtus, quia cum modus, & dictum eſt, ſit extrinſecus, iuxta Reg. *Vtile.* De *reg. iur in 6.* non vitiatur contractus per modum vitioſum, ſed reijcitur modus, & retinetur contractus.

14 Contra ea tamen, quæ ſuperius dicta ſunt, poteſt obijci, quod in iure poſſit actio ſeparari à retentione, ita vt retineri poſſit, quod datum eſt, quamuis peti non poſſit. vt per *l. Mercalem.* C. De *condit. ob turp. cau.* ergo non ſemper eſt verum, quod quando transfertur dominium, habeat locum etiam actio. Reſp. Ex natura rei ſemper habere locum actionem, quando contractus habet vim transferendi dominium, quia ſi transfert dominium, dat ius ad rem. quando autē adeſt ius ad rem, poteſt quiſq. ius ſuum proſequi petendo, quod ſibi debitum eſt. Aliquando tamen leges denegant actionem, & tunc ſeparatur actio à retentione: non ex natura ſua, ſed ex diſpoſitio iuris, quod non contingit in contractu, qui habet annexum modum à iure prohibitum.

Pro-

Promiſit quis concubinæ ſe eam heredem inſtituturam, quod poſtea non fecit, quæritur, an poſſit concubina ſibi retinere pro compenſatione res aliquas illius, quas apud ſe habet. Quæſt. 391.

S V M M A.

1 *Promiſſio ob turpem cauſam obligat naturaliter.*
2 *Concubina non poteſt vti compenſatione, ſi concubinarius eam non inſtituit heredem, vt promiſit.*
2 *Quid requiratur, vt occulta compenſatio ſit licita.*
3 *Quando ſufficiat probabile debitum.*
4 *Promiſſio contra bonos mores irrita eſt.*
5 *Promiſſio præbens cauſam peccandi, eſt nulla.*
6 *Promiſſio de aliquo herede inſtituendo non valet.*
6 *Promiſſio contra legē eſt nulla.*
7 *Actus irritatus à iure non parit obligationē in conſcientia.*
7 *Promiſſio facta concubinæ, quod hæres erit, eſt nulla.*
8 *Promiſſio inſtituendi heredem non eſt heredem inſtituere, nec facit debitam hereditatem.*
9 *Promiſſio non eſt ſola affirmatio faciendi aliquid, ſed etiam obligatio.*

1 VIdetur affirmatiuè reſpondendum, quia promiſſio ob turpē cauſam obligat naturaliter patrato malo opere, iuxta ea, quæ tradunt Couaruu. *Regula.* Peccatum *par.* 2. §. 2. *num.* 1. Caiet. 2. 2. *quæſt.* 32. *ar.* 7. §. *Aliter ergo.* Medina. C. De *reſt.* *q.* 28. Leſſius *lib.* 2. *De iuſt.* & *iure. cap.* 18. *dub.* 3. *num.* 18. Quia non eſt promiſſio gratuita, ſed oneroſa, cum fiat ſub onere alicuius rei præſtandæ: vnde eſt ſaltem contractus innominatus *Do, vt facias,* ſeu *do, vt des.* preſertim quia fere ſemper ſubit promiſſarius aliquod detrimentum pretio ęſtimabile. Cum igitur dicta promiſsio ſit facta ſub onere continuandi carnalem exhibitionem ſui corporis, ſi quidem eſt facta in hunc finem, obligabit promiſſorem, & promiſſaria poterit vti compenſatione.

2 Abſolutè tamen tenendum eſt. *Hanc occultam compenſationem non eſſe licitam.* Ratio eſt, quia licet aliquando ſit licita occulta compenſatio, vt communiter docent apud Sayr. *lib.* 9. *Clau. reg. cap.* 14. *num.* 3. & Petrum Nauar. *lib.* 3. *De reſt. cap.* 1. *num.* 385 oportet tamen, vt ſit licita, quod concurrant aliquæ cōditiones, de quibus præfati Doctores, quarum vna præcipua eſt, quod debitum ſit liquidum, & certum, aliàs ſi eſſet dubiū, & incertum, non poſſet fieri compenſatio. Ita communiter præſertim Palud. in 4. *diſt.* 14. *q.* 2. *ar.* 2. Adrian. *Quodlib.* 6. *ar.* 1. Sotus *lib.* 5. *de iuſt.* & *iure. qu.* 3. *ar.* 1. & *ar.* 3 *ad* 1. Medina C. *De reſt. q.* 3. Nauar. *in Manual. cap.* 17. *num.* 112. Valent. *tom.* 3. *diſp.* 3. *q.* 10. *punct.* 6. Corduba *in Sum. quæſt.* 111. & *lib.* 1. *q.* 35. Couaruu. *in Cap. Quamuis pactum par.* 1. §. 4. *num.* 9. *ver. Item non.* Petrus Nauar. *lib.* 3. *de reſt. cap.* 1. *num.* 188. Sayr. *lib.* 9. *Clau. reg. cap.* 14. *n.* 7. Leſſius *lib.* 2. De *iuſt.* & *iure cap.* 12. *dub.* 10. *num.* 58. Syluius 2. 2. *quæſt.* 62. *ar.* 8. *quæſito* 1. Malder. *tract.* 4. *cap.* 1. *dub.* 6. Valer. *in differ. vtriuſque fori. verbo.* Compenſatio. *different.* 1. Villalob *par.* 2. *Sum. tract.* 11. *difficul.* 23. Dicaſtil. *De iuſt.* & *iure lib.* 2. *tract.* 2. *diſp.* 9. *dub.* 6. *num.* 92. Hurtad. *De iuſt.* & *iure diſp.* 13. *difficul.* 6. Trullench. *lib.* 7. *in* Decal. *cap.* 15. *dub.* 11. *num.* 5. Petrus à S. Ioſeph *in Idea theol. moral. lib.* 4. *cap.* 11. *reſol.* 7. Machad. *De perfecto confeſſ. tom.* 1. *lib.* 2. *par.* 3. *tract.* 23. *docum.* 5. *n.* 4. Caſpenſ. *par.* 2. *Curſ. theol trac.* 18. *diſp.* 1. *ſect.* 13. *n.* 161.

3 Imo etiam ſecundum aliquos Recentiores licet ſufficiat opinio probabilis, quæ facit, quod debitum ſit probabile, loquendo de probalitate iuris, nō autē de probabilitate facti, abſolutè tamen requiritur, vt ſit licita cōpenſatio occulta, quod debitū ſit tale, quod poſſit iudex cogere debitorem ad ſoluendum, quia compenſatio fit in ſupplementum ſententiæ, iudicis. Et ideo, quod non poteſt iudex in iudicio tribuere, nec etiam quis poteſt ſibi occulta compenſatione vindicare; aliàs ſibi vſurparet id, circa quod iudex non poteſt ius dicere, & fur-

tum

tum committeret domino rationabiliter inuito.

4 Ex his concluditur, quod in prædicto caſu non poſſit habere locum occulta compenſatio, quia nimirum, ſi res ad forum deduceretur, non poſſet iudex iudicare in fauorem promiſſatiæ. Et primo quidem, quia dicta promiſſio eſt cõtra bonos mores, nam reſpicit continuationem concubinatus. Promiſſio autem, quę eſt contra bonos mores, non inducit obligationem, ſed ipſo facto irrita eſt. *l.* Si *ſtipulatio* 61. *ff.* De *verbor. obligat.* & *l.* Si *vnus.* §. *Pacta. ff.* De *pactis.* & *l* Pacta C. De *pactis*. ibi. *Pacta, quæ contra leges, conſtitutioneſque, vel contra bonos mores fiunt, nullam vim habere, indubitati iuris eſt.*

5 Secundo accedit, quod dicta promiſſio habet turpem cauſam, quia facta eſt intuitu continuationis in concubinatu, & proinde præbet etiam occaſionem peccandi. Promiſſio autem huiuſmodi eſt nulla, nec obligat promittentem *l. Generaliter. ff.* De *verbor. obligat.* & *l.* Si *flagitij. eodem tit.* ibi Si *flagitij faciendi, furtiuè cauſa concepta ſit ſtipulatio, ab initio non valet.*

6. Tertio quia ſpecialiter eſt prohibita à iure promiſſio in materia, de qua agitur, nempe de aliquo inſtituendo hærede; nec talis promiſſio, aut pactum valet, *l.* S*tipulatio hoc modo concepta. ff.* De *verbor. obligat.* & *l. fin.* C. De *pactis* & notant ſpecialiter Couaruu. *in Cap. Quamuis pactum.* De *pactis*. Cancer. *lib.* 3. *Variar. cap.* 7. vbi latè. Cum igitur promiſerit concubinæ eã hæredem inſtituere, eſt irrita promiſſio tanquam facta contra leges *l. Pacta* 6. C. De *pactis*. Vnde cum ex tot capitibus promiſſio irrita ſit, non poterit iudex cogere promiſſorem, ad præſtandum, quod promiſit, atque adeo nec fieri occulta compenſatio.

7 Sed dices. Ex tali promiſſione oriri obligationem naturalem, licet non oriatur ciuilis; & proinde poſſe habere locũ occultam compenſationem, quia obligatio naturalis facit debitum in conſciẽtia. Verum reijcitur hæc reſponſio, quia quando ius irritat aliquem actum, neq. in conſcientia parit obligationem naturalem, vt patet in matrimonio clandeſtino per Concilium Tridentinum. *Seſſ.* 25. *cap.* 1. *De reformat, matrim.* In matrimonio facto cum impedimento dirimente; in electione, quando per ius irritatur, vt in Cap. *Quia propter.* De *elect:* & *in* *Cap.* 6. *de reformatione Regul. ſeſſ.* 25. *Concilij Tridentini.* Dicta autem promiſſio eſt irrita ſecundum ius, vt conſtat ex *l. Pacta.* C. De *pactis.* & *l.* Si *vnus.* §. Pacta. *ff.* De *pactis.* & *l.* Si *flagitij. ff.* De *verb. obligat.* & aliis citatis textib.

8 Accedit etiam, Quod ſi promiſſio ſubſiſteret, neque adhuc haberet locum compenſatio occulta; nam non eam inſtituiſset hęredẽ, vt ſit ipſi hæreditas debita; ſed ſolum promiſiſſet hæredem inſtituere, & ideo ex vi talis promiſſionis nil aliud eſſet debitum, quàm inſtitutio huiuſmodi; promiſſio enim inſtituendi aliquem hæredem, non eſt hæredem inſtituere, quia promiſſio facti non eſt ipsũ factum, vt notant Glòſ. *in l.* Bon*æ fidei*, *verbo.* Condicturum. *ff.* De *eo, quòd cer. loco.* Iaſ. *ibid. num.* 3. Couaruu. *lib.* 3. *Variar. cap.* 4. *num.* 7. Craueta *Conſil.* 76. *nu.* 5. Cephal. *Conſil.* 66. *nu.* 10. *lib.* 1. Burſat. *Conſil.* 10. *num.* 3 *lib.* 1. Boer. *Deciſ* 58. *num.* 3. Ioſeph Ludouic. *concluſ.* 72. *n.* 1.

9 Denique neque adeſt vera promiſſio, in cuius virtute, dato quod eſſet valida, licita ſit aliqua occulta compenſatio. Nam, vt notat etiam Leſſius *lib.* 2. *de iuſt. & iure. cap.* 18. *dub.* 1. *n.* 5. promiſsio nontantum eſt affirmatio dandi, vel faciendi aliquid, quia talis affirmatio indicat ſolum propoſitum mente conceptum, ſed dicit obligtionem, qua quis alteri ſe obligat, et confert ius in ipſum ad rem promiſſam; vnde eſt actio quædam obligatiua promiſſoris, et tranſlatiua iuris ad promiſſarium. Ita caſu autem prçſenti, non adeſt talis actio tranſlatiua iuris, ſed ſolum affirmatio faciendi, et notificatio propoſiti.

An

An fingens paupertatem pro eleemoſina obtinenda, teneatur ad reſtitutionem. Quaſt. 392.

SVMMA

1 *Fingens paupertatem, vt obtineat eleemoſinã, an teneatur ad reſtitutionem.*
1 *In errante non eſt conſenſus.*
2 *Ficti pauperes oſtiatim mendicantes non tenentur ad reſtitutionem.*
3 *Facta per errorem non retractantur, ſi ſubſit cauſa pietatis.*
3 *Anima rebus omnibus anteponenda.*
3 *Actus cenſetur factus ex vtiliori capite.*
3 *Ad acquirendum non requiritur expreſſus conſenſus.*
3 *Subminiſtrans alimenta ex cauſa pietatis, nõ repetit.*
4 *Donatio ſubſiſtit licet non ſubſiſtat cauſa impulſiua.*
4 *Diſpenſatio valet, etiam ſi non ſubſiſtat cauſa impulſiua.*
4 *Falſum circa qualitates extrinſecas diſpenſationis, aut taciturnitas illam non vitiat.*
5 *Cauſa finalis eleemoſinæ.*
5 *Paupertas cauſa impulſiua eleemoſinæ,*
5 *Cauſa finalis, & impulſiua vnde dignoſcantur.*

1 FEre communiter aſſerunt, quod qui fingit paupertatem, vt obtineat eleemoſinam, teneatur ad reſtitutionem. Ita ſpecialiter Alenſ. *par.4.q.86. mem.3.ar.2. & 3.* Scot. *in 4.diſt.15.qu.2.* Gabr. *quaſt.9.concluſ.7.* Adrian. *qu.15. de reſtit.* Nauar. *in Manual.cap.17.nu.107.* Sum. Piſanel. *verbo.* Reſtitutio 1. §. *penult.* Palat. *lib.6. De contract. c.7. poſt 2. concluſ. §. Porro ſi diues.* Faber. *De pœnit. in 4.diſt.15.qu.2.diſp.50.cap.4.* Alphon. Enecus de valdes. *De eleemoſina par.3.pagin.84.§. Secundo quæritur* Fundamentũ huius ſententiæ eſt, quia dans eleemoſinam, putat ſe illam erogare pauperi: & ideo interuenit error. Vnde cum in errãte non ſit conſenſus *l. Si per errorem. ff.* De *iuriſd.* & *l. Conſenſiſſe 2. ff.* De iudic. illa eleemosina eſt inuoluntaria ſtante errore elargientis, & proinde fictus pauper eam retinebit inuito domino.

2 Alij tamen volunt, hoc ſolum locũ habere in magnis eleemosinis, non autẽ in paruis, quales ſunt illæ, quæ dantur oſtiatim mendicantibus, quia in his non præſumitur illa tacita conditio, quod nõ daretur, niſi præſuppoſita paupertate. Ita Sotus *lib.9. De iuſt, & iure qu.7. ar.3. ad 4.* Azor. *par.3. lib.4. cap.21. qu.8.* Io. à Cruce *par.1.* Direct. *Conſcient. præcep.5. ar.4. dub.2. concluſ.4.* Granad. *2.2. controuer. 3. tract.11. diſp.7. n.4.*

3 Verum *quod vniuerſaliter pauper fictus non teneatur reſtituere acceptas eleemoſinas probabile ſit*, ex quadam doctrina, quam tradunt iuriſcõſulti, nimirum, quod facta per errorem non retractantur, quando ſubeſt cauſa pietatis: quia cum faueãt animæ, quæ rebus omnibus anteponenda eſt *l. Sancimus in fine.* C. De *ſacroſanct. Eccleſ.* non cenſentur inuoluntaria, cum quilibet cenſeatur facere actum ex vtiliori capite, ex quo fieri poteſt *l.3. ff. De teſtam. milit.* & *l. Cum pater. ff.* De *iure dot.* & proinde, quando eſt vtilis cenſetur volita illa vtilitas. Vnde qui errat, vbi interuenit pietas, sibi acquirit, vt autem quis ſibi acquirat, non requiritur expreſſus conſenſus *l. Is, cui bonis. 6. ff.* De *verbor. obligat.* Ex quibus infer Lara *de alimen. §. Si mater. nu. 7.* Quod si quis ſubminiſtraret alimenta ex cauſa pietatis ei, qui putabatur non habere, vnde aleretur, non poſſet illa repetere, etiam si poſtea reperiatur habere. Vnde cum etiam eleemosinæ erogatæ ficto pauperi ſubsit cauſa pietatis, non poterit retractari, & proinde non aderit obligatio reſtituendi.

4 Accedit etiam, quod donatio ſubſiſtit, etiam ſi nõ ſubsiſtat cauſa impulsiua §. *Longè magis.* Inſtit. *De legat.* & *l. Si cum filiusfamilias. in fine. ff* De *donat.* Et generaliter in diſpenſationibus, conceſsionibus, gratijs falsitas cauſę impulſiuæ non vitiat conceſsionem, dummodo ſubsiſtat cauſa finalis, vt tenent Lappus *allegat.89.* Decius *in Cap. Poſtulaſti. in noua edit. num.11. non. 4.* & *in Cap. Super litteris.* verbo *Litteras. num.3.* De *reſcrip.* Beroius *ibid. in 2. lect. num. 55. & 73* Paris. *Conſil.4. num.35. vol.4.* Menoch. De

ar-

arbitr. lib. 2. cent. 3. Caſu 201. *num.* 30. Sylueſter. *verbo*. Reſcriptum. *quæſt.* 6. Sà *verbo*. Gratia. *num.* 10. Molina *De iuſt. & iure tract. 2. diſp.* 173. *ver. Vt item legitima tio.* Imo, quando tacetur aliquid circa qualitates extrinſecas diſpenſationis, aut falſum narratur, non vitiatur diſpenſatio, etiam ſi ſuperior veritate cognita nō eſſet conceſſurus, quod concedit, docent Sanchez *lib. 8. de matrim. diſp.* 21. *num.* 17 & *lib. 4. Sum. cap* 47. Suarez *tom. 2. de relig. lib. 6. de voto. cap. vlt. num.* 11. *& ſequē.* Salas *diſp. 20. de legib. ſect.* 15. *num.* 115. *& ſequen.* Bonac. *diſp.* 1. *De legib. qu. 2. punc. 4. num.* 3. Mandoſ. *reg.* 32. *Cancellar. qu. 9. num.* 10. Gutierez *lib. 2. Quæſt. canon. c.* 15. *n.* 29. Quia nimirum hæc omnia pertinent ad cauſam impulſiuam, & ſubſiſtente cauſa finali ſubſiſtit etiam voluntas in concedente; quia ab ipſa mouetur ad concedendum.

5 Stante autem hac doctrina idem dicendum eſt in cauſa præſenti. Nam duæ cauſæ concurrunt ad erogationem eleemoſinæ; nempe ſubleuatio indigentis, & opus pietatis, ſeu exercere pietatē propter Deum. Prima eſt cauſa impulſiua, ſecunda verò cauſa finalis. Quando enim concurrunt duæ cauſæ, quarum vna eſt finis operis; altera verò finis operantis, quæ eſt finis operantis eſt principalior, & abſolutè mouens, ſiquidem altera aſſumitur tanquam mediū, & proinde ſupponit determinationem, ſeu intētionem in aſſumente, & tantum impellit ad exequendam determinationem. Subleuatio autem pauperis eſt finis operis, ſeu eleemoſinæ; & exercere pietatem eſt finis erogantis eleemoſinam, & ideo illa eſt cauſa impulſiua; quæ licet non ſubſiſtat, quia paupertas eſt ficta; & ideo non interuenit ſubleuatio pauperis, ſubſiſtet eleemoſina, quia ſubſiſtit cauſa finalis. Quare quod ſi ficta paupertas ſit cauſa impulſiua, non adſit obligatio reſtituendi, tenent Sotus *lib.* 9. *De iuſt. & iure q. 7. ar.* 3. *ad* 4. Medina C. De *reſtit. q.* 23. Azor. *par. 3. lib. 4. c. 21. q.* 8.

An teneat collatio facta ab Ordinario beneficij vacati per obitum in vltima nocte menſis reſeruati ſpirantis, ſi aliqua horologia pulſauerint ſignum mediæ noctis, & alia non. Quæſt. 393.

S V M M A.

1 *Reſeruatio non excluditur niſi ſuperueniente certo tempore, pro quo non ſit facta reſeruatio.*
1 *Dubitans in die ieiunij, an media nox ſit elapſa, non poteſt cœnare.*
2 *Beneficium vacatum in vltima nocte menſis reſeruati, poſt quam aliqua horologia pulſauerunt mediam noctem, & alia non, an poſſit conferri ab Ordinario.*
3 *Singula horologia faciunt probabile tempus indicatum.*
3 *Poſſumus ſequi quodcunque horologium.*
4 *Beneficium vacatum in vltima nocte menſis reſeruati pulſata media nocte per aliqua horologia, & non per alia poteſt conferri tum ab Ordinario tum à Papa.*
5 *Si ab vtroque conferatur, quæ prouiſio ſubſtinenda.*
5 *Reſeruatio beneficij non poteſt opponi, niſi concludenter probetur.*
6 *Dies vltimus pulſata media nocte per aliqua horologia non eſt probabiliter in poſſeſſione reſeruationis.*
6 *Melior eſt conditio poſſidentis, quando valeat.*
7 *Dubius, an ſit elapſa media nox in die ieiunij, quando non poſſit comedere.*
8 *Qui prætendit prouiſionem Apoſtolicam, debet probare vacationem in menſe reſeruato.*
8 *Ratione poſſeſſionis præſumitur dominium.*
8 *Prouiſus ab Ordinario, etiam ſi ſit actor, debet manutenerii; ſi aduerſarius non probet concludenter.*
9 *Prouiſus ab Ordinario quando debeat concludenter probare, vt excludat prouiſum à Papa,*

1 DIctam collationem beneficij nō poſſe ſubſtineri, videtur reſoluēdum, quia dies vltimus menſis reſeruati eſt in poſſeſsione reſeruationis, à qua nō poteſt deturbari, niſi per certum ſuperue-

uenientiam ſubſequentis diei, quia cum poſſeſsio ſit certa, non poteſt tolli, niſi per certam ſuperuenientiam temporis non reſeruati. Modo autem, dum ſolum aliqua horologia indicant mediam noctem,& alia non indicant, non adeſt certa ſuperuenientia ſubſequentis diei, ſed dubia. Deinde cum illa horologia, quæ pulſauerunt, ſolum faciant probabile, quod media nox ſit impleta,& alia, quæ non pulſauerunt, faciāt probabile, quod non ſit completa,remanet dubium,an ſit completus menſis reſeruatus: vnde cum vigore illius menſis reſeruatio ſit in poſſeſsione,iudicandum eſt pro ipſa, cū in dubijs melior ſit conditio poſsidentis. Proprerea, ſi hodie ſit dies ieiunij, & dubitem,an ſit media nox,non poſſum cœnare,vt docent Sanchez *lib.2.de matrim. diſp.41. num.40.* ver. *Contrarium tamen.* Facundez *præcep.4. Eccleſ.lib.1. cap.10.n.3* Laiman. *lib.1. theol.mor.tract.1. cap.4.n.36.* Trullench. *lib.3. in Decal.cap 2.dub.4 num.8.* Breſſer. *lib.4. de conſcient.cap.11. num.103.*

2 Attamen *hoc non obſtante, dictam prouiſionem factam ab Ordinario ſubſtinēdam puto.* Ratio autem eſt, quia cum non poſsimus præcisè ſcire punctum mediæ noctis, nec etiam iudicare poſſumus, quodnam ex pluribus horologijs illud indicet; imo eſt moraliter impoſsibile,quod aliquod ex ipſis cum ipſo pręcisè concordet. Vnde, quando iudicantur regulatè procedere, ſingula faciunt probabile,quod ſit media nox,dum ipsā indicant. Imo etiam ſi plura concordent,non faciūt magis probabile, quàm facit vnum,quia fieri poteſt,vt hoc vnū ſit magis regulatum,vt dixi in *Praxi Ieiunij. Deciſ.444.num.4.* Et ideo poſſe nos ſequi horologium,quod libuerit,tradunt Sanchez *lib 2.de matrimon. diſp.41. num.40.* ver. *Quod ſi diuerſa.* Facundez *præcep.4. Eccleſ.lib.1.cap.10. num.3.* Io. Sanchez *in ſelect.de ſacram.diſp.42. num.18.* Villalob. *tom.1.Sum.tract.1.difficul.21. n.7.* Bonac. *diſp.1.de ſacram.in genere. q.2. punc.2.§. incidenti. num.9.* Breſlerus *lib.4.de conſcient. cap.11. nu.106.* Caramuel *in Reg.S.Benedic.diſp.101. num.1328.* & alij,quos citaui in dicta *deciſ.num.2.*

3 Hoc ergo ſtante cum beneficium vacauerit per obitum ſequutum inter pulſus diuerſorum horologiorum indicantium mediam noctem, ſicut ex illis horologijs aliqua probabile faciūt,quod ſit tranſacta media nox,& alia,quod nō ſit tranſacta; ita etiam reſultat hinc inde probabilitas pro reſeruatione; nam in virtute aliquorum probabile fit, quod expirauerit; in virtute verò aliorum probabile ſit, quod non expirauerit. Cum ergo ex dictis poſsimus ſequi quodlibet horologium in ijs, quę regulanda ſunt ſecundum terminum mediæ noctis, ſequitur, quod collatio dicti beneficij tàm ſpectet ad Ordinarium, quàm ad ſummum Pontificem, quia poteſt Ordinarius ſequi primum horologium, & conferre beneficium, tanquam non amplius reſeruatum, & Summus Pont fex poteſt ſequi vltimum horologium, & conferre beneficium tanquam reſeruatum; ita vt ius conferendi non magis ſe teneat ex parte vnius,quàm ex parte alterius.

4 Hinc ergo fit, quod illa prouiſio ſit ſubſtinenda, quæ eſt prior tempore, atq. adeo prouiſio ordinarij,quia quādo plures conferre poſſunt idem beneficium, ſubſiſtit prouiſio, quæ eſt prior tempore Cap. *Dudum.* §. *Nos igitur.* §. & Cap. *Si à Sede.* De *præben.in 6.* & Cap. *Si plures.* §. *Porro* De *offic deleg.in 6* & Doctores in hos tex.& notant Staphil. *De litter. grat. in Prælud.num.8.* Gomez *de expectat.nu.16.* Boer. *qu.24.num.4.& qu.287.num.1.* Abbas *in Cap Quia diuerſitatem. num.5.* De *conceſ. præben.* Bonifac. Vitalin. *in Clem.1.num.38.* ver. *Vnde ſi papa.* Vt *lite pen.* Rebuf. *in Concor.in Rubr.de mand. Apoſt.§.Declarantes.in gloſ.* ver. *Iure præuen.* Gonzalez *ad reg.8. cancel. §. 3 proem.n.1.& ſequen.* Rota *Deciſ.1.num.2.* De *præben.in nouiſ.& Deciſ.17.num.2.* ver. *Præterea Papa.* De *præben.in nouiſ.& Deciſ.272 num.4.lib.2.par.3.diuer.*

5 Præſertim, quia cum prouiſus ab ordinario eodem fundamento poſſit oſtendere reſeruationem expiraſſe,quo cōtra ipſum probatur,non expiraſſe, non habet contra ſe ſufficiens fundamētum,

vt poſſit excludi à poſſeſſione, & proinde non poteſt contra ipſam opponi reſeruatio; quia quando opponitur, concludenter probanda eſt. vt tradunt Bellam. *Deciſ.* 612. Lotter. *De re b. neſ. l. b.* 2. *q.* 32. *num.* 57. Caualcan. *Deciſ.* 266. *num.* 6. Puteus *Deciſ.* 265. *num.* 3. Ludouiſ. *Deciſ.* 46. & *Deciſ.* 53. *num.* 5. Rota *Deciſ.* 53. *par.* 2. *Diuer.* et *Deciſ.* 143. *num.* 1. *par.* 7. *Recent.* et in *Pamp lonenſ. Beneſ. de Allo.* 8. *Martij.* 1577. *coram Lauretano.* & *in Ginn. Canonicat. & præben.* 4. & 11. *Maij* 1587. *coram Oriolen.*

6 Neque obſtant, quæ *num.* 1. in oppoſitum allata ſunt, nam reſp. quod dies vltimus menſis reſeruati pulſato ſigno mediæ noctis per vnum horologium nõ eſt amplius probabiliter in poſſeſsione reſeruationis, quia probabiliter aduenit dies ſubſequens, qui facit, quod poſſeſsio reſeruationis non ſit amplius certa, ſed ſolum probabilis in ordine ad alia horologia. Et proinde non requiritur certa ſuperuenientia ſubſequẽtis diei, vt deturbetur à poſſeſsione, ſed ſufficit probabilis, quia ſicuti certa poſſeſsio requirit certũ ius, vt deturbetur, ita etiam probabilis per ſolum probabile ius poteſt deturbari, præſertim quando agitur ſolum de deturbatione probabili, non autem de certa. Hinc non ſumus in dubijs, ſed in probabilibus hinc inde. et proinde ex vtraque parte militat eadem ratio. Quandò autem dicitur, quod in dubijs eſt melior conditio poſsidentis. Valet, ſi inter alias conditiones hæc quoq; concurrat, quod poſſeſsio ſit certa, nam ſi dubium ſit, an quis poſsideat, ſeu ſit probabile, quod non poſsideat, non habetur pro poſſeſſore.

7 Ad id autem, quod affertur de ieiunio reſp. Quicquid ſit de illa ſententia, de qua dixi in *Praxi Ieiunij. Deciſ.* 164. *nu.* 2. reſp. Quod illi Doctores intelliguut de dubio negatiuo, quando non adeſt motiuum inclinans neque in vnam, neque in aliam partem, non autem de dubio poſitiuo; nam etiam ipſi docent, quod poſſum ſequi primum horologium, et comedere carnes, quia per ipſum fit probabile, quod ſit completus dies ieiunij, quamuis remaneat dubium poſitiuum, an ſit completus, ſi quidem eſt etiam probabile, quod non ſit completus, cum alia horologia non pulſauerint.

8 Ex quibus ſequitur. Quod ſi prius vnus in tali caſu ſit prouiſus ab Ordinario. et alius ab Apoſtolica ſede, debet cõtra hũc manuteneri prouiſus ab Ordinario. Quia actor, dum ſe fundat in prouiſione Apoſtolica, tenetur probare vacationem de tali menſe reſeruato, vt tradunt Feret. *Conſil.* 2. *num.* 13. *vol.* 1. Puteus *Deciſ.* 33. *lib.* 1. et *Deciſ.* 206. & 265. *lib.* 3. Stante præſertim poſſeſsione, ratione cuius præſumitur dominus Clemen. 1. S. *Quod ſi vnum.* Vt *lite pendente.* vbi Gloſ. *verbo. Poſſidebat.* et cæteri Doctores. et ſit, Quod etiam ſi prouiſus ab Ordinario ſit actor, ſi aduerſarius non probet concludenter ſuam intentionem, debeat adhuc manuteneri, vt tradunt Flamin: *De reſignat. lib.* 10. *q.* 1. *num.* 24. & 25. Gonzalez *ad reg.* 8. *Cancel. gloſ.* 11. *num.* 31. Rota *Deciſ.* 1. et *Deciſ.* 11. *per totas. De ſent. & re iud.*

9 Nec obſtat, quod prouiſus ad Ordinario ad excludendum prouiſum ab Apoſtolica Sede debeat concludenter probare intentionem ſuam Cap. *In præſentia. De probat.* Gõzalez *ad Reg.* 8. *Cancel. gloſ.* 43. *num.* 98. Et quod beneficium ſit liberæ collationis, vt tradunt Gonzalez *ad reg.* 8. *Cancell. gloſ.* 15. *num.* 8 cum Rota *in Cordubenſi dimid. portionis* 13. *Febr.* 1602. *coram Sacrato.* Quia hoc ſolum habet locum, quando prouiſio Apoſtolicæ ſedis fuit prior tempore prouiſione facta ab Ordinario. et quando agitur de beneficio, de quo dubitatur, an ſit reſeruatum; non autem quando agitur de ſpiratione menſis reſeruati, vt in caſu præſentinam cum certum ſit, quod Ordinarius poteſt in ſuis menſibus conferre tale beneficium; et duratio reſeruationis non ſit certa, imo probabiliter expirauerit, tenetur, qui ſecundo loco prouiſus eſt concludenter probare ſuam intentionẽ, quod in præſenti caſu impoſsibile eſt. Et quia in hac materia emanauerunt nonnullæ Deciſiones Rotæ, eas hic ſubijciam.

Re:

Reuerendiſs. D.

GHISILERII PRODECANI.

Abuleñ. Portionis.

Luna 17. Decembris 1646.

DECISIO I.

De concurſu prouiſi Apoſtolici cum prouiſo ab Ordinario ſtante dubia reſeruatione: vbi de horologijs.

SVMMA

10 *Fundamentum intentionis eſt concludenter probandum.*
10 *Ceſſat exequutio litterarum Apoſtolicarum collationis beneficij non iuſtificata reſeruatione.*
11 *Quando deferendum teſtibus.*
12 *Teſtes iuuantur adminiculis.*
13 *In dubio cui horologio ſtandum.*
13 *In pari probatione circa reſeruationem, vel non reſeruationem prouiſio Ordinarij præferenda.*
13 *Prouiſio ab Ordinario ſufficit vincere ex non iure actoris.*
14 *Prouiſus Apoſtolicus quando præferendus.*
14 *Reſeruatio debet eſſe clara, vt annullet collationem Ordinarij.*

PER obitum Franciſci d'Aguirrè vltima die Menſis Auguſti 1642 vacauit Portio in Cathedrali Abulenſi, de qua, vti vacanti in menſe reſeruato prouiſus fuit per fel. record. Vrbanum VIII. Franciſcus de Auila cum clauſula, dummodo eius diſpoſitio ad nos hac vice pertineat, & cum alia clauſula amoto exinde quolibet detentore, de quibus in litteris ſuæ prouiſionis directis Officiali Epiſcopi Abulen. ſub datũ Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ 16. Kalend. Ianuarij. De eadem portione ſub prætextu, quod Franciſcus vltimus poſſeſſor deceſſerit poſt mediam noctẽ ſupradicti vltimi diei menſis Auguſti, & ſic prima die menſis Septembris qui nõ eſt reſeruatus, fuit ordinaria auctoritate prouiſus Alphonſus de Caldas, vti electus ad eãdem portionem à Decano, & Capitulo dictæ Eccleſiæ vigore concordiæ Turni initæ, & factæ cũ D. Epiſcopo Abulen. cuius vigore fuit immiſſus in poſſeſſionẽ. Introducto iudicio per Frãciſcũ prouiſum à Sede Apoſtolica coram Ordinario Abulen. ſuper exequutione dictarum litteratum, reportauit contrariam ſententiam, in qua fuit declaratum, illum non probaſse narrata in litteris Apoſtolicis, & memoratum Alphonſum probaſse ſuas exceptiones, & conſequenter non habere locum petita per prædictum Franciſcum quoad exequutionem Bullatum per ipſum præſentatarũ, & Alphonſum manutenendum in poſſeſsione prædictæ Portionis, & nequaquam poſse moleſtari, aut perturbari in poſseſſione. Deuoluta cauſa appellationis ad Rotam datum fuit dubium, an litteræ Franciſci eſsent exequendæ, quod negatiuè fuit reſolutum.

10 Quia Franciſcus prouiſus Apoſtolicus actor contra Alphonſum prouiſum à Capitulo poſſeſſorem non probaũit cõcludenter, Franciſcum d'Aguitrè obijſse ante mediam noctem vltimi diei menſis Auguſti fundamentum ſuæ intentionis, cum non agatur ſimpliciter de probando obitu Franciſci, ſed de eo probando in menſe Auguſti, quia gratia Apoſtolica eſt fundata principaliter ſuper obitu in Menſe Auguſti, & ſic cum obitus in Mẽſe Auguſti ſit fundamentum intentionis Prouiſi Apoſtolici, regulare eſt, quod requiratur plena probatio *l. cum autem de negoc. geſt. leg. Matrem C. de probat. Bart & alij in l non ſolum §. ſed & probari n. 2. ff. de nou. oper. nunciat.* Ideo cum non fuerit iuſtificata, reſeruatio in litteris ſuæ prouiſionis narrata circa dictum obitum in menſe Auguſti, ceſsat exequutio litterarum Apoſtolicarum. *Rota coram Cæſar de Graff. dec. 12. de probat. deciſ. 221. nu. 3. verſ. placebat et am par. 2. diuerſ. & deciſ. 129. n. 5. par. 3. recent.*

11 Ad probandam qualitatem obitus Fran-

Franciſci prædeceſsoris ante med am noctem vltimi diei Auguſti Prouiſus Apoſtolicus curauit, examinari in partibus plures teſtes, quorum primus depoſuit, quod d. Portionarius prædeceſſor obijt, antequam audirentur horæ Horologiorum S. Thereſię Fratrum Carmelitarum Diſcalceatorum, & S. Ioannis ciuitatis Abulen. quorum primo contigua eſt domus, in qua ille deceſsit; alterum vero eſt proprię Parochiæ valdè propinquũ, & cum quibus ſe gubernabat eadem domus, vt deponunt ſuper hoc teſtes examinati. Secundus dixit, quod poſtquam expirauit d. Franciſcus de Aguirrè Portionarius, audiuit horam duodecimam noctis S. Matris Thereſiæ, ſextus verò præciſè depoſuit, ſe fuiſse præſentem, quando memoratus Franciſcus obijt vltima die Menſis Auguſti eoque mortuo audiuiſse pulſare horam duodecimã ad Horologia Sanctæ Thereſiæ dictæ Ciuitatis Abulen. dictis autem teſtibus multum eſt deferendum, cum primus, & ſextus ſint Fratres Frãciſci, & habitauerint in eadem domo, ac fuerint præſentes illius morti, & ſecundus eſset illius familiaris degens in eadem domo, quibus accedunt alij plures deponentes de auditu.

12 Pro Alphonſo prouiſo ab Ordinario fuerunt examinati alij teſtes, qui licet non contrarientur ſupradictis teſtibus Franciſci, cum nemo ex illis neget de horologio S. Thereſiæ, affirmant tamẽ 1, 2, 3 & 4, quod ab horologio Eccleſię Cathedradralis hora 12. noctis pulſata fuerat ante obitũ Portionarij quod nec negãt teſtes prouiſi Apoſtolici; quin immo tertius teſtis Fabianus de Eſcobar ratificat depoſita in primo examine, in quo dixerat, quod defunctus obierat poſt pulſatam 12. horam in Cathedrali; quodq. mors ſequuta fuerit poſt pulſatam 12. horã in Cathedrali, adminiculatur Partita libri pitantiarum Eccleſiæ Abulen. nec non partita capparum nuncupat. d. Eccleſiæ Abulen. in quibus habetur, Portionarium Franciſcum de Aguirrè obijſſe die prima Septembris hora 12. cum dimidia, & etiam depoſitio trium teſtiũ examinatorum, quorum vigore prouiſor Abulen. declarauit prouiſionem portionis integræ, quæ vacauit per obitum Franciſci de Aguirrè eo, quod conſtat, obijſſe in Menſe Septembris, ſpectare, & pertinere ad D. Epiſcopum, aut Capitulum Cathedralis, ad illum nempè, qui ex eis extiterit in Turno iuxta concordiam factam, & per ſuam Sãctitatem approbatam.

13 Et licet in dubio, cui ex dictis horologijs, an S. Thereſiæ, ſeu potius Cathedralis ſtandum ſit, videatur, vt tradunt *Garz. de benef. par. 5. cap. 1. num. 525. Barb. de poteſt. Epiſcop. alleg. 57. num. 185. Caſtro pallao oper. moral. tom. 2. tract. 13. punct. 22 §. 2. ſub nu. 1.* Standum horologio S. Thereſiæ, cum ſit vicinius domo; in qua defunctus obijt, & per illud communiter regeretur domus, & demum ceſſet fraus, & notabilis deordinatio illius, præſertim quia per plures teſtes examinatos pro prouiſo Apoſtolico conſtat, horologium præfatum habere diligentes moderatores, & ſemper à motu ſolis regularis; nihilominus DD. aduertentes, tertiũ, quartum, & quintum teſtem ex examinatis pro Alphonſo depoſuiſſe, quod antehorologium Cathedralis pulſauerant 12. horam horologium S. Thomæ Fratrũ Carmelitarum Calceatorum, & Societatis Ieſu, & quintum addere, horologiũ S. Franciſciſci ad excludendam reſeruationem, quę eſt odioſa, & ſaluandam collationẽ Ordinarij, quæ eſt fauorabilis iuxta Theoricam *Bobadil in Polit. lib. 5. c. 3. n. 28.* quam ſequuntur Garzias. Barboſa, & Caſtropalaus vbi ſupra recedendo a ſupradicta regula cenſuerunt, etiamſi adeſſent pares probationes, præferendam eſſe probationem prouiſi ab Ordinario Rei, & poſſeſſoris ad effectum, vt debeat abſolui, cum ipſi ſufficiat vincere ex non iure actoris *Felin. in cap. olim de reſcript. num. 9. & 10. Caput. dec. 174. num 6. par 2. & dec. 133. part. 3.* & in dubio facienda ſit interpretatio pro non reſeruatione, per quam interpretationem non fit graue præiudicium Papæ, qui concurrit cum omnibus Ordinarijs; fieret tamen graue præiudi-

cium

dicium Ordinatio priuando eum ſua prouiſione,

14 Nec ſupradictis obſtat *text. in cap. ſi a Sede Apoſtolica de præben. in 6.* de cuius materia latè *Gonzal. ſuper regula 8. §. 3. procemiali. num.* 50. vbi quod in concurſu prouiſi à Sede Apoſtolica, & ab Ordinario præfertur Prouiſus Apoſtolicus; quia ſolùm procedit, vbi conſtat de prouiſione, aut etiam reſeruatione Papę concurrente cum prouiſione Ordinarij, & dubitatur ſolùm de anterioritate, in propoſito autem ex ſupradictis dubitatur de reſeruatione, vt benè diſtinguendo declarat *Garzias, vbi ſupra d. cap. 1. num.* 533. In omnem caſum, cum negari non poſſit, quin reſeruatio ſaltem ſit turbida, non eſt locus exequutioni prouiſionis Apoſtolicæ, tanquam de reſeruato. Illa enim debet eſſe clara, & indubitata, cum tendat ad annullandam anteriorem collationem Ordinarij, & excludendum reum, & poſſeſſorem. *Rota coram Caput. deciſ. 10 par. 2. coram S. mem. Greg. XV. deciſ. 58. num. 1. coram bon. mem. Burat. deciſ. 761. num. 3. in recent. deciſ. 407. par. 1. deciſ. 245. num. 1. par. 6. in Bononien. Beneficiorum 29. Maij 1645. coram R.P.D. meo Bichio, & in alijs per Gonzal. vbi ſupra gloſ. 11. n. 100. & ſeqq.*

Et per conſequens ob non iuſtificationem litterarum Apoſtolicarum DD. vtraque parte informante dixerunt, litteras Franciſci Prouiſi à Sede Apoſtolica, tamquam de reſeruato, non eſſe exequendas.

R. P. D.

CELSI

Abulen. Portionis.

Ven. 14. Iunij 1647.

DECISIO II.

De eadem materia, vbi de diuiſione menſium reſeruatorum à non reſeruatis, de teſtibus, & horologijs.

SVMMA.

15 *Concludenter probandus obitus intra menſem reſeruatum, vt ſubſtineatur prouiſio Apoſtolica.*

16 *Tempus, quando eſt de ſubſtantia, debet concludenter probari.*

17 *Dies quando incipiat. et finiatur.*

18 *Quæ fiunt poſt mediam noctem, ſequenti die cenſentur facta.*

19 *Diuiſio menſium Apoſtolicorum, et Ordinarij, quomodo attendatur.*

20 *Modus, et forma examinandi teſtes.*

20 *Quando plura horologia concurrunt, ſtatur pluribus.*

21 *Interrogatus de duobus, ſi vnum tantum affirmet, alterum cenſetur negare,*

22 *Libri Pictantiarum Cathedralis in quibus probent, accedentibus præſertim adminiculis.*

23 *Stante probatione turbida reus, et poſſeſſor eſt abſoluendus.*

---

15 A Sententia lata ad fauorem Alphonſi, in qua dictum fuit, litteras Franciſci eſſe ſubreptirias, nullas, nec exequendas, & propterea benè iudicatum per officialem Abulen. malèque appellatum pro parte Franciſci; Iterum appellauit Franciſcus, cauſaque appellationis mihi commiſsa, dedi dubium, an d. ſententia eſset cõfirmãda, vel infirmãda; & Domini pro confirmatione reſpõderunt; Moti ex eo, quia Franciſcus non probauit præcisè obitum Portionarii defuncti in menſe Auguſti, vt tenebatur, & quidem concludenter, pro iuſtificatione

tione reſeruationis in concurſu cum Alphonſo prouiſo ab Ordinario *Rota deciſ. 46. num. 3. verſ. ſi vero agatur. & nu. ſeq. par. 2. diuerſ. & in Placẽtina Canonicatus, præbenda 1. Martij 1599. coram Orano, penes Marcheſ. de commiſſ. tom. 1. fol. 339. Greg. deciſ. 37. num. 1. Caualer. deciſ. 33. nu. 2. cum alijs per Gonzal. ad reg. 8. gloſſ. 11. n. 100. verſ. tamen quando, quem ſequitur modern. Roman. de re beneſ. lib. 3. q. 10. nu. 37. & 40.*

16 Nã quando tẽpus eſt de ſubſtantia, tũc probatio debet eſſe concludens etiã reſpectu temporis *iux. tex. in c. In præſentia de prob. Iaſ. conſ. 46. num. 27. lib. 3. Purpur. conſ. 498. num. 2. Caputaq. deciſ. 278 n. 5. part. 3. Cæſ. de Graſſ. deciſ. 21. num. 6. de prob. Mantic. deciſ. 95. num. 3. & deciſ. 149. num. 5. part. 4. diuerſ. & in Albanen. confinium 13. Ianuarij 1623. coram* R. P. D. *meo Pirouano.*

17 Propterea quamuis Franciſcus probet obitum Portionarij in vltima nocte menſis Auguſti; Nihilominus concludenter non probat, illum, fuiſſe ſecutum ante mediam noctem, prout requirebatur ad dictum effectum; Dies enim incipit à media nocte, & ſequẽtis noctis media parte finitur, vt ſunt verba *I. C. in l. More Romano ff. de fer. l. 1. ff. de manumiſſion. cap. conſuluit 24. ibique Felin. num 6. verſic. de hoc habemus de off. & poteſt. Iud. deleg. Decian. conſ. 65. num. 22. verſ. & quamquam lib. 2. Caſtracan. de Societ. cap. 62. num. 4. & 5. Rota deciſ. 333. n. 1. par. 4. diuerſ.*

18 Indè, quæ fiunt poſt mediam noctem, ſequenti die facta cenſentur, *l. qua ætate 5. in fin. verſ. plus arbitror ff. qui teſt. fac. poſſ. l. Ideoque 7. ff. de vſucap. Feder. de Sen. conſ. 256. num. 2. verſ. & excludenda caſum, Bellam. conſ. 1. numer. 3. verſ. & in tantum, Larra de Cappell. lib. 1. cap. 9. nu. 25. Rota in Peruſina Parochialis 28. Iunij 1617. coram bo. mem. Card. Veroſpio.*

19 Et in terminis diuiſionis menſium ſuper collatione beneficiorum inter Põtificem, & Epiſcopos, quod attendatur diſpoſitio *dicti tex. in l. more Romano*, ita vt ſi beneficium vacet ante mediã noctem menſis Ordinarij, ſpectet ad Ordinarium, ſi vero poſt, pertineat ad Papam *tradit Rebuff. de verb. ſignif. in l. 2. fol. mihi 39. verſ. ſed quomodo, & tract. nominat. quæſt. 16. num. 2. & de Collat. in S. præfatique Ordinarij. verbo. ſequentibus menſibus. littera E. pag. 609. Gonzal. ſuper reg. 8. gloſ. 11. num. 9. & ſeqq. Garz. de beneſ. 5. par. c. 1. numer. 523. Polidor. Ripa de noct. temp. cap. 160. num. 5. & cap. 161. num. 3. Barboſ. de poteſt. Epiſcop. alleg. 57. num. 183. & ſeqq. Ferd. à Caſtro Palao oper. moral. par. 1. tract. 13. diſp. 2. punct. 22. §. 2. nu. 1. & optimè Ioſeph Ludou. de Peruſ. deciſ. 116. num. 6. & 7.*

20 Nec obſtant teſtes pro Franciſco examinati, nam licet primus, & ſextus fratres Portionarij defuncti dicant, illum deceſsiſſe ante pulſatam horam duodecimam ab Horologio Eccleſiæ Parochialis S. Ioannis, & Monaſterij S. Tereſiæ, tamen non negant, alia pulſaſſe; Imò ſecundus nẽpe Fabianus de Eſcobar Præfectus domus ipſius defuncti, & tertius Franciſcus de Santiago Parochus prædictæ Eccleſiæ S. Ioannis Io. Sanch. teſtis vndecimus, ac etiam duodecimus religioſus Ordinis Diſcalceatorum, qui omnes in actu obitus interfuerunt, deponunt expreſsè ante mortem prædicti Portionarij pulſaſſe horologium Eccleſiæ Cathedralis, & cum prædictis cõcordat ipſe Gubernator Ciuitatis Miles S. Iacobi de Spata, & alij teſtes ex officio examinati per Vicarium Epiſcopi, iuxta formam, & modum traditum *per Gonzal. vbi ſupra num. 10. verſ. proinde & ſeq & per Polidor. Rip. de noct. temp. cap. 161. num. 3. ac per Ioſeph. Ludou. d. deciſ. 116. num. 6.* qui omnes repetiti ad inſtantiam Alphonſi, & præſertim 1. 2. 3. & 4. deponunt, quod ante horologium Eccleſiæ Cathedralis pulſauerant plura horologia diuerſarum Eccleſiarum, & in ſpecie horologia Conuẽtus S. Thomæ Ordinis Prædicatorum, & Conuentus Carmelitarum Calceatorum, nec non alterum Eccleſiæ Soc. Ieſu, & addit quintus teſtis, quod pulſauerat etiam horologium S. Franciſci, certum eſt autem, quod quando diuerſa concurrũt horologia, tunc ſtatur numero pluribus ad inſtar teſtium, vt notat *Parlador. lib. 3.*

q.9.num.10. verſ.at ſi multa,& num. ſeq. Barboſ.de pot. Epiſc.alleg.57.num.186. in fine,Caſtro Palao vbi ſupra d.punct.22. §. 2.n.1.verſ.ſecus quando plura ſunt.

21 Quæ concluſio eò facilius procedit in præſenti caſu,quia dd.duo horologia, quæ fauent eidem Franciſco conſueuerũt ſemper pulſare tardius cœteris per ſpatiũ eir.dimidiæ horæ, vt deponunt multi ex prædictis teſtibus, & quod magis eſt, alterum ex eis,nempè illud S.Ioannis, vltra tarditatem,procedebat vt plurimum inordinatè,& malè gubernabatur, quod non audent negare, quin potius vidẽtur admittere duo teſtes fratres defuncti pro Franciſco inducti, dum reſpondentes ad articulum ſuper qualitate ipſius horologij,dicunt quidem, quod habet ſuũ moderatorem cum ſalario,ſed tacent an be, ne ſit gubernatum,&ordinatè procedat, vnde contrarium videntur deponere ex illa regula, quod interrogatus de duobus, .ſi vnum tantum affirmet, alterum cenſetur negare *l. & ſi ſine* 8. *§.ſed quod Papinianus ff.de minor. Pacian. de prob. c. 34. n.1.*

22 Et è conuerſo concurrit pro Alphõſo partita libri Pictantiarũ Eccleſiæ Cathedralis concepta ſub his verbis, *hodi.rna die Lunæ prima Septembris, Pictantia pro Miſſa &c. hanc & alias perdidit Dominus Portionarius Frãciſcus de Aguierre,quia obijt die 1.Septembris hora 12. cum dimidia:* Nec non partita libri Capparũ eiuſdem Eccleſiæ, vbi habetur, *Portionarius Franciſcus de Aguierre obijt prima die Septembris poſt dimidiam noctem*, quibus libris circa hanc materiam omninò eſt ſtandum, præſertim cum ex depoſitione prædictorum teſtium ſint optimè adminiculati,vt in terminis firmauit *Rota in Taruiſina Canonicatus* 1.*Mart.*1599. *coram Corduba,Buratt.deciſ.*548.*nu.*1. *Duran.deciſ.*216.*eodem num.& in rec.dec.*629. *par.*2. *et dec.*205. *in princ.par.*4.*tom.*1.

23 Et in omnem caſum ſaltem negari non poteſt, quod ex prædictis probatio pro Franciſci reddatur omninò turbida,ita vt Alphonſus reus,& poſſeſſor veniat abſoluendus, *vt benè per Gonzal.ſuper reg.8.gloſ.*1. 1.*numer.*26 *et ſeq.Garz. de beneſ.par.*5.*cap.numer.*527.*et ſeqq.et præſertim num.*529. *Barboſ.de pot.Epiſcop. al. leg.*57.*n.*188.*Rota coram Puteo dec.*206.*et dec.*265.*lib.* 3.

Et ita vnica tantum parte informante deciſum, altera pluries citata, & expectata.

Reuerendiſs. D.

DVNOZZET
DECANI

Abulen.Portionis.

Lunæ 22. *Iunij* 1648.

DECISIO III.

De eadem materia. vbi de inceptione reſeruationis; de teſtibus, & ieiunio.

SVMMA.

24 *Sine læſione non datur reſtitutio in integrum.*
25 *Validitas ſententiæ vnde reſultet.*
26 *Iuſtitia ſententiæ Rotæ conſtat ex Deciſionibus.*
27 *Duodecim pulſus deſignant mediam noctem apud Hiſpanos.*
27 *Ad effectum reſeruationis menſis incipit, et terminatur à media nocte.*
27 *Horologia attenduntur tanquam teſtes, & ſtandum numero pluribus*
28 *Verbum, videtur, quando non minuat fidem teſtis.*
29 *Prima, et ſecunda pulſatio horologij vnde cognoſcatur.*
30 *Dicta teſtium non cauillanda, ſed ſuſtinenda,et reducenda ad concordiam.*
30 *Numerus teſtium ſupplet aliquam exceptionem.*
31 *Pro offuſcanda contraria probatione non requiruntur tàm exactæ probationes.*
32 *Reſeruatio debet clare conſtare præſertim contra prouiſum ab Ordinario.*
33 *Ieiunium non frangitur ſi dubitatur de exceſſu mediæ noctis, ſi dies præcedens ſit ieiunij: ſecus conuerſo.*
33 *Quid,ſi adſint diuerſa horologia diuerſimodè regulata.*

24 RESolutum fuit, non conſtare de cauſis reſtitutionis in integrum aduerſus tres conformes declarantes litteras Apoſtolicas Franciſci de Auila expeditas ſuper prouiſionem Portionis, de qua agitur, non eſſe exequendas quia dictæ ſententiæ viſæ fuerunt DD. validæ, & iuſtæ, & per conſequens excludere læſionem, ſine qua reſtitutio non datur *Rota decis. 1. n. 3. de reſtit. in integr. in nou. deciſ. 323. num. 1. & deciſ. 426. num 1. coram Buratt. deciſ. 194. num. 2. coram Caual. & fuit dictum in Brunduſina Pecuniaria 23. Iunij 1645. coram R. P. D. meo Ghiſilerio & in Romana prætenſæ Societatis 12. Iunij 1645. coram R. D. P. meo Otthobono.*

25 Validitas non controuertitur, & patet ex reuolutione actorum, ex quibus apparent fuiſſe ſeruata omnia de iure ſeruanda iuxta *vulg. Caputaq. deciſ. 260. par. 2. bon. mem Coccin. deciſ. 429.*

26 Iuſtitia vero reſultat ex deciſionibus in ſecunda & tertia inſtantia factis coram RR. PP. DD. meis Ghiſilerio, & Celſo, in quibus ſatis ſuperq. demonſtratũ fuit, cur prædictæ litteræ non ſint exequendæ, nimirum quia non fuerunt iuſtificatæ in eo; quod hæc Portio vacaſſet de menſe Auguſti Sedi Apoſtolicæ reſeruato, prout fuit & cum quo fundamento gratia fuit obtenta; ex deciſionibus namque in eadem cauſa promanatis bene deſumitur iuſtitia ſententię Rotalis, quando, prout hic, nil quod reuelet contra eas opponitur, vt ſæpius dixit *Rot.* & ſignanter *in Romana ſeù Ianuen. locorum montiũ 28. Iun. 1641. coram me vbi allegantur deciſiones concordantes.*

27 Non obſtat, quod teſtes examinati pro parte dicti Prouiſi Apoſtolici deponant, Franciſcum de Aguirre (per cuius obitum vacauit hæc portio) deceſſiſſe vltima Auguſti antequam horologia S. Ioannis & S. Thereſiæ dediſſent ictus duodecim, qui apud Hiſpanos tempore noctis deſignant mediam noctem, vt aduertit *Garz. de benefic. par. 5. cap. 1. nu 525* poſt medium, vnde prætenditur fuiſſe iuſtificatam reſeruationem Apoſtolicam, cum mẽſis terminetur & incipiat a media nocte, etiam ad effectum, vt intret, vel ceſſet diſpoſitio regulæ reſeruatoriæ 8. hodie 9. vt tradunt *Gonz. ſuper eadem reg. 8. gloſ. 11. num. 9. et ſeq. Garz. de beneſ. part. 5. cap. 1. num. 523. et alij relati in deciſione R. P. D. mei Celſi 14. Iunij 1647. §. et in terminis*, quia licet prędicti teſtes deponant vt ſupra, tamen eorum dicta eliduntur ex teſtibus ex aduerſo pro parte Alphonſi de Caldas ab ordinario prouiſi examinatis, qui deponunt contrarium dictum Portionarium obijſſe poſt pulſatam duodecimam noctis ad horologiũ Eccleſiæ Cathedralis, & ad quatuor alia horologia, ad eruendam quippe veritatem facti, an ſcilicet Portionarius obierit ante, vel poſt mediam noctem, ſtandum eſt horologijs numero pluribus ad inſtar teſtium vt docet *Bobadil. in Polit. lib. 5. cap. 2. num. 25. Parlador. rer. quotid. lib. 3. q. 9. n 10. Caſtropal. oper. mor. p. 2. tract. 13. diſput. 2. punct. 22. §. 2. num. 1. verſ. ſecus quando plura ſunt cum alijs adductis in dictis deciſ. RR. PP. DD. meorum Ghiſilerij, et Celſi.*

28 Minus obſtat, quod aliqui ex dictis teſtibus Alphonſi deponant per verbum videtur, quod tanquam dubitatiuum nõ cõcludit, vt fuit dictum in Lucana Præcedentiæ 24. Ianuar. 1628 coram R. P. D. meo Ghiſilerio, Nam hæc concluſio limitatur, quando teſtis deponens per dictum verbum, vel aliud ſimile, reddit bonam rationem, quoniam tunc meretur fidem, quamuis deponat de proprio Iudicio *Dec. conſ. 363. num. 4. Gabr. conſ. 159. num. 26. lib. 1. Farinac. de teſt. queſt. 68. n. 29.* prout bonã rationem reddunt in caſu noſtro dicti teſtes Alphonſi dum dicunt, quod ipſis viſum fuit contigiſſe obitum Portionarij poſt mediam noctẽ pulſatam ad horologium Cathedralis quia infra dimidium quarti horæ poſt illius obitum Campanæ dictæ Cathedralis pulſatæ fuerunt ad ſecundam, ad quã pulſari ſolent elapſo integro quadrante poſt primam, quæ ſonat ad mediam noctem.

29 Nec releuat, ſi dicatur, dictos teſtes non audiuiſſe pulſari ad primam, ergo non valent deponere de pulſatione ad ſecundam, cum primum, & ſecundum

ſint

ſint ſimul in cognitione, & ideo quis nō poteſt affirmare hoc eſſe ſecundum, niſi primum cognoueritsquia in caſu noſtro ceſſat argumentatio non ſolum ex eo, quod quando in dicta Eccleſis pulſatur ad ſecundam, ſonant duæ Campanæ, vbi ad primam ſonat tantum vna; ex hac enim diuerſitate ſonandi bene *diſtinguitur*, & *cognoſcitur* ſecunda à prima; ſed etiam ex quo ſtatim atque horologium dictæ Cathedralis deſinit ſonare duodecimam noctis pulſatur ad primā, & inde ab vno quarto ad ſecundam: vnde audita pulſatione campanarum abſque eo, quod proceſſerit ſonus horologij bene poteſt affirmari, pulſationem fuiſſe factam ad ſecundam.

30 Neque refragantur aliæ exceptiones allatæ contra prædictos teſtes Alphonſi, quoniam viſę fuerunt nimis cauilloſæ & ideo non attendendæ, cum dicta teſtium nō ſint cauillanda ſed potius ſubſtinēda, & reducenda ad concordiam *Alex. conſ. 185. num. 4. & ſeqq. lib. 7. Rot. deciſ. 167. num. 51. et 52. par. 1. recent. et deciſ. 351. num. 37. coram S. M. Greg. XV.* Quatenus verò dictę exceptiones deducuntur ad effectum dignoſcendi, quantum fidei ſit eorum perſonis adhibendū animaduertebatur, quod Franciſcus excipiēs duos ex dictis teſtibus repetijt pro ſe, quos proinde approbauit. Reliqui vero, eſto quod aliquam patiantur exceptionem, eorum tamen fides ex numero ſuppletur & corroboratur *Alex. conſ. 149. num. 6. lib. 5. et conſ. 237. num. 2. verſ. ſi autem lib. 6. Corn. conſ. 47. num. 7. in med. verſ. a deo quod pluralitas vol. 3. Honded. conſ. 17. num. 42. lib. 1. Rota coram S. M. Greg. XV. deciſ. 340. n. 6.*

31 Et ceſſare videtur omnis amaritudo non ſolum ex eo quia dicti teſtes Alphonſi adminiculantur ex libris Capituli, vt fuit ponderatum in dd. *dec.* RR. PP. DD. meorum Ghiſilerij & Celſi, ſed etiā quia non deducuntur principaliter ad probandum obitum poſt mediam noctē; ſed ad offuſcan. probationem prouiſi Apoſtolici de obitu ſequuto ante mediam noctem, adquem effectum non requirūtur tam exactæ probationes *Bald. conſ. 79 num. 7. lib. 2. Aym. conſ. 6. num. 127. Natta conſ. 32. in fin. quos omnes refert Surd. in conſ. 505. ſub nu. 6. verſ. nec dicatur, et fuit dictum in Auguſtana Decimarum 27. Iunij 1639. coram R. P. D. meo Bichio.*

32 Et in omnem caſum adhuc DD. dicebant, quod negari non poteſt, quin ſaltem res ſit dubia, ideoque non cōſtet de clara reſeruatione, prout requiritur ex *alleg. in dec. R. P. D. mei Ghiſilerij 17. Decembris 1646. §. fin.* pręſertim in concurſu prouiſi ab Ordinario exiſtentis in poſſeſſione, qui propterea, eſto quod reſeruatio ratione menſis ſit fauorabilis, vt voluit *Lotter. de re benefic. lib. 5. q. 36. n. 7. et ſeqq. pręferendus eſt, vt ad litteram diſponit tex. in c. ſi a ſede 31. de præben. in 6. ibi, erit potior conditio poſſidentis.*

33 Hinc patet non applicari, ſed potius retorqueri ingenioſum exemplum ieiunij, quod non frangitur, quando dubitatur de exceſſu mediæ noctis, ſi dies præcedens non erat ieiunij, ſecus è conuerſo, cum ſemper attendatur, an dies præcedens ſit in poſſeſſione libertatis, vel ieiunij, vt per *Sanch. de matrim. lib. 2. diſp. 41. nu. 32. et ſeqq. quia vltra quod idem Sanch. ſub n. 40. verſ. quod ſi diuerſa*, ait, non ſtari poſſeſſioni huiuſmodi, quando adſunt diuerſa horologia diuerſimode regulata, eumq. ſequitur *Dian. reſol. moral. par. 4. tr. 3. tit. de conſuet. dub. reſol. 19.* vt ſupra dictum eſt, poſſeſſio in præſenti caſu eſt ex parte Prouiſi ab ordinario; & vlterius quæſtio noſtra non tendit ad excuſandū quem à peccato, in quibus terminis applicatur allatum exemplum, & Doctores illud afferentes, ſed ad inducendam reſeruationem, quæ in dubio non inducitur, ſed requirit probationes claras, & concludentes, vt excludatur prouiſus ab ordinario, qui exiſtit in poſſeſſione iuxta diſtinctionem, quam affert Garz. *de benefic. par. 5. cap. 1. n. 533.*

Et ita vtraque &c.

An

militi pro mercede, vt eſſet procurator; cum autem non poſſet eſſe procurator, quia à iure prohibetur, non potuit acquirere dictam mercedem, ſeu ſalarium, quia ceſſante labore, & exercitio etiam ex cauſa impoſſibili, ceſſat etiam ſalarium, & ſi ſolutum ſit, repeti poteſt *l. Seruo amico. ff.* De *an. leg.* ibi *Cũ tàm labor, quàm pecunia diuiſionem reciperent*. Quia de natura ſalarij pro officio eſt, quod prius officium exhibeatur, quàm ſoluatur ſalarium, vt notat Bart. *in l.* 1. *§. Diuus. nu.* 16. *ff.* De *var. & extr. cogn.* Quare cum dicta pecunia habuerit rationem mercedis, officium procuratoris exhibendum erat conditio, non modus, quia tantum eo exhibito, fiebat debita pecunia.

11 Similiter tex. *l. Ea quæ.* C. De *donat. ante nupt.* procedit de conditione, non de modo. Nam loquitur de promiſſione facta mulieri vt ſponſæ, & non quomodocunque, & decernit, quod ab ipſa peti non poſsit res promiſſa, quia non fuit ſponſa. Ex quo colligitur promiſſionem fuiſſe conditionalem, quia fuit facta mulieri vt ſponſæ, hoc eſt vt qualificatę per talem, qualitatem ſponſæ, & quia non erat ſponſa, non ſubſiſtebat promiſſio, niſi poſita qualitate iſta; vnde vt promiſſio ſubſiſteret, & haberet ſuum effectum, vt pote directa ad ſponſam vt talem, debuit prius poni qualitas ſponſæ. Quando autem prius debet impleri illud, quod per diſpoſitionem exprimitur, antequam actus habeat locum, & conſequi poſſit emolumentum, diſpoſitio eſt conditionalis, vt notant Molina *lib.* 2. *de primogen. cap.* 12. *num.* 2. Menoch. *Conſil.* 131. *num.* 3. Surd. *de alimen. tit.* 9. *quæſt.* 16. *num.* 40. & *Deciſ.* 156. *num.* 5 Cened. *ſing.* 20. *num.* 4. Melchior Phæbus *Deciſ. Luſit.* 11. *num.* 14. *tom.* 1. Alciat. *reſp.* 165. *num.* 15. Paris. *Conſil.* 19. *num.* 255. *lib.* 2. Sarmien. *lib.* 2. *Select. Interpret. cap.* 3. *num.* 1. Barboſa *Dictione Vt. num.* 5. & deſumitur ex *l. Meuia. ff.* De *man. teſt.* & *l. Quibus diebus. §. Termilius. ff.* De *condit. & demonſt.*

12 Ad 2. Ideo ſtipulationem ex turpi cauſa eſſe nullam ipſo iure; quia ipſa turpitudo venit in contractum, & proinde vitiat ſubſtantiam contractus. Cum enim turpis cauſa ſubminiſtret materiã contractui, & contineat finem proximũ ipſius, refundit turpitudinem in ipſum contractum, quia omnis actus qualificatur à materia, circa quam verſatur, & à fine. Non ſic autem contingit, quando modus eſt turpis, quia cum ſit extrinſecus actui, & contingenter ſe habeat, vt notat Butr. *in l. Quibus diebus. §. Termilius. ff.* De *condit. & demonſt.* non inficit ſubſtantiam contractus.

13 Ad 3. Turpes ſtipulationes eſſe irritas, quia non ſunt turpes, niſi turpitudo inſit ipſarum ſubſtantiæ. Et proinde cum omnis actus depẽdeat à poteſtate; vt notat Menoch. *lib.* 1. *præſumpt.* 30. *nu.* 11. Socin. *reg.* 30. ver. *Tertio.* Et nemo poſſit id, quod honeſtè facere nõ poteſt. *l. Nepos Proculo ff.* De *verbor ſignif.* & notant Surd. *Conſil.* 203. *num.* 44. Gratian. *Diſcep. foren cap* 891. *nu.* 31. talis ſtipulatio corruit ex defectu poteſtatis in ſtipulante. Non autem quando modus eſt turpis, & contractus honeſtus, quia cum modus, & dictum eſt, ſit extrinſecus, iuxta Reg. *Vtile.* De *reg. iur in* 6. non vitiatur contractus per modum vitioſum, ſed reijcitur modus, & retinetur contractus.

14 Contra ea tamen, quæ ſuperius dicta ſunt, poteſt obijci, quod in iure poſſit actio ſeparari à retentione, ita vt retineri poſſit, quod datum eſt, quamuis peti non poſſit, vt per *l. Mercalem.* C. De *condit. ob turp. cau.* ergo non ſemper eſt verum, quod quando transfertur dominium, habeat locum etiam actio. Reſp. Ex natura rei ſemper habere locum actionem, quando contractus habet vim transferendi dominium, quia ſi transfert dominium, dat ius ad rem. quando autẽ adeſt ius ad rem, poteſt quiſq. ius ſuum proſequi petendo, quod ſibi debitum eſt. Aliquando tamen leges denegant actionem, & tunc ſeparatur actio à retentione: non ex natura ſua, ſed ex diſpoſitione iuris, quod non contingit in contractu, qui habet annexum modum à iure prohibitum.

Promiſit quis concubinæ ſe eam hæredem inſtituturam, quod poſtea non fecit, quæritur, an poſſit concubina ſibi retinere pro compenſatione res aliquas illius, quas apud ſe habet. Quæſt. 391.

S V M M A.

1 *Promiſſio ob turpem cauſam obligat naturaliter.*
2 *Concubina non poteſt vti compenſatione, ſi concubinarius eam non inſtituit hæredem, vt promiſit.*
2 *Quid requiratur, vt occulta compenſatio ſit licita.*
3 *Quando ſufficiat probabile debitum.*
4 *Promiſſio contra bonos mores irrita eſt.*
5 *Promiſſio præbens cauſam peccandi, eſt nulla.*
6 *Promiſſio de aliquo hærede inſtituendo non valet.*
6 *Promiſſio contra leges eſt nulla.*
7 *Actus irritatus à iure non parit obligationē in conſcientia.*
7 *Promiſſio facta concubinæ, quod hæres erit, eſt nulla.*
8 *Promiſſio inſtituendi hæredem non eſt hæredem inſtituere, nec facit debitam hæreditatem.*
9 *Promiſſio non eſt ſola affirmatio faciendi aliquid, ſed etiam obligatio.*

1 VIdetur affirmatiuè reſpondendum, quia promiſſio ob turpē cauſam obligat naturaliter patrato malo opere, iuxta ea, quæ tradunt Couaruu. *Regula. Peccatum par. 2. §. 2. num. 1.* Caiet. *2. 2. quæſt. 32. ar. 7. §. Aliter ergo.* Medina. *C. De reſt. q. 28.* Leſſius *lib. 2. De iuſt. & iure. cap. 18. dub. 3. num. 18.* Quia non eſt promiſſio gratuita, ſed oneroſa, cum fiat ſub onere alicuius rei præſtandæ: vnde eſt ſaltem contractus innominatus *Do, vt facias,* ſeu *do, vt des.* preſertim quia fere ſemper ſubit promiſſarius aliquod detrimentum pretio ęſtimabile. Cum igitur dicta promiſſio ſit facta ſub onere continuandi carnalem exhibitionem ſui corporis, ſi quidem eſt facta in hunc finem, obligabit promiſſorem, & promiſſaria poterit vti compenſatione.

2 Abſolutè tamen tenendum eſt. *Hanc occultam compenſationem non eſſe licitam.* Ratio eſt, quia licet aliquandò ſit licita occulta compenſatio, vt communiter docent apud Sayr. *lib. 9. Clau. reg. cap. 14. num. 3.* & Petrum Nauar. *lib. 3. De reſt. cap. 1. num. 385* oportet tamen, vt ſit licita, quod concurrant aliquæ cōditiones, de quibus præfati Doctores, quarum vna præcipua eſt, quod debitum ſit liquidum, & certum, aliàs ſi eſſet dubiū, & incertum, non poſſet fieri compenſatio. Ita communiter præſertim Palud. in *4. diſt. 14. q. 2. ar. 2.* Adrian. *Quodlib. 6. ar. 1.* Sotus *lib. 5. de iuſt. & iure. qu. 3. ar. 1. & ar. 3 ad 1.* Medina *C. De reſt. q. 3.* Nauar. *in Manual. cap. 17. num. 112.* Valent. *tom. 3. diſp. 3. q. 10. punct. 6.* Corduba *in Sum. quæſt. 111. & lib. 1. q. 35.* Couaruu. *in Cap. Quamuis pactum par. 1. §. 4. num. 9. ver. Item non.* Petrus Nauar. *lib. 3. de reſt. cap. 1. num. 188.* Sayr. *lib. 9. Clau. reg. cap. 14. n. 7.* Leſſius *lib. 2. De iuſt. & iure cap. 12. dub. 10. num. 58.* Syluius *2. 2. quæſt. 62. ar. 8. quæſito 1.* Malder. *tract. 4. cap. 1. dub. 6.* Valer. *in differ. vtriuſque fori. verbo.* Compenſatio. *differ. 1.* Villalob *par. 2. Sum. tract. 11. difficul. 23.* Dicaſtil. *De iuſt. & iure lib. 2. tract. 2. diſp. 9. dub. 6. num. 92.* Hurtad. *De iuſt. & iure diſp. 13. difficul. 6.* Trullench. *lib. 7. in* Decal. *cap. 15. dub. 11. num. 5.* Petrus à S. Ioſeph *in* Idea *theol. moral. lib. 4. cap. 11. reſol. 7.* Machad. *De perfecto confeſſ. tom. 1. lib. 2. par. 3, tract. 23, docum. 5. n. 4.* Caſpenſ. *par. 2. Curſ. theol trac. 18, diſp. 1. ſect. 13. n. 161.*

3 Imo etiam ſecundum aliquos Recentiores licet ſufficiat opinio probabilis, quæ facit, quod debitum ſit probabile, loquendo de probalitate iuris, nō autē de probabilitate facti, abſolutè tamen requiritur, vt ſit licita cōpenſatio occulta, quod debitū ſit tale, quod poſſit iudex cogere debitorem ad ſoluendum, quia compenſatio fit in ſupplementum ſententiæ, iudicis. Et ideo, quod non poteſt iudex in iudicio tribuere, nec etiam quis poteſt ſibi occulta compenſatione vindicare; aliàs ſibi vſurparet id, circa quod iudex non poteſt ius dicere, & ſur-

tum committeret domino rationabiliter inuito.

4 Ex his concluditur, quod in prædicto caſu non poſſit habere locum occulta compenſatio, quia nimirum, ſi res ad forum deduceretur, non poſſet iudex iudicare in fauorem promiſſariæ. Et primo quidem, quia dicta promiſſio eſt cōtra bonos mores, nam reſpicit continuationem concubinatus. Promiſſio autem, quę eſt contra bonos mores, non inducit obligationem, ſed ipſo facto irrita eſt. *l.* Si *ſtipulatio* 61. *ff.* De *verbor. obligat.* & *l.* *Si vnus.* §. *Pacta. ff.* De *pactis*. & *l.* Pacta C. De *pactis*· ibi. *Pacta, quæ contra leges, conſtitutioneſque, vel contra bonos mores fiunt, nullam vim habere, indubitati iuris eſt*.

5 Secundo accedit, quod dicta promiſſio habet turpem cauſam, quia facta eſt intuitu continuationis in concubinatu, & proinde præbet etiam occaſionem peccandi. Promiſſio autem huiuſmodi eſt nulla, nec obligat promittentem *l. Generaliter. ff.* De *verbor. obligat.* & *l.* Si *flagitij. eodem tit.* ibi *Si flagitij faciendi, furtiuè cauſa concepta ſit ſtipulatio, ab initio non valet.*

6 Tertio quia ſpecialiter eſt prohibita à iure promiſſio in materia, de qua agitur, nempe de aliquo inſtituendo hærede, nec talis promiſſio, aut pactum valet, *l.* *Stipulatio hoc modo concepta. ff.* De *verbor. obligat.* & *l. fin.* C De *pactis* & notant ſpecialiter Couaruu. *in Cap. Quamuis pactum.* De *pactis*. Cancer. *lib.* 3. *Variar. cap.* 7. vbi latè. Cum igitur promiſerit concubinæ eā hæredem inſtituere, eſt irrita promiſſio tanquam facta contra leges *l. Pacta* 6. C. De *pactis*. Vnde cum ex tot capitibus promiſſio irrita ſit, non poterit iudex cogere promiſſorem, ad præſtandum, quod promiſit, atque adeo nec fieri occulta compenſatio.

7 Sed dices. Ex tali promiſſione oriri obligationem naturalem, licet non oriatur ciuilis; & proinde poſſe habere locū occultam compenſationem, quia obligatio naturalis facit debitum in conſciētia. Verum reijcitur hæc reſponſio, quia quando ius irritat aliquem actum, neq. in conſcientia parit obligationem naturalem, vt patet in matrimonio clandeſtino per Concilium Tridentinum. *Seſſ.* 25. *cap.* 1. De *reformat. matrim.* In matrimonio facto cum impedimento dirimente; in electione, quando per ius irritatur, vt in Cap. *Quia propter.* De *elect.* & *in Cap.* 6. *de reformatione Regul. ſeſſ.* 25. *Concilij Tridentini*. Dicta autem promiſſio eſt irrita ſecundum ius, vt conſtat ex *l. Pacta.* C. De *pactis*. & *l.* Si *vnus.* §. *Pacta. ff.* De *pactis*. & *l.* Si *flagitij. ff.* De *verb. obligat.* & aliis citatis textib.

8 Accedit etiam. Quod ſi promiſſio ſubſiſteret, neque adhuc haberet locum compenſatio occulta; nam non eam inſtituiſset hęredē, vt ſit ipſi hæreditas debita; ſed ſolum promiſiſſet hæredem inſtituere, & ideo ex vi talis promiſſionis nil aliud eſſet debitum, quàm inſtitutio huiuſmodi. promiſſio enim inſtituendi aliquem hæredem, non eſt hæredem inſtituere, quia promiſſio facti non eſt ipsū factum, vt notant Gloſ. *in l. Bonæ fidei, verbo.* Condicturum. *ff. De eo, quod cer. loco.* Iaſ. *ibid. num.* 3. Couaruu. *lib.* 3. *Variar. cap.* 4. *num.* 7. Craueta *Conſil.* 76. *nu.* 5. Cephal. *Conſil.* 66. *nu.* 10. *lib.* 1. Burſat. *Conſil.* 10. *num.* 1. *lib.* 1. Boer. *Deciſ.* 58. *num.* 3. Ioſeph Ludouic. *concluſ.* 72. *n.* 1.

9 Denique neque adeſt vera promiſſio, in cuius virtute, dato quod eſſet valida, licita ſit aliqua occulta compenſatio. Nam, vt notat etiam Leſſius *lib.* 2. *de iuſt. & iure. cap.* 18. *dub.* 1. *n.* 5. promiſsio nontantum eſt affirmatio dandi, vel faciendi aliquid, quia talis affirmatio indicat ſolum propoſitum mente conceptum, ſed dicit obligtionem, qua quis alteri ſe obligat, et confert ius in ipſum ad rem promiſſam; vnde eſt actio quædam obligatiua promiſſoris, et translatiua iuris ad promiſſarium. Ita caſu autem pręſenti, non adeſt talis actio translatiua iuris, ſed ſolum affirmatio faciendi, et notificatio propoſiti.

An ſingens paupertatem pro eleemoſina obtinenda, teneatur ad reſtitutionem. Quæſt. 392.

S V M M A

1 *Fingens paupertatem, vt obtineat eleemoſinã, an teneatur ad reſtitutionem.*
1 *In errante non eſt conſenſus.*
2 *Ficti pauperes oſtiatim mendicantes non tenentur ad reſtitutionem.*
3 *Facta per errorem non retractantur, ſi ſubſit cauſa pietatis.*
3 *Anima rebus omnibus anteponenda.*
3 *Actus cenſetur factus ex vtiliori capite.*
3 *Ad acquirendum non requiritur expreſſus conſenſus.*
3 *Subminiſtrans alimenta ex cauſa pietatis, nõ repetit.*
4 *Donatio ſubſiſtit licet non ſubſiſtat cauſa impulſiua.*
4 *Diſpenſatio valet, etiam ſi non ſubſiſtat cauſa impulſiua.*
4 *Falſum circa qualitates extrinſecas diſpenſationis, aut taciturnitas illam non vitiat.*
5 *Cauſa finalis eleemoſinæ.*
5 *Paupertas cauſa impulſiua eleemoſinæ,*
5 *Cauſa finalis, & impulſiua vnde dignoſcantur.*

1 FEre communiter aſſerunt, quod qui fingit paupertatem, vt obtineat eleemoſinam, teneatur ad reſtitutionem. Ita ſpecialiter Alenſ. *par.4.q.86. mem.3.ar.2. & 3.* Scot. *in 4.diſt.15.qu.2.* Gabr. *quæſt.9.concluſ.7.* Adrian. *qu.15. de reſtit.* Nauar. *in Manual.cap.17.nu.107.* Sum. Piſanel. *verbo.* Reſtitutio 1. §. *penult.* Palat. *lib.6. De contract. c.7. poſt 2. concluſ. §. Porro ſi diues.* Faber. *De pœnit. in 4.diſt.15.qu.2.diſp.50.cap.4.* Alphon. Enecus de valdes. *De eleemoſina par.3. pagin.84.§. Secundo quæritur* Fundamentũ huius ſententiæ eſt, quia dans eleemoſinam, putat ſe illam erogare pauperi: & ideo interuenit error. Vnde cum in errãte non ſit conſenſus *l. Si per errorem. ff.* De *iuriſd.* & *l. Conſenſiſſe 2. ff.* De *iudic.* illa eleemosina eſt inuoluntaria ſtante errore elargientis, & proinde fictus pauper eam retinebit inuito domino.

2 Alij tamen volunt, hoc ſolum locũ habere in magnis eleemosinis, non autẽ in paruis, quales ſunt illæ, quæ dantur oſtiatim mendicantibus, quia in his non præſumitur illa tacita conditio, quod nõ daretur, niſi præſuppoſita paupertate. Ita Sotus *lib.9. De iuſt, & iure qu.7.ar.3.ad 4.* Azor. *par.3. lib.4. cap.21. qu.8.* Io. à Cruce *par.1. Direct. Conſcient. præcep.5.ar. 4. dub.2. concluſ.4.* Granad. *2.2. controuer. 3. tract.11. diſp.7.n.4.*

3 Verum *quod vniuerſaliter pauper fictus non teneatur reſtituere acceptas eleemoſinas probabile ſit*, ex quadam doctrina, quam tradunt iuriſcõſulti, nimirum, quod facta per errorem non retractantur, quando ſubeſt cauſa pietatis: quia cum faueãt animæ, quæ rebus omnibus anteponenda eſt *l. Sancimus. in fine.* C. De *ſacroſanct. Eccleſ.* non cenſentur inuoluntaria, cum quilibet cenſeatur facere actum ex vtiliori capite, ex quo fieri poteſt *l.3. ff. De teſtam. milit.* & *l. Cum pater. ff.* De *iure dot.* & proinde, quando eſt vtilis cenſetur volita illa vtilitas. Vnde qui errat, vbi interuenit pietas, ſibi acquirit, vt autem quis ſibi acquirat, non requiritur expreſſus conſenſus *l. Is, cui bonis. 6. ff.* De *verbor. oblig.* Ex quibus infert Lara *de alimen. §. Si mater. nu. 7.* Quod ſi quis ſubminiſtraret alimenta ex cauſa pietatis ei, qui putabatur non habere, vnde aleretur, non poſſet illa repetere, etiam ſi poſtea reperiatur habere. Vnde cum etiam eleemosinæ erogatæ ficto pauperi ſubsit cauſa pietatis, non poterit retractari, & proinde non aderit obligatio reſtituendi.

4 Accedit etiam, quod donatio ſubſiſtit, etiam ſi nõ ſubsiſtat cauſa impulſiua § *Longè magis.* Inſtit. *De legat.* & *l. Si cum filiusfamilias. in fine. ff* De *donat.* Et generaliter in diſpenſationibus, conceſsionibus, gratijs falsitas cauſæ impulſiuæ non vitiat conceſsionem, dum[illegible] do ſubsiſtat cauſa finalis, vt ter[illegible] pus *allegat.* 89. Decius *in C*[illegible] *mo. in noua edit. num. 11.* n[illegible] Lap. *per litteris.* verbo [illegible] *Cap. Poſtulaſti.* [illegible] *4. & in Cap. Super litteris. num.3.* De *re-ſcrip.* Beroius [illegible] *in 2. lect. num. 55. & 73* Paris. *Conſil. 4. num. 35. vol. 4.* Menoch. De

ar.

arbitr. lib. 2. cent. 3. Caſu 201. *num.* 30. Sylueſter. *verbo*. Reſcriptum. *quæſt.* 6. Sà *verbo*. Gratia. *num.* 10. Molina *De iuſt. & iure tract. 2. diſp.* 173. ver. *Vt item legitima tio.* Imo, quando tacetur aliquid circa qualitates extrinſecas diſpenſationis, aut falſum narratur, non vitiatur diſpenſatio, etiam ſi ſuperior veritate cognita nō eſſet conceſſurus, quod concedit, docent Sanchez *lib. 8. de matrim. diſp.* 21. *num.* 17 & *lib. 4. Sum. cap* 47. Suarez *tom. 2. de relig. lib. 6. de voto. cap. vlt. num.* 11. *& ſequē.* Salas *diſp. 20. de legib. ſect.* 15. *num.* 115. *& ſequen.* Bonac. *diſp. 1. De legib. qu. 2. punc.* 4. *num.* 3. Mandoſ. *reg. 32. Cancellar. qu.* 9. *num.* 10. Gutierez *lib. 2. Quæſt. canon. c.* 15. *n.* 29. Quia nimirum hæc omnia pertinent ad cauſam impulſiuam, & ſubſiſtente cauſa finali ſubſiſtit etiam voluntas in concedente; quia ab ipſa mouetur ad concedendum.

5 Stante autem hac doctrina idem dicendum eſt in cauſa præſenti. Nam duæ cauſæ concurrunt ad erogationem eleemoſinæ; nempe ſubleuatio indigentis, & opus pietatis, ſeu exercere pietatē propter Deum. Prima eſt cauſa impulſiua, ſecunda verò cauſa finalis. Quando enim concurrunt duæ cauſæ, quarum vna eſt finis operis; altera verò finis operantis, quæ eſt finis operantis eſt principalior, & abſolutè mouens, ſiquidem altera aſſumitur tanquam mediū, & proinde ſupponit determinationem, ſeu intētionem in aſſumente, & tantum impellit ad exequendam determinationem. Subleuatio autem pauperis eſt finis operis, ſeu eleemoſinæ; & exercere pietatem eſt finis erogantis eleemoſinam, & ideo illa eſt cauſa impulſiua; quæ licet non ſubſiſtat, quia paupertas eſt ficta; & ideo non interuenit ſubleuatio pauperis, ſubſiſtet eleemoſina, quia ſubſiſtit cauſa finalis. Quare quod ſi ficta paupertas ſit cauſa impulſiua, non adſit obligatio reſtituendi, tenent Sotus *lib. 9. De iuſt. &* ... 7. *ar.* 3. *ad* 4. Medina C. De *reſtit.* ... *par. 3. lib. 4. c.* 21. *q.* 8.

1. *iure q.*
q. 23. Azor.

An teneat collatio facta ab Ordinario beneficij vacati per obitum in vltima nocte menſis reſeruati ſpirantis, ſi aliqua horologia pulſauerint ſignum mediæ noctis, & alia non. Quæſt. 393.

S V M M A.

1 *Reſeruatio non excluditur niſi superueniente certo tempore, pro quo non ſit facta reſeruatio.*
1 *Dubitans in die ieiunij, an media nox ſit elapſa, non poteſt cœnare.*
2 *Beneficium vacatum in vltima nocte menſis reſeruati, poſt quam aliqua horologia pulſauerunt mediam noctem, & alia non, an poſſit conferri ab Ordinario.*
3 *Singula horologia faciunt probabile tempus iudicatum.*
3 *Poſſumus ſequi quodcunque horologium.*
4 *Beneficium vacatum in vltima nocte menſis reſeruati pulſata media nocte per aliqua horologia, & non per alia poteſt conferri tum ab Ordinario tum à Papa.*
5 *Si ab vtroque conferatur, quæ prouiſio ſuſtinenda.*
5 *Reſeruatio beneficij non poteſt opponi, niſi concludenter probetur.*
6 *Dies vltimus pulſata media nocte per aliqua horologia non eſt probabiliter in poſſeſſione reſeruationis.*
6 *Melior eſt conditio poſſidentis, quando valeat.*
7 *Dubius, an ſit elapſa media nox in die ieiunij, quando non poſſit comedere.*
8 *Qui prætendit prouiſionem Apoſtolicam, debet probare vacationem in menſe reſeruato.*
8 *Ratione poſſeſſionis præſumitur dominium.*
8 *Prouiſus ab Ordinario, etiam ſi ſit actor, debet manuteneri, ſi aduerſarius non probet concludenter.*
9 *Prouiſus ab Ordinario quando debeat concludenter probare, vt excludat prouiſum à Papa,*

1 Dictam collationem beneficij nō poſſe ſuſtineri, videtur reſoluēdum, quia dies vltimus menſis reſeruati eſt in poſſeſsione reſeruationis, à qua nō poteſt deturbari, niſi per certum ſuperue-

uenientiam ſubſequentis diei, quia cum poſſeſsio ſit certa, non poteſt tolli, niſi per certam ſuperuenientiam temporis non reſeruati. Modo autem, dum ſolum aliqua horologia indicant mediam noctem, & alia non indicant, non adeſt certa ſuperuenientia ſubſequentis diei, ſed dubia. Deinde cum illa horologia, quæ pulſauerunt, ſolum faciant probabile, quod media nox ſit impleta, & alia, quæ non pulſauerunt, faciāt probabile, quod non ſit completa, remanet dubium, an ſit completus menſis reſeruatus: vnde cum vigore illius menſis reſeruatio ſit in poſſeſsione, iudicandum eſt pro ipſa, cũ in dubijs melior ſit conditio poſsidentis. Propterea, ſi hodie ſit dies ieiunij, & dubitem, an ſit media nox, non poſſum cœnare, vt docent Sanchez *lib. 2. de matrim. diſp. 41. num. 40. ver. Contrarium tamen.* Facundez *præcep. 4. Eccleſ. lib. 1. cap. 10. n. 3* Laiman. *lib. 1 theol. mor. tract. 1. cap. 4. n. 36.* Trullench. *lib. 3. in Decal. cap 2. dub. 4 num. 8.* Breſſer. *lib. 4. de conſcient. cap. 11. num. 103.*

2 Attamen *hoc non obſtante, dictam prouiſionem factam ab Ordinario ſubſtinẽdam puto*. Ratio autem eſt, quia cum non poſsimus præcisè ſcire punctum mediæ noctis, nec etiam iudicare poſſumus, quodnam ex pluribus horologijs illud indicet; imo eſt moraliter impoſsibile, quod aliquod ex ipſis cum ipſo prę cisè concordet. Vnde, quando iudicantur regulatè procedere, ſingula faciunt probabile, quod ſit media nox, dum ipsā indicant. Imo etiam ſi plura concordent, non faciũt magis probabile, quàm faciat vnum, quia fieri poteſt, vt hoc vnũ ſit magis regulatum, vt dixi in *Praxi Ieiunij. Deciſ. 444. num. 4.* Et ideo poſſe nos ſequi horologium, quod libuerit, tradunt Sanchez *lib 2. de matrimon. diſp. 41. num. 40. ver. Quod ſi diuerſa*. Facundez *præcep. 4. Eccleſ lib. 1. cap. 10. num. 3.* Io. Sanchez *in ſelect. de ſacram. diſp. 42. num. 18.* Villalob. *tom. 1. Sum. tract. 1. difficul. 21. n. 7.* Bonac. *diſp. 1. de ſacram. in genere. q. 2. punc. 2. §. incidenti. num. 9.* Breſſerus *lib. 4. de conſcient. cap. 11. nu. 106.* Caramuel *in Reg. S. Benedic. diſp. 101. num. 1328.* & alij, quos citaui in dicta *deciſ. num. 2.*

3 Hoc ergo ſtante cum beneficium vacauerit per obitum ſequutum inter pulſus diuerſorum horologiorum indicantium mediam noctem, ſicut ex illis horologijs aliqua probabile faciũt, quod ſit tranſacta media nox, & alia, quod nõ ſit tranſacta; ita etiam reſultat hinc inde probabilitas pro reſeruatione; nam in virtute aliquorum probabile fit, quod expirauerit; in virtute verò aliorum probabile ſit, quod non expirauerit. Cum ergo ex dictis poſsimus ſequi quodlibet horologium in ijs, quę regulanda ſunt ſecundum terminum mediæ noctis, ſequitur, quod collatio dicti beneficij tàm ſpectet ad Ordinarium, quàm ad ſummum Pontificem, quia poteſt Ordinarius ſequi primum horologium, & conferre beneficium, tanquam non amplius reſeruatum, & Summus Pontifex poteſt ſequi vltimum horologium, & conferre beneficium tanquam reſeruatum; ita vt ius conferendi non magis ſe teneat ex parte vnius, quàm ex parte alterius.

4 Hinc ergo fit, quod illa prouiſio ſit ſubſtinenda, quæ eſt prior tempore, atq. adeo prouiſio ordinarij, quia quādo plures conferre poſſunt idem beneficium, ſubſiſtit prouiſio, quæ eſt prior tempore Cap. *Dudum. §. Nos igitur. §.* & Cap. *Si à Sede. De præben. in 6.* & Cap. *Si plures. §. Porro De offic deleg. in 6.* & Doctores in hos tex. & notant Staphil. *De litter. grat. in Prælud. num. 8.* Gomez *de expectat. nu. 16.* Boer. *qu. 24. num. 4. & qu. 287. num. 1.* Abbas *in Cap Quia diuerſitatem. num. 5. De conceſ. preben.* Bonifac. Vitalin. *in Clem. 1. num. 38. ver. Vnde ſi papa*. Vt *lite pen.* Rebuf. *in Concor. in Rubr. de mand. Apoſt. §. Declarantes. in gloſ. ver. Iure preuen.* Gonzalez *ad reg. 8. canc l. §. 3 proem. n. 1. & ſequen.* Rota *Deciſ. 1. num. 2. De præben. in nouiſ. & Deciſ. 17. num. 2. ver. Praterea Papa. De præben. in nouiſ. & Deciſ. 272 num. 4. lib. 2. par. 3. diuer.*

5 Præſertim, quia cum prouiſus ab ordinario eodem fundamento poſſit oſtendere reſeruationem expiraſſe, quo cõtra ipſum probatur, non expiraſſe, non habet contra ſe ſufficiens fundamentum, vt

vt poſſit excludi à poſſeſsione, & proinde non poteſt contra ipſam opponi reſeruatio; quia quando opponitur, concludenter probanda eſt. vt tradunt Bellam. *Deciſ.* 612. Lotter. *De re benef. lib.* 2. *q.* 32. *num.* 57. Caualcan. *Deciſ.* 266. *num.* 6. Puteus *Deciſ.* 265. *num.* 3. Ludouiſ. *Deciſ.* 46. *& Deciſ.* 53. *num.* 5. Rota *Deciſ.* 53. *par.* 2. *Diuerſ.* et *Deciſ.* 143. *num.* 1. *par.* 7. *Recent.* et in *Pamp lonenſ. Beneſ. de Allo.* 8. *Martij.* 1577. *coram Lauretano. & in Ginn. Canonicat. & præben.* 4. *&* 11. *Maij* 1587. *coram Oriolen.*

6 Neque obſtant, quæ *num.* 1. in oppoſitum allata ſunt, nam reſp. quod dies vltimus menſis reſeruati pulſato ſigno mediæ noctis per vnum horologium nõ eſt amplius probabiliter in poſſeſsione reſeruationis, quia probabiliter aduenit dies ſubſequens, qui facit, quod poſſeſsio reſeruationis non ſit amplius certa, ſed ſolum probabilis in ordine ad alia horologia. Et proinde non requiritur certa ſuperuenientia ſubſequẽtis diei, vt deturbetur à poſſeſsione, ſed ſufficit probabilis, quia ſicuti certa poſſeſsio requirit certũ ius, vt deturbetur, ita etiam probabilis per ſolum probabile ius poteſt deturbari, præſertim quando agitur ſolum de deturbatione probabili, non autem de certa. Hinc non ſumus in dubijs, ſed in probabilibus hinc inde. et proinde ex vtraque parte militat eadem ratio. Quandò autem dicitur, quod in dubijs eſt melior conditio poſsidentis. Valet, ſi inter alias conditiones hæc quoq; concurrat, quod poſſeſsio ſit certa, nam ſi dubium ſit, an quis poſsideat, ſeu ſit probabile, quod non poſsideat, non habetur pro poſſeſſore.

7 Ad id autem, quod affertur de ieiunio reſp. Quicquid ſit de illa ſententia, de qua dixi in *Praxi Ieiunij. Deciſ.* 164. *nu.* 2. reſp. Quod illi Doctores intelliguntur de dubio negatiuo, quando non adeſt motiuum inclinans neque in vnam, neque in aliam partem. non autem de dubio poſitiuo; nam etiam ipſi docent, quod poſſum ſequi primum horologium, et comedere carnes, quia per ipſum fit probabile, quod ſit completus dies ieiunij, quamuis remaneat dubium poſitiuum, an ſit completus, ſi quidem eſt etiam probabile, quod non ſit completus, cum alia horologia non pulſauerint.

8 Ex quibus ſequitur. Quod ſi prius vnus in tali caſu ſit prouiſus ab Ordinario et alius ab Apoſtolica ſede, debet cõtra hũc manuteneri prouiſus ab Ordinario. Quia actor, dum ſe fundat in prouiſione Apoſtolica, tenetur probare vacationem de tali menſe reſeruato, vt tradunt Feret. *Conſil.* 2. *num.* 13. *vol.* 1. Puteus *Deciſ.* 33. *lib.* 1. et *Deciſ.* 206. *&* 265. *lib.* 3. Stante præſertim poſſeſsione, ratione cuius præſumitur dominus Clemen. 1 §. *Quod ſi vnum.* Vt *lite pendente.* vbi Gloſ. *verbo. Poſſidebat.* et cœteri Doctores. et ſit, Quod etiam ſi prouiſus ab Ordinario ſit actor, ſi aduerſarius non probet concludenter ſuam intentionem, debeat ad huc manuteneri, vt tradunt Flamin: *De reſignat. lib.* 10. *q.* 1. *num.* 24. *&* 25. Gonzalez *ad reg.* 8. *Cancel. gloſ.* 11. *num.* 31. Rota *Deciſ.* 1. et *Deciſ.* 11. *per totas. De ſent. & re iud.*

9 Nec obſtat, quod prouiſus ad Ordinario ad excludendum prouiſum ab Apoſtolica Sede debeat concludenter probare intentionem ſuam Cap. *In præſentia. De probat.* Gõzalez *ad Reg.* 8. *Cancel. gloſ.* 43. *num.* 98. Et quod beneficium ſit liberæ collationis, vt tradunt Gonzalez *ad reg.* 8. *Cancell. gloſ.* 15. *num.* 8 cum Rota *in Cordubenſi dimidiæ portionis* 13. *Febr.* 1602. *coram Sacrato.* Quia hoc ſolum habet locum, quando prouiſio Apoſtolicæ ſedis fuit prior tempore prouiſione facta ab Ordinario. et quando agitur de beneficio, de quo dubitatur, an ſit reſeruatum; non autem quando agitur de ſpiratione menſis reſeruati, vt in caſu præſenti; nam cum certum ſit, quod Ordinarius poteſt in ſuis menſibus conferre tale beneficium; et duratio reſeruationis non ſit certa, imo probabiliter expirauerit, tenetur, qui ſecundo loco prouiſus eſt concludenter probare ſuam intentionẽ, quod in præſenti caſu impoſsibile eſt. Et quia in hac materia emanauerunt nonnullæ Deciſiones Rotæ, eas hic ſubijciam.

Reuerendiſs. D.

GHISILERII PRODECANI.

Abuleñ. Portionis.

Luna 17 *Decembris* 1646.

DECISIO I.

De concurſu prouiſi Apoſtolici cum prouiſo ab Ordinario ſtante dubia reſeruatione: vbi de horologijs.

SVMMA

10 *Fundamentum intentionis eſt concludenter probandum.*

10 *Ceſſat exequutio litterarum Apoſtolicarum collationis beneficij non iuſtificata reſeruatione.*

11 *Quando deferendum teſtibus.*

12 *Teſtes iuuantur adminiculis.*

13 *In dubio cui horologio ſtandum.*

13 *In pari probatione circa reſeruationem, vel non reſeruationem prouiſio Ordinarij præferenda.*

13 *Prouiſio ab Ordinario ſufficit vincere ex non iure actoris.*

14 Prouiſus *Apoſtolicus quando præferendus.*

14 *Reſeruatio debet eſſe clara, vt annullet collationem Ordinarij.*

PER obitum Franciſci d' Aguirrè vltima die Menſis Auguſti 1642 vacauit Portio in Cathedrali Abulenſi, de qua, vti vacanti in menſe reſeruato prouiſus fuit per fel. record. Vrbanum VIII. Franciſcus de Auila cum clauſula, dummodo eius diſpoſitio ad nos hac vice pertineat, & cum alia clauſula amoto exinde quolibet detentore, de quibus in litteris ſuæ prouiſionis directis Officiali Epiſcopi Abulen. ſub datū, Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ 16. Kalend. Ianuarij. De eadem portione ſub prætextu, quod Franciſcus vltimus poſſeſſor deceſſerit poſt mediam noctē ſupradicti vltimi diei menſis Auguſti, & ſic prima die menſis Septembris qui nō eſt reſeruatus, fuit ordinaria auctoritate prouiſus Alphonſus de Caldas, vti electus ad eādem portionem à Decano, & Capitulo dictæ Eccleſiæ vigore concordiæ Turni initæ, & factæ cū D. Epiſcopo Abulen. cuius vigore fuit immiſſus in poſſeſſionē. Introducto iudicio per Frāciſcū prouiſum à Sede Apoſtolica coram Ordinario Abulen. ſuper exequutione dictarum litterarum, reportauit contrariam ſentētiam, in qua fuit declaratum, illum non probaſſe narrata in litteris Apoſtolicis, & memoratum Alphonſum probaſſe ſuas exceptiones, & conſequenter non habere locum petita per prædictum Franciſcum quoad exequutionem Bullarum per ipſum præſentatarū, & Alphonſum manutenendum in poſſeſſione prædictæ Portionis, & nequaquam poſſe moleſtari, aut perturbari in poſſeſſione. Deuoluta cauſa appellationis ad Rotam datum fuit dubium, an litteræ Franciſci eſſent exequendæ, quod negatiuè fuit reſolutum.

10 Quia Franciſcus prouiſus Apoſtolicus actor contra Alphonſum prouiſum à Capitulo poſſeſſorem non probauit cōcludenter, Franciſcum d'Aguirrè obiiſſe ante mediam noctem vltimi diei menſis Auguſti fundamentum ſuæ intentionis, cum non agatur ſimpliciter de probando obitu Franciſci, ſed de eo probando in menſe Auguſti, quia gratia Apoſtolica eſt fundata principaliter ſuper obitu in Menſe Auguſti, & ſic cum obitus in Mēſe Auguſti ſit fundamentum intentionis Prouiſi Apoſtolici, regulare eſt, quod requiratur plena probatio *l. cum autem de negoc. geſt. leg. Matrem C. de probat. Bart. & alij in l non ſolum §. ſed. & probari n. 2. ff. de nou. oper. nunciat.* Ideo cum non fuerit iuſtificata, reſeruatio in litteris ſuæ prouiſionis narrata circa dictum obitum in menſe Auguſti, ceſſat exequutio litterarum Apoſtolicarum. *Rota coram Cæſar. de Graſſ. dec. 12. de probat. deciſ. 221. nu. 3. verſ. placebat et am par. 2. diuerſ. & deciſ. 129. n. 5. par. 3. recent.*

11 Ad probandam qualitatem obitus

Franciſci prædeceſsoris ante med am noctem vltimi diei Auguſti Prouiſus Apoſtolicus curauit, examinari in partibus plures teſtes, quorum primus depoſuit, quod d. Portionarius prædeceſſor obijt, antequam audirentur horæ Horologiorum S. Thereſię Fratrum Carmelitarum Diſcalceatorum, & S. Ioannis ciuitatis Abulen. quorum primo contigua eſt domus, in qua ille deceſsit; alterum vero eſt proprię Parochiæ valdè propinquũ, & cum quibus ſe gubernabat eadem domus, vt deponunt ſuper hoc teſtes examinati. Secundus dixit, quod poſtquam expirauit d. Franciſcus de Aguirrè Portionarius, audiuit horam duodecimam noctis S. Matris Thereſiæ, ſextus verò præcisè depoſuit, ſe fuiſse præſentem, quando memoratus Franciſcus obijt vltima die Menſis Auguſti eoque mortuo audiuiſse pulſare horam duodecimã ad Horologia Sanctæ Thereſiæ dictæ Ciuitatis Abulen. dictis autem teſtibus multum eſt deferendum, cum primus, & ſextus ſint Fratres Frãciſci, & habitauerint in eadem domo, ac fuerint præſentes illius morti, & ſecundus eſset illius familiaris degens in eadem domo, quibus accedunt alij plures deponentes de auditu.

12 Pro Alphonſo prouiſo ab Ordinario fuerunt examinati alij teſtes, qui licet non contrarientur ſupradictis teſtibus Franciſci, cum nemo ex illis neget de horologio S. Thereſiæ, affirmant tamẽ 1, 2. 3 & 4. quod ab horologio Eccleſię Cathedradralis hora 12. noctis pulſata fuerat ante obitũ Portionarij. quod nec negãt teſtes prouiſi Apoſtolici; quin immo tertius teſtis Fabianus de Eſcobar ratificat depoſita in primo examine, in quo dixerat, quod defunctus obierat poſt pulſatam 12. horam in Cathedrali; quodq. mors ſequuta fuerit poſt pulſatam 12. horã in Cathedrali, adminiculatur Partita libri pitantiarum Eccleſiæ Abulen. nec non partita capparum nuncupat. d. Eccleſiæ Abulen. in quibus habetur, Portionarium Franciſcum de Aguirrè obijſſe die prima Septembris hora 12. cum dimidia, & etiam depoſitio trium teſtiũ examinatorum, quorum vigore prouiſor Abulen. declarauit prouiſionem portionis integræ, quæ vacauit per obitum Franciſci de Aguirrè eo, quod conſtat, obijſſe in Menſe Septembris, ſpectare, & pertinere ad D. Epiſcopum, aut Capitulum Cathedralis, ad illum nempè, qui ex eis extiterit in Turno iuxta concordiam factam, & per ſuam Sãctitatem approbatam.

13 Et licet in dubio, cui ex dictis horologijs, an S. Thereſiæ, ſeu potius Cathedralis ſtandum ſit, videatur, vt tradunt *Garz. de benef. par. 5. cap. 1. num. 525. Barb. de poteſt. Epiſcop. alleg. 57. num. 185. Caſtro pallao oper. moral. tom. 2. tract. 13. punct. 22 §. 2. ſub nu. 1.* Standum horologio S. Thereſiæ, cum ſit vicinius domo; in qua defunctus obijt, & per illud communiter regeretur domus, & demum ceſſet fraus, & notabilis deordinatio illius, præſertim quia per plures teſtes examinatos pro prouiſo Apoſtolico conſtat, horologium præfatum habere diligentes moderarores, & ſemper à motu ſolis regulari; nihilominus DD. aduertentes, tertiũ, quartum, & quintum teſtem ex examinatis pro Alphonſo depoſuiſſe, quod ante horologium Cathedralis pulſauerant 12. horam horologium S. Thomæ Fratrũ Carmelitarum Calceatorum, & Societatis Ieſu, ac quintum addere; horologiũ S. Franciſciſci ad excludendam reſeruationem, quę eſt odioſa, & ſaluandam collationẽ Ordinarij, quæ eſt fauorabilis iuxta Theoricam *Bobadil in Polit. l. b. 5. c. 3. n. 28.* quam ſequuntur Garzias. Barboſa, & Caſtropalaus vbi ſupra recedendo a ſupradicta regula cenſuerunt, etiamſi adeſſent pares probationes, præferendam eſſe probationem prouiſi ab Ordinario Rei, & poſſeſſoris ad effectum, vt debeat abſolui, cum ipſi ſufficiat vincere ex non iure actoris *Felin. in cap. olim de reſcript. num. 9. & 10. Caput. dec. 174. num 6. par 2. & dec. 133. part. 3.* & in dubio facienda ſit interpretatio pro non reſeruatione, per quam interpretationem non fit graue præiudicium Papæ, qui concurrit cum omnibus Ordinarijs; fieret tamen graue præiudicium

dicium Ordinario priuando eum ſua prouiſione,

14 Nec ſupradictis obſtat *text. in cap. ſi a Sede Apoſtolica de preben. in 6.* de cuius materia latè *Gonzal. ſuper regula 8. §. 3. proemiali. num.* 50. vbi quod in concurſu prouiſi à Sede Apoſtolica, & ab Ordinario præfertur Prouiſus Apoſtolicus; quia ſolùm procedit, vbi conſtat de prouiſione, aut etiam reſeruatione Papę concurrente cum prouiſione Ordinarij, & dubitatur ſolùm de anterioritate, in propoſito autem ex ſupradictis dubitatur de reſeruatione, vt benè diſtinguendo declarat *Garzias, vbi ſupra d. cap. 1. num.* 533. In omnem caſum, cum negari non poſſit, quin reſeruatio ſaltem ſit turbida, non eſt locus exequutioni prouiſionis Apoſtolicæ, tanquam de reſeruato. Illa enim debet eſſe clara, & indubitata, cum tendat ad annullandam anteriorem collationem Ordinarij, & excludendum reum, & poſſeſſorem. *Rota coram Caput. deciſ.* 10 *par. 2. coram S. mem. Greg. XV. deciſ. 58. num. 1. coram bon. mem. Burat. deciſ. 761. num. 3. in recent. deciſ. 407. par. 1. deciſ. 245. num. 1. par. 6. in Bononien. Beneficiorum 29. Maij 1645. coram R.P.D. meo Bichio, & in alijs per Gonzal. vbi ſupra gloſ. 11. n. 100. & ſeqq.*

Et per conſequens ob non iuſtificationem litterarum Apoſtolicarum DD. vtraque parte informante dixerunt, litteras Franciſci Prouiſi à Sede Apoſtolica, tamquam de reſeruato, non eſſe exequendas.

R. P. D.

CELSI

Abulen. Portionis.

Ven. 14. Iunij 1647.

DECISIO II.

De eadem materia, vbi de diuiſione menſium reſeruatorum à non reſeruatis, de teſtibus, & horologijs.

SVMMA.

15 *Concludenter probandus obitus intra menſem reſeruatum, vt ſuſtineatur prouiſio Apoſtolica,*
16 *Tempus, quando eſt de ſubſtantia, debet concludenter probari.*
17 *Dies quando incipiat, et finiatur.*
18 *Quæ fiunt poſt mediam noctem, ſequenti die cenſentur facta.*
19 *Diuiſio menſium Apoſtolicorum, et Ordinarij, quomodo attendatur.*
20 *Modus, et forma examinandi teſtes.*
20 *Quando plura horologia concurrunt, ſtatur pluribus.*
21 *Interrogatus de duobus, ſi vnum tantum affirmet, alterum cenſetur negare,*
22 *Libri Pictantiarum Cathedralis in quibus probent, accedentibus præſertim adminiculis.*
23 *Stante probatione turbida reus, et poſſeſſor eſt abſoluendus.*

15 A Sententia lata ad fauorem Alphonſi, in qua dictum fuit, litteras Franciſci eſſe ſubreptitias, nullas, nec exequendas, & propterea benè iudicatum per officialem Abulen. malèque appellatum pro parte Franciſci; Iterum appellauit Franciſcus, cauſaque appellationis mihi commiſſa, dedi dubium, an d. ſententia eſſet cõfirmãda, vel infirmãda; & Domini pro confirmatione reſpõderunt; Moti ex eo, quia Franciſcus non probauit præciſè obitum Portionarii defuncti in menſe Auguſti, vt tenebatur, & quidem concludenter, pro iuſtifica-

tione reſeruationis in concurſu cum Alphouſo prouiſo ab Ordinario *Rota deciſ. 46. num. 3. verſ. ſi vero agat.ur. & nu. ſeq. par. 2. diuerſ. & in Placētina Canonicatus, præbenda 1. Martij 1599. coram Orano, penes Marcheſ. de commiſſ. tom. 1. fol. 339. Greg. deciſ. 37. num. 1. Caualer. deciſ. 33. nu. 2. cum alijs per Gonzal. ad reg. 8. gloſſ. 11. n. 100. verſ. tamen quando, quem ſequitur modern. Roman. de re beneſ. lib. 3. q. 10. nu. 37. & 40.*

16 Nā quando tēpus eſt de ſubſtantia, tūc probatio debet eſſe concludens etiā reſpectu temporis *iux tex. in c In præſentia de prob. Iaſ. conſ. 46. num. 27. lib. 3. Purpur. conſ 498. num. 2. Caputaq. deciſ. 278 n. 5. part. 3. Caſ. de Graſſ. deciſ. 21. num. 6. de prob. Mantic deciſ. 95. num. 3. & deciſ. 149. num. 5. part. 4. diuerſ. & in Albanen. confinium 13. Ianuarij 1623. coram* R. P. D. *meo Pirouano.*

17 Propterea quamuis Franciſcus probet obitum Portionarij in vltima nocte menſis Auguſti; Nihilominus concludenter non probat, illum, fuiſſe ſecutum ante mediam noctem, prout requirebatur ad dictum effectum; Dies enim incipit à media nocte, & ſequētis noctis media parte finitur, vt ſunt verba *I. C. in l. More Romano ff. de fer. l. 1. ff. de manumiſſion. cap. conſuluit 24. ibique Felin. num 6. verſic. de hoc habemus de off. & poteſt. Iud. deleg. Decian. conſ. 65. num. 22. verſ. & quamquam lib. 2. Caſtracan. de Societ. cap. 62. num. 4. & 5. Rota deciſ. 333. n. 1. par. 4. diuerſ.*

18 Ind , quæ fiunt poſt mediam noctem, [illegible]quenti die facta cenſentur, *l. qua ætate 5. in fin. verſ. plus arbitror ff. qui teſt. fac. poſſ. l. Ideoque 7. ff. de vſucap. Feder. de Sen. conſ. 256. num. 2. verſ. & excludendo caſum, Bellam. conſ. 1. numer. 3. verſ. & in tantum, Larra de Cappell. lib. 1. cap. 9. nu. 25. Rota in Peruſina Parochialis 28. Iunij 1617. coram bo. mem. Card. Veroſpio.*

19 Et in terminis diuiſionis menſium ſuper collatione beneficiorum inter Pōtificem, & Epiſcopos, quod attendatur diſpoſitio *dicti tex. in l. more Romano*, ita vt ſi beneficium vacet ante mediā noctem menſis Ordinarij, ſpectet ad Ordinarium, ſi vero poſt, pertineat ad Papam *tradit Rebuff. de verb. ſignif. in l. 2. fol. mihi 39. verſ. ſed quomodo, & tract. nominat. quæſt. 16. num. 2. & de Collat. in S. præfatique Ordinarij. verbo. ſequentibus menſibus. littera E. pag. 609. Gonzal. ſuper reg. 8. gloſ. 11. num. 9. & ſeqq. Garz. de beneſ. 5. par. c. 1. numer. 523. Polidor. Ripa de noct. temp. cap. 160. num. 5. & cap. 161. num. 3. Barboſ. de poteſt. Epiſcop. alleg. 57. num. 183. & ſeqq. Ferd. à Caſtro Palao oper. moral. par. 1. tract 13. diſp. 2. punct. 22. §. 2. nu. 1. & optimè Ioſeph Ludou. de Peruſ. deciſ. 116. num. 6. & 7.*

20 Nec obſtant teſtes pro Franciſco examinati, nam licet primus, & ſextus fratres Portionarij defuncti dicant, illum deceſsiſſe ante pulſatam horam duodecimam ab Horologio Eccleſiæ Parochialis S. Ioannis, & Monaſterij S. Tereſiæ, tamen non negant, alia pulſaſſe. Imò ſecundus nēpe Fabianus de Eſcobar Præfectus domus ipſius defuncti, & tertius Franciſcus de Santiago Parochus prædictę Eccleſiæ S. Ioannis Io. Sanch. teſtis vndecimus, ac etiam duodecimus religioſus Ordinis Diſcalceatorum, qui omnes in actu obitus interfuerunt, deponunt expreſsè ante mortem prædicti Portionarij pulſaſſe horologium Eccleſiæ Cathedralis, & cum prædictis cōcordat ipſe Gubernator Ciuitatis Miles S. Iacobi de Spata, & alij teſtes ex officio ēxaminati per Vicarium Epiſcopi, iuxta formam, & modum traditum *per Gonzal. vbi ſupra num. 10. verſ. proinde & ſeq & per Polidor. Rip. de noct. temp. cap. 161. num. 3. ac per Ioſeph. Ludou. d. deciſ. 116. num. 6.* qui omnes reperiti ad inſtantiam Alphonſi, & præſertim 1. 2. 3. & 4. deponunt, quod ante horologium Eccleſiæ Cathedralis pulſauerant plura horologia diuerſarum Eccleſiarum, & in ſpecie horologia Conuētus S. Thomæ Ordinis Prædicatorum, & Conuentus Carmelitarum Calceatorum, nec non alterum Eccleſiæ *Soc.* Ieſu, & addit quintus teſtis, quod pulſauerat etiam horologium S. Franciſci, certum eſt autem, quod quando diuerſa concurrūt horologia, tunc ſtatur numero pluribus ad inſtar teſtium, vt notat *Parlador. lib. 3.*

q.9.num.10. verſ.at ſi multa,& num. ſeq. Barboſ.de pot. Epiſc.alleg.57.num.186. in fine, Caſtro Palao vbi ſupra d. punct.22. §. 2.n.1.verſ.ſecus quando plura ſunt.

21 Quæ concluſio eò facilius procedit in præſenti caſu, quia dd. duo horologia, quæ fauent eidem Franciſco conſueuerũt ſemper pulſare tardius cœteris per ſpatiũ cir. dimidiæ horæ, vt deponunt multi ex prædictis teſtibus, & quod magis eſt, alterum ex eis, nempè illud S. Ioannis, vltra tarditatem, procedebat vt plurimum inordinatè, & malè gubernabatur, quod non audent negare, quin potius vidẽtur admittere duo teſtes fratres defuncti pro Franciſco inducti, dum reſpondentes ad articulum ſuper qualitate ipſius horologij, dicunt quidem, quod habet ſuũ moderatorem cum ſalatio, ſed tacent an benè ſit gubernatum, & ordinatè procedat, vnde contrarium videntur deponere ex illa regula, quod interrogatus de duobus, ſi vnum tantum affirmet, alterum cenſetur negare *l. & ſi line 8. §. ſed quod Papinianus ff. de minor. Pacian. de prob. c. 34. n.1.*

22 Et è conuerſo concurrit pro Alphõſo partita libri Pictantiarũ Eccleſiæ Cathedralis concepta ſub his verbis, *hodierna die Lunę prima Septembris, Pictantia pro Miſſa &c. hanc & alias perdidit Dominus Portionarius Frãciſcus de Aguierre, quia obijt die 1. Septembris hora 12. cum dimidia:* Nec non partita libri Capparũ eiuſdem Eccleſiæ, vbi habetur, *Portionarius Franciſcus de Aguierre obijt prima die Septembris poſt dimidiam noctem*, quibus libris circa hanc materiam omninò eſt ſtandum, præſertim cum ex depoſitione prædictorum teſtium ſint optimè adminiculati, vt in terminis firmauit *Rota in Taruiſina Canonicatus 1. Mart. 1599. coram Corduba, Buratt. deciſ.548. nu.1. Duran. deciſ.216. eodem num. & in rec. dec.629. par.2. et dec.205. in princ. par.4. tom.1.*

23 Et in omnem caſum ſaltem negari non poteſt, quod ex prædictis probatio pro Franciſci reddatur omninò turbida, ita vt Alphonſus reus, & poſſeſſor veniat abſoluendus, *vt benè per Gonzal. ſuper reg.8. gloſ.11. numer.26 et ſeq. Garz. de benef. par.5. cap. numer.527. et ſeqq. et præſertim num.529. Barboſ. de pot. Epiſcop. alleg.57. n.188. Rota coram Puteo dec.206. et dec.265. lib.3.*

Et ita vnica tantum parte informante deciſum, altera pluries citata, & expectata.

Reuerendiſs. D.

DVNOZZET
DECANI

Abulen. Portionis.

Lunæ 22. Iunij 1648.

DECISIO III.

De eadem materia. vbi de inceptione reſeruationis; de teſtibus, & ieiunio.

SVMMA.

24 *Sine læſione non datur reſtitutio in integrum.*
25 *Validitas ſententiæ vnde reſultet.*
26 *Iuſtitia ſententiæ Rotæ conſtat ex Deciſionibus.*
27 *Duodecim pulſus deſignant mediam noctem apud Hiſpanos.*
27 *Ad effectum reſeruationis menſis incipit, et terminatur à media nocte.*
27 *Horologia attenduntur tanquam teſtes, & ſtandum numero pluribus*
28 *Verbum*, videtur, *quando non minuat fidem teſtis.*
29 *Prima, et ſecunda pulſatio horologij vnde cognoſcatur.*
30 *Dicta teſtium non cauillanda, ſed ſuſtinenda, et reducenda ad concordiam.*
30 *Numerus teſtium ſupplet aliquam exceptionem.*
31 *Pro offuſcanda contraria probatione non requiruntur tàm exactæ probationes.*
32 *Reſeruatio debet clare conſtare præſertim contra prouiſum ab Ordinario.*
33 *Ieiunium non frangitur ſi dubitatur de exceſſu mediæ noctis, ſi dies præcedens ſit ieiunij: ſecus conuerſo.*
33 *Quid, ſi adſint diuerſa horologia diuerſimodè regulata.*

Re-

24 RESolutum fuit, non conſtare de cauſis reſtitutionis in integrum aduerſus tres conformes declarantes litteras Apoſtolicas Franciſci de Auila expeditas ſuper prouiſionem Portionis, de qua agitur, non eſſe exequendas quia dictæ ſententiæ viſæ fuerunt DD. validæ, & iuſtæ, & per conſequens excludere læſionem, ſine qua reſtitutio non datur *Rota decis. 1. n. 3. de reſtit. in integr. in nou. deciſ. 323. num. 1. & deciſ. 426. num 1. coram Buratt. deciſ. 194. num. 2. coram Caual. & fuit dictum in Brunduſina Pecuniaria 23. Iunij 1645. coram R. P. D. meo Ghiſilerio & in Romana pretenſæ Societatis 12. Iunij 1645. coram R. D. P. meo Otthobono.*

25 Validitas non controuertitur, & patet ex reuolutione actorum, ex quibus apparent fuiſſe ſeruata omnia de iure ſeruanda iuxta *vulg. Caputaq. deciſ. 260. par. 2. bon. mem Coccin. deciſ. 429.*

26 Iuſtitia vero reſultat ex deciſionibus in ſecunda & tertia inſtantia factis coram RR. PP. DD. meis Ghiſilerio, & Celſo, in quibus ſatis ſuperq. demonſtratũ fuit, cur prædictæ litteræ non ſint exequendæ, nimirum quia non fuerunt iuſtificatæ in eo, quod hæc Portio vacaſſet de menſe Auguſti Sedi Apoſtolicæ reſeruato, prout fuit & cum quo fundamento gratia fuit obtenta; ex deciſionibus namque in eadem cauſa promanatis bene deſumitur iuſtitia ſententię Rotalis, quãdo, prout hic, nil quod reuelet contra eas opponitur, vt ſæpius dixit *Rot.* & ſignanter *in Romana ſeù Ianuen. locorum montiũ 28. Iunij 1641. coram me, vbi allegantur deciſiones concordantes.*

27 Non obſtat, quod teſtes examinati pro parte dicti Prouiſi Apoſtolici deponant, Franciſcum de Aguirre (per cuius obitum vacauit hæc portio) deceſſiſſe vltima Auguſti antequam horologia S. Ioannis & S. Thereſiæ dediſſent ictus duodecim, qui apud Hiſpanos tempore noctis deſignant mediam noctem, vt aduertit *Garz. de beneſic. par. 5. cap. 1. nu 525* poſt medium, vnde prætenditur fuiſſe iuſtificatam reſeruationem Apoſtolicam, cum mẽſis terminetur & incipiat a media nocte, etiam ad effectum, vt intret, vel ceſſet diſpoſitio regulæ reſeruatoriæ 8. hodie 9. vt tradunt *Gonz. ſuper eadem reg. 8. gloſ. 11. num. 9. et ſeq. Garz. de beneſ. part. 5. cap. 1. num. 523. et alij relati in deciſione R. P. D. mei Celſi 14. Iunij 1647. §. et in terminis*, quia licet prędicti teſtes deponant vt ſupra, tamen eorum dicta eliduntur ex teſtibus ex aduerſo pro parte Alphonſi de Caldas ab ordinario prouiſi examinatis, qui deponunt contrarium dictum Portionarium obijſſe poſt pulſatam duodecimam noctis ad horologiũ Eccleſiæ Cathedralis, & ad quatuor alia horologia, ad eruendam quippe veritatem facti, an ſcilicet Portionarius obierit ante, vel poſt mediam noctem, ſtandum eſt horologijs numero pluribus ad inſtar teſtium vt docet *Bobadil. in Polit. lib. 5. cap. 2. num. 25. Parlador. rer. quotid. lib. 3. q. 9. n 10. Caſtropal. oper. mor. p. 2. tract. 13. diſput. 2. punct. 22. §. 2. num. 1. verſ. ſecus quando plura ſunt cum alijs adductis in dictis deciſ. RR. PP. DD. meorum Ghiſilerij, et Celſi.*

28 Minus obſtat, quod aliqui ex dictis teſtibus Alphonſi deponant per verbum videtur, quod tanquam dubitatiuum nõ cõcludit, vt fuit dictum in Lucana Præcedentiæ 24. Ianuar. 1628 coram R. P. D. meo Ghiſilerio, Nam hæc concluſio limitatur, quando teſtis deponens per dictum verbum, vel aliud ſimile, reddit bonam rationem, quoniam tunc meretur fidem, quamuis deponat de proprio Iudicio *Dec. conſ. 363. num. 4. Gabr. conſ. 159. num. 26. lib. 1. Farinac. de teſt. queſt. 68. n. 29.* prout bonã rationem reddunt in caſu noſtro dicti teſtes Alphonſi dum dicunt, quod ipſis viſum fuit contigiſſe obitum Portionarij poſt mediam noctẽ pulſatam ad horologium Cathedralis quia infra dimidium quarti horæ poſt illius obitum Campanæ dictæ Cathedralis pulſatæ fuerunt ad ſecundam, ad quã pulſari ſolent elapſo integro quadrante poſt primam, quæ ſonat ad mediam noctem.

29 Nec releuat, ſi dicatur, dictos teſtes non audiuiſſe pulſari ad primam, ergo non valent deponere de pulſatione ad ſecundam, cum primum, & ſecundum

ſint

ſint ſimul in cognitione, & ideo quis nō poteſt affirmare hoc eſſe ſecundum, niſi primum cognouerit; quia in caſu noſtro ceſſat argumentatio non ſolum ex eo, quod quando in dicta Eccleſia pulſatur ad ſecundam, ſonant duæ Campanæ, vbi ad primam ſonat tantum vna; ex hac enim diuerſitate ſonandi bene *diſtinguitur*, & *cognoſcitur* ſecunda à prima; ſed etiam ex quo ſtatim atque horologium dictæ Cathedralis definit ſonare duodecimam noctis pulſatur ad primā, & inde ab vno quarto ad ſecundam: vnde audita pulſatione campanarum abſque eo, quod proceſſerit ſonus horologij bene poteſt affirmari, pulſationem fuiſſe factam ad ſecundam.

30 Neque refragantur aliæ exceptiones allatæ contra prædictos teſtes Alphonſi, quoniam viſę fuerunt nimis cauilloſæ & ideo non attendendæ, cum dicta teſtium nō ſint cauillanda ſed potius ſubſtinēda, & reducenda ad concordiam *Alex. conſ. 185. num. 4. & ſeqq. lib. 7. Rot. deciſ. 167. num. 51. et 52. par. 1. recent. et deciſ. 351. num. 37. coram S. M. Greg. XV.* Quatenus verò dictę exceptiones deducuntur ad effectum dignoſcendi, quantum fidei ſit eorum perſonis adhibendū animaduertebarur, quod Franciſcus excipiēs duos ex dictis teſtibus repetijt pro ſe, quos proinde approbauit. Reliqui vero, eſto quod aliquam patiantur exceptionem, eorum tamen fides ex numero ſuppletur & corroboratur *Alex. conſ. 149. num. 6. lib. 5. et conſ. 237. num. 2. verſ. ſi autem lib. 6. Corn. conſ. 47. num. 7. in med. verſ. adeo quod pluralitas vol. 3. Honded. conſ. 17. num. 42. lib. 1. Rota coram S. M. Greg. XV. deciſ. 340. n. 6.*

31 Et ceſſare videtur omnis amaritudo non ſolum ex eo quia dicti teſtes Alphonſi adminiculantur ex libris Capituli, vt fuit ponderatum in dd. *dec.* RR. PP. DD meorum Ghiſilerij & Celſi, ſed etiā quia non deducuntur principaliter ad probandum obitum poſt mediam noctē; ſed ad offuſcan. probationem prouiſi Apoſtolici de obitu ſequuto ante mediam noctem, ad quem effectum non requirūtur tam exactæ probationes *Bald. conſ. 79 num. 7. lib. 2. Aym. conſ. 6. num 127. Natta conſ. 32. in fin. quos omnes refert Surd. in conſ. 505. ſub nu. 6. verſ nec dicatur, et fuit dictum in Auguſtana Decimarum 27. Iunij 1639. coram R. P. D. meo Bichio.*

32 Et in omnem caſum adhuc DD. dicebant, quod negari non poteſt, quin ſaltem res ſit dubia, ideoque non cōſtet de clara reſeruatione, prout requiritur ex *alleg. in dec. R. P. D. mei Ghiſilerij 17. Decembris 1646. §. fin.* prę ſertim in concurſu prouiſi ab Ordinario exiſtentis in poſſeſſione, qui propterea, eſto quod reſeruatio ratione menſis ſit fauorabilis, vt voluit *Lotter. de re benefic. lib. 5. q. 36. n. 7. et ſeqq. prefferendus eſt, vt ad litteram diſponit tex. in c. ſi a ſede 31. de præben. in 6. ibi, erit potior conditio poſſidentis.*

33 Hinc patet non applicari, ſed potius retorqueri ingenioſum exemplum ieiunij, quod non frangitur, quando dubitatur de exceſſu mediæ noctis, ſi dies præcedens non erat ieiunij, ſecus è conuerſo, cum ſemper attendatur, an dies præcedens ſit in poſſeſſione libertatis, vel ieiunij, vt per *Sanch. de matrim. lib. 2. diſp. 41. nu. 32. et ſeqq. quia vltra quod idem Sanch. ſub n. 40. verſ. quod ſi diuerſa*, ait, non ſtari poſſeſſioni huiuſmodi, quando adſunt diuerſa horologia diuerſimode regulata, eumq. ſequitur *Dian. reſol. moral. par. 4. tr. 3. tit. de conſuet. dub. reſol. 19.* vt ſupra dictum eſt, poſſeſſio in præſenti caſu eſt ex parte Prouiſi ab ordinario; & vlterius quæſtio noſtra non tendit ad excuſandū quem à peccato, in quibus terminis applicatur allatum exemplum, & Doctores illud afferentes, ſed ad inducendam reſeruationem, quæ in dubio non inducitur, ſed requirit probationes claras, & concludentes, vt excludatur prouiſus ab ordinario, qui exiſtit in poſſeſſione iuxta diſtinctionem, quam affert Garz. *de benefic. par. 5. cap. 1. n. 533.*

Et ita vtraque &c.

An Clericus poſſit recipere in cuſtodiam arcem Principis laici. Quæſt. 394.

S V M M A.

1 *Clericus non poteſt cuſtodire arces Principis.*
1 *Clericus non poteſt eſſe miniſter laicorum.*
2 *Clericus non poteſt aſſumere munus habens annexam poteſtatem ſanguinis.*
3 *Clericus aſſumens munus, in quo ſit miniſter laicorum, peccat mortaliter.*
4 *Eccleſia non ſubuenit clerico miniſtro laicorum, ſi reperiatur in fraude.*
5 *Pœna Clerici aſſumentis munus iudicandi in cauſa ſaguinis.*
6 *Clericus quando poſſit ſuſcipere in cuſtodiam arcem Principis.*

1 Officium cuſtodis arcis eſſe prohibitum Clericis, & proinde *Non poſſe aliquem ex ipſis aſſumere munus cuſtodiendi arcem Principis Laici, & illam defendendi, ſi opus fuerit, pro certo ſtatuendum eſt.* Nam generaliter prohibetur Clericis fieri miniſtros laicorum Cap. *Sacerdotibus*, & Cap. *Sed nec*, *Ne cler. vel. mon.* & notant in hunc tex. Abbas antiquus, Innocent. Butr. Io. Andr. Zabarel. Anchar. Panorm. Hoſtienſ. Henr. & alij. Maiol. *De irreg lib.2.Cap.5.num.15.* Diaz *in Pra&.can.cap.61.* Molina *De iuſt. & iure. tract.2. diſp. 108.* Quia cum addicti ſint militiæ cœleſti, & ſub eccleſiaſtica iuriſdictione, non poſſunt ſe alteri addicere, præſertim ſi cum iuramento ſe debeant obligare, vt in caſu præſenti, quia non licet militare Deo, & mundo, vt arguitur in citatis textib. Et proinde ſine diſpenſatione non poſſunt tale munus aſſumere.

2 Et hæc prohibitio habet ſpecialem locum in munere cuſtodiendi arcē, quia cum cuſtos habeat poteſtatem ſanguinis ſupra milites deſtinatos pro defenſione arcis, in delictis pertinet ad ipſum morti damnare. Vnde quamuis non ſe immiſceat cauſis ſanguinis immediatè, aſſumit tamen munus, ad quod pertinet ſe immiſcere contra ſpecialem prohibitionem, vt in dicto Cap. *Sed nec*, vbi prohibetur, ne clericus fiat iuſtitiarius alicuius Principis. & Cap. *Clericis.* & Cap. *Sententiam ſanguinis.* Vnde exercet munus contrarium lenitati, quæ eſt debita miniſtris Eccleſiæ.

3 Quali autem peccato peccent tranſgreſſores, deſumitur ex illo Cap. *Sacerdotibus*, *Ne cler. vel mon.* nam ibi dicitur, quod huiuſmodi generent ſcandalum in Eccleſia. Si autem generant ſcandalum in Eccleſia, peccant mortaliter; quia faciunt id, quod eſt ab ipſa prohibitum, vnde cæteris contingit ruina; & quod eſt valde diſſonum rationi; & grauiter lædunt diſciplinam eccleſiaſticam.

4 Quod etiam colligitur ex pœna, quæ ipſis in eodem capite imponitur. Statuitur enim, quod ſi in adminiſtratione officij in fraude reperiantur, non ſubueniatur ei ab Eccleſia; atq. adeo in pœnam eis deneget defenſionem ab oppreſſionibus laicorum, ita vt non procedat contra ipſos per cenſuras, ſi contingat, laicos excedentes terminos ſuæ iuriſdictionis vexare dictos clericos. Quæ cum ſit pœna grauis, ſupponit peccatum mortale.

5 Et à fortiori hoc habet locum in eo, qui aſſumit munus cuſtodiendi arcē, cum habeat annexum munus iudicandi in cauſa ſanguinis, vt dictum eſt *nu. 2.* Vnde etiã his, qui aſſumunt munus iudicandi in cauſa ſangninis, grauior pœna imponitur in Cap. *Sed nec. Ne cler. vel mon.* nempe quod fiat ab eccleſiaſtico miniſterio alienus, quod importat pœnã excommunicationis ſecũdum Panorm. in hunc locum, vel depoſitionis ſecundũ alios, ac proinde ſupponit peccatum mortale, cum vtraq. ſit grauiſſima.

6 Eſt tamen aduertendum. Quod ſi Princeps in aliquo vrgenti committeret cuſtodiam arcis alicui clerico, quia nimirum non haberet alium, cui confideret, tunc clericus excuſaretur, ſi per modum prouiſionis munus acceptaret. Vrget enim neceſſitas, quæ facit licitum, quod aliàs de iure non eſt licitum. Cap. *Quod non eſt licitum. De reg. iur.* & Cap.

Cap.

Cap. *Quanto.* De *conſuet.* & notant Bald. *in l.* Diuus Pius *init. not. 2. ff.* De *petit. hæred. init.* Felin. *in Cap. Querelam. num. 19.* De *iureiur.* Tiraquel. De *pœn. temp. cau. 33. num. 3.* Tuſch. *littera N. concluſ. 19. n. 12.*

An miles deſtinatus pro cuſtodia arcis pugnans contra aggreſſores incurrat irregularitatem. Quæſt. 395.

S V M M A

1 *Miles occidens, aut mutilans aggreſſores arcis, quam cuſtodit, an fiat irregularis.*
2 *Occidens pro defenſione proximi non fit irregularis.*
3 *Miles occidens aggreſſores arcis, non eſt irregularis ex delicto.*
3 *Irregularitas requirit in delicto peccatum mortale.*
3 *Vim vi repellere licet.*
4 *Irregularitas ex defectu lenitatis non habet locum in occidente aggreſſores arcis.*
4 *Quinam contrahant irregularitatem ex defectu lenitatis.*
5 *Clement.* Si furioſus: *habet locum in occidente aggreſſores arcis, quam defendit.*
6 *Occidens clericum ob defenſionem alicuius, non contrahit excommunicationem.*
7 *Occidens iuſtè aggredientem arcem, an fiat irregularis.*
7 *Voluntas principis talis præſumitur, qualis de iure eſſe debet.*

1 Difficultas procedit, ſi aliquem ex aggreſſoribus occidat, aut mutilet. Quod autem incurrat irregularitatem, videtur reſoluendum iuxta doctrinam, quam tradunt Gloſ. *in Clement.* Si *furioſus. verbo.* Suum. *De homicidio.* Cardin. *ibid. quæſt.* 28. Panor. *in Cap. Olim. 1. nu. 18.* De *reſtit. ſpoliat.* Innocent. *in Cap. Si verò 1. num. 11.* De *ſent. excom.* Angel. *verbo.* Defenſio. *num.* 3. Roſel. *verbo* Homicidium. 4. *num.* 1. D. Antonin. 3. *part. tit.* 29. *de irregular. cap.* 2. *§. Homicidium.* Nauar. *Cap.* 27. *Manual. num.* 213. ver. *Quarto.* Maiol. *lib.* 5. *de irregular. cap.* 48. *num.* 9. ver. *Quinta declaratio.* Tabiena *verbo.* Irregularitas 2. *num.* 25. Medina *lib.* 1. *Inſtruct. confeſ. cap.* 11. *§.* 10. Salon. 2. 2. *qu.* 64. *ar.* 7. *Controu.* 2. Henriquez *lib.* 14. *Sum. cap.* 11. *num.* 3. Philiar. *lib.* 4. *cap.* 11. *§.* 3. ver. *Secundò.* Medices *par.* 2. *Sum tit.* 9 *quæſt.* 34. *§.* 10. & alij, dum docent, incurri irregularitatem ab eo, qui aliquem occidit pro defenſione proximi innocentis. Quia in Clemen. *Si furioſus.* De *homicid.* ſolum excipitur ab incurrenda irregularitate, qui occidit in ſui defenſionem, cum aliter euadere non poſſit.

2 At ſecundum aliorum doctrinam tenendum eſt, *quod non incurrat irregularitatem.* Ita ſecundum eos, qui volunt, non contrahere irregularitatem, qui occidit pro defenſione proximi, vt Maior *in* 4. *diſt.* 15. *quæſt.* 20. Petrus Nauar. *lib.* 2. *de reſtit. cap.* 3. *num.* 419. Viual. *De irregularit. num.* 22. Sayr. *De cenſur. lib.* 6. *cap.* 17. *num.* 21. ver. *Secunda opinio.* Couaruu. *in Clemen.* Si *furioſus. par.* 3. *§. vn. num.* 5. De *homicid.* Fortun. *in l. Vt vim.* ver. *Sed aduerte. ff.* De *iuſt. & iure.* Anan. *in Cap. Petitio.* De *homicid.*

3 Ratio autem eſt, quia omnis irregularitas ex homicidio fundatur aut in delicto, & proinde habet rationẽ pœnæ, aut in defectu lenitatis. Hic autem non habet locum irregularitas ex delicto, quia tenetur defendere arcem, & occidere, ſi opus ſit, pro illa defendenda, vnde ſi non occideret, deficeret in proprio munere. Præſertim, quia cum irregularitas ſit pœna grauiſſima, & difficillimè relaxabilis, requirit pro delicto peccatum mortale. Vnde quando imponitur à lege, eſt ſignum, quod lex obliget ſub mortali, vt inter alios notant Sanchez *lib.* 6. *Sum. cap.* 4. *num.* 80. Suarez *lib.* 4. *de legib. cap.* 18. *n.* 19. Salas *diſp.* 10. *de legib. ſect.* 9. Hic autem nullum interuenit delictum, quia vim vi repellere licet. Cap. *Dilecto.* De *ſent. excommunicat. in* 6.

4 Nec habet locum irregularitas ex defectu lenitatis, quia hæc non contrahitur ex homicidio priuato, ſed tantum ex homicidio ex publica auctoritate: & proinde ſolum illam contrahunt, qui tãquam adminiſtratores, & cooperatores publici ad illud concurrunt, vt docent Couaruu. *in Clement.* Si *furioſus par.* 2. *§.* 4. *num.* 9. ver. *Ex his.* De *homicid.* Turrian. cum Vaſquez *lib.* 9. *de cenſur. diſp.* 66. *dub.*

3. Ga-

3. Gaſpar. Hurtad. *de cenſur. diſp.2. de irregularit. difficult.*11. *num.*40. Cœleſtin. *in compen. Theol. moral. tract.*4. *cap.*5. *qu.*1. Diana *par.*3. *tr.*5. *Reſol.*79. Baunius *par.*2. *theol. moral. tract.*11. *quæſt.*23. *dub.*11. Machad. *de perfec. confeſ. tom.* 1. *lib.*2. *part.*3. *tract.*18. *docum.*5. *num.* 5. Palaus *part.* 6. *theol. moral. diſp.*6. *de cenſur. punc.*14. *n.*1. Monteſin. 1. 2. *quæſt.* 76. *ar.*4. *diſp.*8. *q.*12. *num.* 161. ver. *Neque audiendi ſunt.* in fine. Et ratio eſt. quia hæc irregularitas ponitur à iure tantum perſonis publicis, quæ auctoritate publica concurrunt ad homicidium, atque adeo ſolum in ordine ad homicidium per ſententiam iudicis.

5 Imo in hoc caſu habet locum etiam diſpoſitio Clement. *Si furioſus.* vbi diſponitur, quod non incurrat irregularitatē, qui defenſionis cauſa occidit, ſi aliter euadere non poſſit. Qui enim aſſiſtit muris pro defendenda arce contra aggreſſores, occidit defenſionis cauſa, ſeu etiam propter propriam defenſionem; nam ſi non occideret, aggreſſor aſcenderet arcē, & occideret defenſorem. Nec aliter poteſt defenſor arcis euadere, quia non poteſt fugere, tum quia ex proprio munere tenetur ſe opponere aggreſſoribus, in quo non poteſt ſine peccato deficere; tum quia, ſi fugeret aut occideretur ab ijs, qui aſſiſtunt directioni defenſionis, aut poſtea morte puniretur ob deſertam murorum defenſionem. Vnde ex hoc ſolutum manet fundamentum oppoſitæ ſententiæ *num.*1. poſitum.

6 Quod amplius confir. Percutiēs clericum ad ſuorum iuſtam defenſionem, aut etiam extraneorum, non incurrit excommunicationem Cap. *Si vero.* 1. *De ſent. excommunicat.* nimirum, quia cum iuſta ſit defenſio, non poteſt habere locum pœna impoſita à lege, & proinde lex illam remouet. Cum ergo ſit etiam iuſta defenſio arcis, ſi quis pro illa defendenda occidat aggreſſorem, ob eamdem rationem eſt remouenda pœna irregularitatis.

7 Sed quid, Si aggreſſor arcis iuſtè aggrediatur, quia eius Princeps iuſtum bellum gerit. Reſp. defenſorem arcis adhuc poſſe iuſtè occidere aggreſſores, quia militat ſuo Principi, quia quiſq. eſt in poſſeſſione manutenendus, quouſq. per ſententiam, vel quid æquiualens ſpolietur. Nec poteſt de iuſtitia belli dubitare, quia haber pro ſe, & pro iuſtitia belli graue auctoritatem principis, aut Reipublicæ. Neque enim principes ſine cauſa ſolent bellum ſuſcipere, ſed prudenter admodum, & iuſtè procedere cum conſilio virorum prudentum in bellis ſuſcipiendis. vnde ſtat grauis præſumptio, atque adeo probabilitas pro iuſtitia belli, quia voluntas, & mens principis talis præſumitur, qualis eſſe de iure debet, vt notant Iaſ. *in l. Cauſas. nu.*6. C. De *tranſact.* Dec. *Conſil.* 180. *num.*2. Gozadin. *Conſil.*101. *nu.*10. præſertim, quia non poteſt priuatus iudicare de iuſtitia bellorum, cū non habeat nota ſecreta principum, qui vt plurimū ex ſecretis cauſis mouentur, & alias in vulgus ſpargunt: & proinde poterit ſemper quiſq. inniti, ſiue ſubditus ſit, ſiue nō, auctoritati principis. Imò dato, quod iuſtitia belli haberetur pro dubia, adhuc deberet munus ſuum exercere, & occidere aggreſſores, quia in dubio ſtandum eſt pro poſſeſſione, cum certa poſſeſſio non poſſit euerti per ius dubium. Cum ergo poſſint occidere aggreſſores, excluditur delictum, atque adeo etiam irregularitas.

An, ſi clericus præſidens arci diſponat defenſores, & ordinet, quæ neceſſaria ſunt pro defenſione, & hortetur milites, vt ſtrenuè ſe gerant, incurrat irregularitatem. Quæſt. 396.

S V M M A.

1 *Hortari milites ante actualem congreſſum non inducit irregularitatem.*
2 *Hortari milites in actuali congreſſu, an inducat irregularitatem.*
3 *Exercitium muneris prohibiti quando inducat irregularitatem ſequuto homicidio.*
4 *Sacerdotes hortantes milites in bello iniuſto ſiunt irregulares.*

Hor-

HOrtari milites ante actualem congreſſum, eſſe licitum, & nullam inducere irregularitatem, colligitur ex Cap. *Maximianus*. 23. *quæſt*. 3. & Cap. *Igitur* & Cap. *Vt pridem* 23. *quæſt*. 8. & notant Syluester *verbo*. Bellum 3. *quæſt*. 2. Vnde in propoſito caſu ſolum dubium oritur ob exhortationem in actuali conflictu, nam cum diſpoſitio defenſorum, & præparatio eorum, quæ ſunt neceſſaria pro defenſione, præcedant conflictũ, & non ſint ordinata ad aliquem directè occidendum, ſed ad conſeruationem arcis, non infert irregularitatem. Quod autem in tali caſu ob exhortationem in actuali conflictu incurrat irregularitatem reſoluendum videtur, vt cum Innocentio, & Hoſtienſi reſoluit Sylueſter *verbo*. Bellum. 3. *num*. 4. Quia talis exhortatio influit in occiſiones, quæ in tali conflictu fiunt.

2 At tenendum eſt, *Quod non incurrat irregularitatem*. iuxta doctrinam, quã tradunt Couaruu. *in Clemen*. Si *furioſus*. *par*. 2. §. 3. *nu*. 2. De *homicidio*. Sayr. *lib*. 6. *De cenſur*. *cap*. 19. *nu*. 6. Suarez *Diſp*. 47. *De cenſur*. *ſect*. 6. *num*. 8. Squillantes *De obligat*. *Cler par*. 6. *num*. 101. ver. *Alij vero*. qui alios citat. quod valet, etiã ſi abſque debita licentia munus exerceat, vt inter alios notant Suarez, & Squillan. Quia nimirum talis exhortatio non ordinatur ad determinatam occiſionem, aut mutilationem alicuius, & proinde neque in ſuo genere eſt cauſa occiſionis, aut mutilationis, quia cauſa, in quocunque genere ſit, ſiue morali, ſiue phyſico, ſiue ſit proxima, ſiue remota, non poteſt operari, niſi applicetur circa determinatam materiam, aut ſubiectum; talis autem hortatio, cum ſit in genere, non applicatur.

3 Accedit etiam, quod in hoc caſu locum non habet irregularitas ex delicto, cum in hoc cuſtos arcis nullum committat peccatum, etiam ſi peccauerit acceptando tale munus; nec etiam ex defectu lenitatis, vt conſtat ex dictis *quæſt*. *præcedenti*. *num*. 3. Nec obſtat, quod exerceat munus ſibi prohibitum, quia tunc exercitium muneris prohibiti inducit irregularitatem ſequuto homicidio, quando prohibetur ob periculum homicidij: Tale autem munus non eſt prohibitum clericis ob periculum homicidij, ſed vt ſeruent debitam decentiam, & ſubordinationem ſuis prælatis.

4 Nec huic reſolutioni obſtat Cap. *Quod in dubijs*. De *pœnis*, vbi videntur decerni irregulares Sacerdotes hortantes milites ad pugnam, nã procedit tantũ in bello iniuſto, vt *ibid*. notat Gloſ. *verbo*. *Inuitanti* & in Cap. *Petitio* verbo. *Remordet*. De *homicidio*. Philiar. *lib*. 4. *de offic*. *ſacer*. *cap*. 11. §. 5. *in fine*. Sayr. *lib*. 6. *De cenſur*. *Cap*. 19. *num*. 7. & talis interpretatio colligitur ex Cap. *Petitio*. De *homicidio*. vbi Pelagius præsbiter declaratur, non incurriſſe irregularitatem, etiam ſi præſens fuerit in bello cum militibus, & pugnauerit, atque adeo ſi non verbis, ſaltem facto ipſo hortatus ſit, quia nimirum bellum erat iuſtum. Et ratio eſt, quia hortans in bello iniuſto incitat ad opus criminoſum, & quo ſequitur occiſio, & ideo in pœnam incurrit irregularitatem: in bello autem iuſto incitat ad id, quod licitum eſt, ideo nullum committit delictum, cui pœna irregularitatis imponi poſſit.

An clericus ſacris initiatus, vel habens beneficium, poſſit exercere officia ſæcularia in domo principis, aut Magnatis laici. *Quæſt*. 397.

S V M M A

1 *Sacris initiatus, aut habens beneficium non poteſt exercere officia ſæcularia in domo Principis &c.*
2 *Eſt contra honeſtatem ſtatus, ſacris initiatum, aut habentem beneficium exercere officia ſæcularia in domo principis.*
3 *Conſuetudo eſt in oppoſitum.*
3 *Conſuetudo irrationabilis non prævalet contra legem.*
4 *Conſuetudo quando ſit irrationabilis.*

1 PRocedit difficultas de illis officijs, quæ etiam à perſonis nobilibus exerceri ſolent, qualia ſunt officia Magiſtri domus, Magiſtri à cubiculis, & alia huiuſmodi. *Et negatiuè reſoluendum eſt*, vt re-

reſoluunt etiam Diaz *in prac. cap.60.n.3.* Farinac. *par. 1 fragmen. criminal. littera* C. *verbo.* Clericus. *num.184.* Marta *De iuriſdict. par.4 caſu 116. nu.8.* Reginal. *lib.30. praxis fori pœnit. tract. 3. nu. 23* Genuenſ. *in praxi Archiepiſ. Neap.* Cap. 62. *num.20. in addit.* Barboſa *in Cap. Sacerdotibus. n.2.* Ne *cler. vel monachi.* Fundamentum, eſt quia ita decernitur in dicto Cap. *Sacerdotibus*, & in Concil. *Cartaginen.1. Can.6.* relato in Cap. *Credo. 21. Quaeſt. 3.* ibi. *Et Apoſtolorum ſtatuta ſunt. quæ dicunt, Nemo militans Deo, implicat ſe negocijs ſęcularibus; proinde aut clerici ſint ſine actionibus domorum; aut actores ſine officio clericorum.* Quod etiam ſancitum fuit in Concilio prouinciali Toletano celebrato *anno* 1565. *cap.18.*

2 Ratio autem eſt, quia cum habentes beneficium ſint addicti ſeruitio eccleſiaſtico, & ita incorporati hierarchiæ eccleſiaſticæ, vt eos tanquam ſuos officiales alat, aut ratione ordinis ſacri ſint perſonæ ſacræ, & Deo ſpecialiter addictæ, eſt contra decentiam, & honeſtatem ſtatus ipſorum, quod his muneribus ſe implicent.

3 Scio tamen, hoc vniuerſaliter non ſeruari, plures enim ſacris initiati, & habentes eccleſiaſticum beneficium hæc munera in domo Magnatum laicorum exercent: vnde videtur abrogata dicta prohibitio per conſuetudinem contrariam. Verum an hæc ſit dicenda conſuetudo, an verò corruptela valde dubito. Quando enim conſuetudo eſt irrationabilis, non præualet contra legem. Cap. *fin.* De *conſuet.* & notant Archidiacon. *in Cap. Poſtulaſti. nu.2.* De *foro compet.* Nata *in Cap. Cum dilecto. num. 27.* De *offic. arçhidiacon.* Boich. *in Cap. Abbate. nu.16.* De *verbor. ſignificat.* Penna *in Repet. l. vn. num.9.* C. De *collat. donat.* & proinde tanquam corruptela eſt extirpanda. Cap. *Cum inter vos.* et Cap. *Cum venerabilis.* De *conſuetudine.*

4 Tunc autem conſuetudo eſt irrationabilis, quando continet aliquid, quod ſit contra honeſtatem, vt notant communiter Salas *de legib. diſp.19. ſect.5. n.50.* Sanchez. *lib.7. de matrim. diſp.4. num.14.* Pontius *lib.6. de matrim. cap.5. nu.2.* Merol. *10.3. theol. moral. diſp.5. de conſuet. cap.2. num.29.* Rochus *Cap. fin. num.240.* De *conſuet.* Piagius *de conſuet. quaeſt.9. n.298.* Suarez. *lib 7. de legib. cap.6.* Reginal. *lib.13. praxis fori pœnit. num.251.* Molfel. *part. 1. ſum. tract.9. cap.11. nu.40.* et habetur ex Cap. *Cum decorem.* De *vita, & honeſt. cler.* Quia nimirum quicquid honeſtum eſt, commenſuratur regulis rectæ rationis, quare quicquid eſt contra honeſtatem, eſt contra dictas regulas, atque irrationabile.

An teneatur reſtituere famam, qui alterius crimen notorium publicauit in loco, vbi habebat bonam opinionem. Quaeſt. 398.

S V M M A

1 *Publicans crimen notorium alterius, vbi habet bonam opinionem, an teneatur reſtituere famam. & num. ſeq*

3 *Publicare crimen diffamati alicubi, vbi nõ eſt publicatum, non eſt contra iuſtitiam.*

3 *Pereunte qualitate, cui ius innititur, perit etiam ius.*

4 *Publicare crimen notorium, vbi non eſt publicum, an contra charitatem.*

5 *Contra charitatem quotupliciter contingat peccare,*

6 *Non eſt contra charitatem precludere viam erroribus.*

6 *Veritas non debet periclitari.*

7 *Infamia facta quomodo tollatur.*

8 *Publicare crimen illius, qui recuperauit bonam famam, eſt contra iuſtitiam.*

8 *Recuperans bonam famam acquirit ius, vt non dicatur fuiſſe improbus.*

8 *Conceſſo vno conceduntur omnia, ſine quibus non poteſt perueniri ad ipſum.*

9 *An contra iuſtitiam, aut charitatem publicare infamiam iuris illius, qui recuperauit bonam opinionem.*

9 *Infamia iuris quomodo tollatur.*

10 *Ius reſiſtit, ne infamis infamia iuris ſe eleuet ad ſtatum bonæ famæ.*

11 *Virtutes ſunt inter ſe connexæ.*

12 *Detegere infamiam iuris, cur non ſit contra charitatem*

13 *Iudex quomodo priuet in alieno territorio poſſeſſione bonæ famæ.*

1 PEccare contra charitatem, & iuſtitiam, & proinde teneri ad reſtitutionem, qui crimen alterius publi-

blicat, vbi bonam opinionem obtinebat, ſiue ſit notorium notorietate facti, ſiue iuris, niſi breui, & facilè illuc quoque fama peruentura ſit, tradunt Syluester *verbo.* Detractio. *quaſt.* 1. Valent. *to.* 3. *diſp.* 5. *quaſt.* 17. *punc.* 2. *dub.* 2. Leſſius *lib.* 2. *De iuſt. & iure. cap.* 11. *dub.* 13. *nu.* 78. Sotus *lib.* 5. *De iuſt. & iure. qu.* 10. *ar.* 2. Salon. 2.2. *quaſt.* 62. *ar.* 2. *controuer.* 18. Sayr. *lib.* 11. *Clau. reg. cap.* 6. *num.* 25. Petrus Nauar. *lib.* 2. *de reſt. cap.* 4. *num.* 288. Faber. *in* 4. *diſt.* 15. *quaſt.* 3. *diſp.* 53 *cap.* 4. *num.* 130. Villalob. *par.* 2. *Sum. trac.* 11. *difficul.* 36. *num.* 13. Malder. 2.2. *trac.* 7. *cap.* 1. *dub.* 6. & alij. Fundamentum huius ſententiæ eſt. Quia quamuis bona fama priuatus ſit in aliquo loco, dum tamen in alio illam poſſidet, priuatur iniuſtè tali poſſeſſione, & læditur in re magni momenti. Nec poteſt dici, quod ſit priuatus tali poſſeſſione per ſententiam iudicis, quia cum iudex non poſſit extendere ſuam iuriſdictionem extra proprium territorium, non poteſt priuare reum poſſeſſione bonæ opinionis, quam in alieno territorio poſſidet.

2 Secunda tamen ſententia tenet, non eſſe obnoxium reſtitutioni, quia nec contra iuſtitiam, nec contra charitatem peccat Ita Caiet. *tom.* 2. *opus.* 31. *reſp.* 9. Nauar. *in Manuali cap.* 18. *num.* 26. Maior. *in* 4. *diſt.* 21. *quaſt.* 2. Azor. *par.* 3. *lib.* 13. *cap.* 6. *dub.* 8. Filliuc. *tract.* 32. *cap.* 9. *num.* 235. Facundez *precep.* 2. *Eccleſ. lib.* 5. *cap.* 3. *num.* 14. Sà *verbo.* Infamare. *num.* 5. Lublinus *par.* 1. *Sum. verbo.* Fama. *num.* 28. & alij. Limitant tamen hanc ſententiam præſertim Facundez *nu.* 16. loci citati, Quod non habeat locũ, quando diffamatus honeſtè viuendo recuperauit bonam famam. nam tunc volunt, eſſe contra charitatem. Quã tamen diſtinctionem non ſatis percipio. Nam vel infert ipſi aliquod malum, & tunc ipſum lædit non ſecundum ſtatũ, in quo fuit de præterito, ſed in quo eſt de pręſenti, & proinde facit contra iuſtitiam; vel non infert aliquod malum, & tunc neq. facit contra charitatem.

3 Quod tamen *non ſit contra iuſtitiam diffamatum alicubi, vel per notorietatem facti, vel per ſententiã iudicis, publicare alibi, etiam ſi eò non ſit de facili diffamatio ipſius peruentura, exiſtimo probabiliſſimum.* Ratio autem eſt, quia ſic diffamatus amiſit ius ad bonam opinionem non ſolũ in hoc loco, ſed etiã abſolutè in quocunque loco; quando enim ius aliquod innititur alicui qualitati tanquam fundamento, pereunte fundamento perit totaliter tale ius, cum non poſſit ſine ipſo ſubſiſtere. *l. Nam origo. ff.* Quod *vi, aut clam.* & *l. Egi tecum. ff.* De *excep. rei iudic.* & Cap. *Cum Paulus* 1. *Quaſt.* 1. ius autem ad bonam opinionem fundatur in qualitate honeſtæ vitæ, & in bonis moribus, ex quibus naſcitur. Ideo enim alicui eſt debita bona opinio aliorum, quia ipſe bonus eſt, & aliorum opinio debet cum qualitate ipſius conformari, quando autem vel per notorietatem facti, vel per ſententiam iudicis diffamatur, amittit fundamentum iuris, quod habet ad bonam opinionem, atque adeo perit totaliter ius in ordine ad quemcunque.

4 Sed *neque eſt contra charitatem.* quia in tantum eſſet contra charitatem, in quantũ charitas obligaret ad illi conſeruandam bonam opinionem, quam adhuc habet in aliquibus locis. Sed non non obligat, quia charitas non obligat ad conſeruanda alicui illa bona, quæ iure amiſit, præſertim cum proprio delicto. Qui autem infamis factus eſt vel ex notorietate facti, vel ex notorietate iuris, nempe per ſententiam iudicis, de iure amiſit ius ad bonam opinionem in quocunque loco, vt dictum eſt *num. precedenti*, atque adeo illa bona opinio, quam alicubi habet, non verè ab ipſo poſſidetur, quia caret iure ad ipſam, ſed tantum putatiuè, & ex errore hominum. Confir. Non eſt contra charitatem denegare alicui, quod ipſi ex nullo capite debetur, & proinde non facient contra charitatem, ſi qui habent bonam opinionem de eo, qui infamis factus eſt, eam ipſi denegent, quia denegant, quod ex nullo capite debent. Ergo neque faciet contra charitatem, qui manifeſtat infamiam illius apud eos, qui habent de ipſo bonam opinionem, cum hoc ſit tantum eos commonere, quod non debeãt ipſi talem bonam opinionem. Sic ſi ego

viderem aliquem ſoluentem pecuniam alteri, qui ſe repræſentaret tanquam creditorem ipſius, non facerem contra charitatem, ſi ſoluentem monerem, quod talis non eſſet verus creditor.

5 Præterea contra charitatem duplici tantummodo peccari poteſt; vel ſubtrahendo bonum quod eſt debitum, vt ſi ſubtraham eleemoſinam, quæ eſt debita pauperi; vel inferendo malum. In præſenti autem caſu non poteſt primus modus habere locum, quia non agitur de conferendo diffamato aliquod bonũ. Sed ſolum de inferendo aliquo malo publicando, quod in ſui infamiam vergit. Sed neque hoc modo fit contra charitatem; quia tũc ſolum læditur charitas inferendo malum, quando quis priuatur aliquo bono, quod de iure habet; malum namq; eſt priuatio boni, & ideo non poteſt alicui inferri malum, niſi auferatur ipſi aliquod bonum. At in præſenti caſu non tollitur à diffamato aliquod bonum, quod de iure conueniat, quia iam de iure amiſit bonam opinionẽ abſolutè, & ideo non priuatur aliquo bono, quod ſit ipſius. Sic ſi quis vellet erogare eleemoſinam alicui, quia putaret, eſſe pauperem, qui reuera non eſſet, & ego illi dicerem, quod non eſt pauper, non facerem contra charitatem.

6 Deniq. in hoc caſu concurrit ex vna parte, qui iure amiſit bonam opinionẽ, & ex alia concurrit, qui hoc non obſtante habet bonam opinionem de ipſo, & proinde eſt in errore. Vnde non ſolum periclitatur veritas in ipſo, ſed iam per errorem eſt excluſa, & ipſe ſubeſt periculo faciendi aliquid, quod aliàs non faceret, ſi non eſſet in tali errore: ergo non eſt contra charitatem manifeſtare veritatẽ notificando qualitatẽ perſonæ, quia nõ eſt cõtra charitatẽ præcludere viã erroribus, cũ veritas nõ debeat periclitari, vt habet Io. XXII. in Extrauag. *Quia nonnũquã*, §. *Nos attẽdẽtes*. De *verbor. ſignific.* imo charitas exigit, vt potius faueatur illi, qui non habet culpam, quàm illi, qui propria culpa in tali ſtatu eſt, vt cœterorum interſit, noſſe eiuſdem infamiã.

7 Verum, ſi poſtea bonam opinionẽ recuperauit, cum diſtinctione procedendum puto; nam ſi infamia orta erat ex notorietate facti, & honeſtè viuendo recuperauit bonã famã, iã ſublata eſt infamia facti, quia infamia facti tollitur per factũ contrariũ, nẽpe per honeſtatẽ vitæ ſubſequutam, vt docent communiter Richar. *in 4. diſt.* 25. *ar.* 3. *q.* 6. Aſtenſ. 2. *par. lib.* 6. *tit.* 27. *quæſt.* 4. Henriquez *lib.* 14. *Sum. cap.* 5. §. 3. M. iol. *lib* 3. *de irregularit. cap.* 1. *num.* 15. Sayr *lib.* 7. *de cenſuris. cap.* 11. *num.* 16. Molina *de iuſt. & iure tract.* 4. *diſp.* 10. *init.* Syluester *verbo* Infamia *num.* 11. Garzias *par.* 7 *de beneſic. cap* 8. *n.* 64. Palaus *par.* 6. *theol mor. diſp.* 6. *de cenſur. punct.* 20. *num.* 4. Abbas *in Cap. Inquiſitionis num.* 2. De *accuſat.* Clar. *lib.* 5. *Recep. ſentent.* §. *fin. quæſt.* 21. *num.* 2. Et deſumitur ex Cap. *Si duo.* 15. *Quæſt* 6. ibi *Infames effecti, donec ab incœpto crimine deſiſtant.* Et ratio eſt, quia vnaquæque res per quas cauſas naſcitur, per eaſdem reſoluitur; cum ergo infamia ſit nata ex facto, per oppoſitum quoq. factum reſoluetur.

8 Si ergo infamia facti ſublata eſt per oppoſitum factum, *non ſolum erit contra charitatem publicare crimen in loco, vbi notum non fuit. ſed etiam contra iuſtitiam*, quia recuperauit iam ius ad bonam opinionem, quam amiſerat, & proinde iure eam poſſidet; vnde eam lædere erit contra iuſtitiam, præſertim, quia redundat etiam in detrimentum bonæ opinionis, quam de præſenti habet. Nec obſtat, quod nunquam acquiſierit ius, vt dicatur fuiſſe probus eo tempore, quo ſua crimina publica fecit; nã aliud eſt, quod dicatur fuiſſe probus pro illo tempore, & aliud, quod non dicatur fuiſse improbus. Ad primum nũquam poteſt acquiri ius, cum ſit quid impoſſibile. Ad ſecũdum autem poteſt acquiri, & de facto indirectè acquirit, qui vita contraria delet propriam infamiam; nam qui acquirit ius ad bonam opinionem, acquirit etiã ad ipſius conſeruationem. & proinde etiam ad ea omnia, ſine quibus conſeruari non poteſt; nam conceſso vno, conceduntur etiam ea omnia, ſine quibus perueniri non poteſt ad ipſum *l. Auibus*. *ff.* De *legat.* 3. vbi Gloſ. & *l.* 2. *ff.* De *iuriſdict. om. iud.* & *l.* 1. §. *fin. ff.* De *eo, cui man.*

eſt

eſt iuriſd Non poteſt autem bona opinio cõſeruari, niſi taceãtur crimina cõmiſsa.

9 Si verò quis contrahat infamiam iuris, vel quia dei ure annexa ſit delicto, vel quia quis damnatus ſit per ſententiam iudicis de delicto, ad cuius condẽnationem ſequatur infamia, vel de iure ciuili, vel de iure canonico: *tunc neque erit contra iuſtitiam, neque contra charitatem publicare delictum, vbi notum non fuit, nec poteſt de facili innoteſcere, etiã ſi aliàs honeſta vita ſubſequuta bonam opinionem poſtea acquiſierit*. Ratio eſt, quia infamia iuris non poteſt tolli niſi auctoritatiuè per eum, qui habet poteſtatem abolendi talem infamiam, vt docent communiter Panorm. *in Cap. Cum te. De ſent. & re iud.* Syluester *verbo.* Infamia *quæſt.* 11. Henriquez *lib.* 14. *ſum cap.* 5. *num.* 3. Richar. *in* 4. *diſt.* 25. *ar.* 6. *quæſt.* 1. Aſtenſ. *par.* 2. *lib.* 6. *tit.* 17. *queſt.* 2. Maiol. *lib.* 3. *de irregular. cap.* 1. *num.* 15. Auila *De cenſur. par.* 7 *diſp.* 4. *dub.* 5. Molina *tract.* 5. *de iuſt. & iure. diſp.* 10. Sayr. *De cenſur lib* 7. *cap.* 1. *num.* 14. Suarez *diſp.* 48. *de cenſur ſect.* 2. Palaus *par.* 6. *oper. mor Diſp.* 6. *de cenſur. punct.* 20 *num.* 13. Quia nimirum, cum ſit à iure inducta, requiritur facultas diſpoſitiua circa ea, quæ ſunt de iure, atque adeo iuriſdictio.

10 Quare quandiu quis notatus manet tali infamia, ius ipſi reſiſtit, ne poſſit ſe ſupra talem ſtatum eleuare, & ipſum manutenet tãquam notatum infamia, & dat ius vnicuique, vt ipſum pro infami habere poſſit; & proinde non competit ipſi ius aliquod in cõtrarium. Præſertim quia talis infamia eſt quædam pœna, à qua non poteſt ſe eximere; & quam quiſque poteſt iuſtè velle, quod illam ſubſtineat; quia hoc erit ſibi complacere de exequutione iuſtitiæ. ergo non erit contra iuſtitiam notificare delictum, & pœnam, quàm ſubſtinet quis propter ipſum, tum quia amiſit ius ad bonam opinionem, ita vt non poſſit ipſum recuperare, niſi auctoritatiuo modo, tum quia non eſt contra iuſtitiam velle, & facere, quod quis ſubſtineat pœnam, quàm iuſtè patitur. tum quia ius vult, quod vniuerſaliter, & apud omnes pro infami habeatur.

11 Quod verò neque ſit contra charitatem, ex eo colligitur, quod exequutio iuſtitiç non eſt contra charitatem, cum vna virtus non ſit alteri contraria, ſi quidem cum omnes virtutes ſint interſe connexæ, vt docent D. Gregor. *lib.* 22. *moral. cap.* 1. *poſt med.* D. Ambroſ. *lib.* 5. *in Lucam.* explicans illud Euangelij. *Beati pauperes ſpiritu.* D. Auguſt. *lib.* 6. *de Trinit. cap.* 4. D. Th. 1. 2. *quæſt.* 66. *ar.* 1. *in corp.* Non eſſent autem connexæ, ſi vna contrariaretur alteri. Cum ergo exequutio iuſtitiæ non ſit contra charitatem, imo radicetur in ipſa, vt habet D. Gregor. *Hom.* 27. *in Euãg.* nõ erit contra charitatẽ publicare infamiam iuris alicuius, vbi nõ eſt nota, nam hæc publicatio eſt quædam pars exequutionis iuſtitiæ.

12 Confir. Non tenetur quis plus amare proximum, quà m ipſe proximus teneatur amare ſeipſum. ergo cum infamis infamia iuris teneatur in quocunq. loco ſit, ſe gerere tanquam infamem, & abſtinere ab ijs, quæ infamibus denegantur, etiam ſi aliàs bonam opinionem recuperauerit, quia hæc recuperatio non tollit effectus iuris, & per hoc non facit contra charitatem, qua debet diligere ſeipſum; nec etiam faciet contra charitatem, qua tenetur diligere proximum; ſi quis ipſum habeat pro infami, & de ipſo loquatur tanquam de infami; præſertim quia effectus iuris ex natura ſua publici ſunt, quando ex ſententia, aut notorietate facti prouenniunt; & proinde poteſt quiſque tanquam de re publica de ipſis loqui. Hæc autem, quę dicta ſunt, debent ita accipi, vt locum habeant ſecluſo malo animo, nam ſi adſit mala intentio ex hoc capite peccabitur contra charitatem.

13 Ex dictis autem ſolutum manet, quod in oppoſitum *num.* 1. allatum eſt. Conſtat enim, quod quando quis amittit ius ad bonam opinionem, amittit abſolutè, quia perit fundamentum, in quo ius huiuſmodi fundatur; & proinde in ordine ad quemcunque locum. Cum autem dicitur, quod iudex non poteſt extendere iuriſdictionem ſuam extra territorium, & proinde neque priuare poſſeſſione bonæ opinionis, quam reus ha-

habet in alieno territorio. Reſp. Licet non poſſit extendere iuriſdictionem extra proprium territorium, ſufficere, quod poſſit priuare iure, quod habet ad bonam opinionem declarando, quod amiſerit fundamentum talis iuris, nam ſublato iure cadit de ſe poſſeſſio bonę opinionis, quam habet in alieno territorio, cum ſubſtentetur ab huiuſmodi iure: vt etiam contingit in cœteris iuribus; ſi enim quis adeat hæreditatem aliquam, & poſtea priuetur iure ad talem hęreditatem, cadit à poſſeſſione totius hęreditatis, etiam quò ad ea bona, quę ſita ſunt in alieno territorio.

An, cum ex præſcriptione fundatoris beneficium eſt conferendum nato in tali loco, poſſit pro vna vice Epiſcopus non ſeruare diſpoſitionem, & conferre nepoti fundatoris. Quæſt. 399.

S V M M A.

1 *Non poteſt detrahi qualitatibus appoſitis in erectione beneficiorum.*
2 *An pro vna vice poſſit Epiſcopus detrahere. & num. ſeq.*
4 *Diſpoſitio circa hoc iuris veteris, & iuris noui.*
5 *Quid, ſi derogatio ſit iuxta mentem fundatoris.*
5 *Illud cenſetur diſpoſitum, quod diſponens interrogatus veriſimiliter reſpondiſſet.*
5 *Quod ex voluntate interpretatiua colligitur habetur pro expreſſo.*
6 *Mens diſponentis notificatur ex cōiecturis.*
7 *Voluntas diſponentis accipit interpretationē ex affectione.*
7 *Dilectio nepotis comparatur dilectioni filij.*
8 *Diſpoſitio recipit interpretationem ab ijs, quæ diſponens ante, vel poſt dixit.*

2 IN Concil. Trid. *ſeſſ. 25. cap. 6. de Reformat.* vniuerſaliter ſtatuitur, quod non poſſit detrahi qualitatibus appoſitis in fundatione, ſeu erectione beneficiorum. ibi. *Quando igitur ex beneficiorum quorumcunque erectione, ſeu fundatione, aut alijs conſtitutionibus, qualitates aliquæ requiruntur, ſeu certa illis onera ſunt iniuncta, in beneficiorum collatione, ſeu in quacunque alia diſpoſitione eis non derogetur.* Quod ſi fuerit derogatum non tenet prouiſio, cum ibi Concil. apponat decretum irritans. ibi. *Et aliter facta prouiſio ſubreptitia cenſeatur.*

2 Qua tamen conſtitutione non obſtante, Poſſe Epiſcopum pro vnica vice derogare qualitatibus appoſitis in fundatione, ſeu erectione beneficij, tenent Burſat. *Conſil. 185. num. 18. lib. 2.* Zerola *in Praxi Epiſcop. verbo.* Beneficium. *§. 7. Concluſ. 8. & verbo.* Iuſpatronatus. *§. 8. dub. 15.* Zechius *De repub. Eccleſ. cap. De beneficiat. num. 3.* & *tract. de benefic. cap. 12. num. 21. & 46* Franciſ. Leo *in Theſauro fori eccleſiaſ. cap. 26. num. 35.* Perez de Lara *De anniuer. lib. 2. cap. 5. nu. 28.* Nauar. *in Manual. Conſil. 6. aliàs 7. num. 4. De cler. non reſiden.* Sà *verbo.* Beneficium *num. 37.* Rota *in Foroliuienſi Capellaniæ 10. Maij. 1539. coram Serafino.* Inſuper hanc quoque ſententiam tradiderunt. Imola *in Cap. Cum acceſſiſſent. De conſtit.* Abbas *ibid. num. 4.* vbi etiam Corſet. *in Addit. ad Abbat. verbo. Vnire.* Felin. *nu. 19* Ferret. *Conſil. 133. num. 7. & Conſil. 211. num. 10.* Rebuf. *in Praxi ſignat. par. 3. verbo.* Nec *non iuriſpatr. num. 36.* Iacob. Benius. *De priuileg. iuriſcon. priuil. 32. nu. 8.* Lamberteng. *De iurepatr. lib. 2. par. 1. qu. 7. ar. 30. nu. 18.* Limitando tamen, quando fundator oppoſitum non prohibuit. Creſcen. *Deciſ. 7. De iurepatron. num. 2.* qui limitat, quando ſolum voluntati fundatoris pręiudicium infertur; & non alteri.

3 At nec de iure veteri, nec de nouo poſſe Epiſcopum, etiam pro vna vice, derogare qualitatibus appoſitis in erectione, ſeu fundatione beneficij, tradunt Rochus *de iure Patronat.* verbo. *Pro eo, quod. quæſt. 15.* Craueta *Conſil. 63. num. 15.* Gutierez *Conſil. 1. num. 19.* Dec. in *Cap. Cum acceſſiſſent. num. 54. De conſtit.* Azor. *par. 2. lib. 6. cap. 24. quæſt. 11.* Genuenſ. *in Praxi.* Neapol. *cap. 24. num. 10.* Vgolin. *De poteſt. Epiſcopi cap. 52. §. 1. nu. 8.* Moneta *de commutat. vlt. volunt. num. 351. in fine.* Garzias *par. 7. De benefic. cap. 1. nu. 111. & ſequent.* qui affert pro hoc quattuor declarationes S. Congregationis, quarum vnam teſtatur, ſe vidiſſe in forma authentica: & duas Deciſiones

nes Rotæ, nempe *Valentinam iuriſpatronat. 20. Martij* 1589. *coram Orano.* & *Toletanam Capellaniæ 14. Februar.* 1583. *coram Robuſterio.*

4 Hæc *poſterior ſententia, eſt omnino tenenda*, cum ſit fundata tam in iure nouo Concilij Tridentini allata, quàm in iure veteri Clemen. *Quia contingit.* De *religioſ. domib.* ibi. *Cum tamen ea, quæ ad certum vſum largitione deſtinata ſunt fidelium, ad illum debeant, non ad alium, ſalua quidem Sedis Apoſtolicæ auctoritate, conuerti.* & prior non habeat ſufficiens fundamentum, & Concil. Trident. prohibeat expreſsè derogationem in collatione beneficij, quæ tamen non fit pro ſemper, ſed pro illa tantum vice. Et proinde ad caſum propoſitum iuxta hanc doctrinam negatiuè reſpondendum eſſet.

5 Quia tamen aliquando contingere poteſt, quod ex coniecturis elici poſſit, quod talis derogatio ſit conformis menti fundatoris, ideo in tali caſu habebit locum prior ſententia. quia tunc non erit derogatio qualitatis appoſitæ in fundatione, ſed interpretatio, quod fundator in tali caſu non requirat illam qualitatẽ. Quod contingit in caſu propoſito, quia agitur de nepote fundatoris, & pro quo intentionem habebat fundandi ſpecialem capellaniam, & fundaſſet, niſi morte præuentus ita fuiſſet, vt non potuerit diſponere. Hinc enim ſubintrat regula, quod illud cenſetur diſpoſitum, quod diſponens interrogatus, veriſimiliter reſpondiſſet, ſe ita diſponere voluiſſe. *l. Tale pactum.* §. *Qui prouocauit. ff.* De *pactis.* vbi Gloſ. & cœteri Doctores. Decius *Conſil.* 407. *num.* 7. ver. *Secundo in verbis.* Menoch. *Conſil.* 14. *nu.* 10. Socin. Iun. *Conſil.* 78. *num.* 30. *lib.* 3. Bart. *in l. Titius.* §. *Lucius. ff.* De *liber. & poſt.* Ruin. *Conſil.* 177. *num.* 2. *lib.* 2. ita vt quod ex tali voluntate interpretatiua colligitur, habeatur pro ſatis expreſſo, vt notant Bald. *Conſil.* 200. *in fine lib.* 2. Craueta *Conſil.* 147. *n.* 2. Menoch. *Conſil.* 141. *num.* 13.

6 Quod autem dictus fundator diſpoſuiſſet, quod ceſſaret requiſita qualitas, quando ageretur de hoc ſuo nepote in caſu, in quo non potuiſſet pro ipſo inſtituere Capellaniam, quam deſtinabat inſtituere, colligitur ex coniecturis, ex quibus mẽs diſponentis ſufficienter notificatur. vt tradunt Bald. *in l. vnicam. C. Vt actio ab hæred. & contra hæred. & in l. Si pater, q. 4. C. De inſtit. & ſubſtit.* Ruin. *Conſil.* 179. *nu.* 5. *lib.* 2. Dec. *Conſil.* 397. *n.* 5. Menoch. *Conſil* 95. *n.* 104.

7 Prima, autem coniectura ſumitur ex eo, quod in diſponente præſertim quò ad ea, quæ poſt mortem implenda ſunt, attenditur affectio, iuxta quam debet interpretari voluntas diſponentium *l. Lucius. ff.* De *hæred. inſtit.* & tradũt Bar. *in l. 2. init. num. 40. & ſequent. ff.* De *vulg. & pupil. ſubſtit.* Socin. Sen. *ibid. num.* 32. ver. *Niſi dicamus.* & *in l. Si cognatis. num.* 36. *ff.* De *reb. dub.* Dec. *in l. Precibus. circa fin.* C. De *impub. & alijs ſubſtit.* Ripa *in l. Lucius. num. 40.* ver. *Secundo quia. ff.* De *vulg. et pupil.* Rubeus *Conſil.* 126. *in fine.* Craueta *Conſil.* 43. *num.* 1. *in fine.* Hieronim. Gabr. *Conſil.* 120. *num.* 7. Couaruu. *lib. 3. pract. Quæſt. cap.* 38. *num.* 2. Bald. *in l. Lucius.* 2. *ff.* De *hæred. inſtit.* Alciatus *De præſumpt. reg.* 1. *præſum.* 20. *num.* 2. Paris. *Conſil.* 51. *num.* 21. *lib.* 2. Eſt autem certum, quod affectio diſponentis verſetur magis circa proprium nepotem, quàm circa extraneos, & proinde quod adueniente caſu, in quo non potuerit diſponere de Capellania pro ipſo, valde veriſimile eſt, quod noluiſſet præferri extraneus, quia dilectio nepotis comparatur dilectioni filij. *l. Iubemus*, §. *Cum autem.* C. Ad *Trebel.* iuncta *l. Acutiſſimi.* C. De *fideicom.* & deſumitur etiam ex *l. Cũ ita.* §. *In fideicom. ff.* De *legat.* 2. & *l. Publius.* §. *fin. ff.* De *condit. & demonſt.*

8 Secunda coniectura eſt. Quod ſæpius dixit, vt conſtat ex teſtibus, quod pro tali ſuo nepote volebat inſtituere Capellaniam. Cum ergo diſpoſitio recipiat interpretationem ab his, quæ ante, vel poſt diſpoſitionem diſponens dixerat, vt tradunt Bar. *in l. 2. init. num.* 40. *ff.* De *vulg. & pupil. ſubſtit.* Ripa *ibid. nu.* 52. Socin. Iun. *num.* 112. Socin. Sen. *Conſil.* 23. *num.* 9. *lib.* 1. Ruin. *Conſil.* 73. *num.* 15. *lib.* 2. & *Conſil.* 10. *nu.* 10. *lib.* 5. & alij, quos citat, & ſequitur Menoch. *lib.* 4.

pre.

præſump. 65. *num.* 16. & conſtet de voluntate fundatoris, non eſt veriſimile, quod ipſum voluerit excludere à conſequenda vna ex Capellanijs erectis ob qualitatem requiſitam in promouendis, in caſu, quod non potuerit ſpecialem Capellaniam pro ipſo fundare.

De quo beneficio intelligatur, quando capellania eſt conferenda ratione fundationis non habenti aliud beneficium. Quaſt. 490.

S V M M A.

1 *In diſpoſitione hominis quodcunque verbum debet aliquid operari.*
2 *Capellanus non poteſt cogi, vt per ſe ipſum celebret, quando ex fundatione non debet per ſe ipſum celebrare.*
3 *Capellania conferenda non habenti aliud beneficium, eſt incompatibilis cum quocunque beneficio canonicè inſtituto.*
3 *Nomine beneficij veniunt omnia, quæcunque ea ſint, dummodo non ſint manualia, & ad nutum amouibilia.*

1 VIdetur debere intelligi tantum de beneficio incompatibili, quia mens teſtatoris videtur eſſe, quod ab alio beneficio non impediatur Capellanus in munere ſuo. Hæc tamen explicatio non debet admitti, quia in diſpoſitione hominis non ſolum ipſa diſpoſitio debet aliquid operari, & non eſſe fruſtratoria, ſed etiam quodcunque verbum, vt tradunt Aret. *Conſil.* 10. *num.* 11. Crauet. *Conſil.* 294. *num.* 3. Rolan. à Valle *Conſil.* 55. *num.* 45. *lib.* 3. Tuſch. *Littera V. concluſ.* 85. *num.* 6. Roman. *Conſil.* 180. *num.* 4. *in fine*, Alexan. *Conſil.* 9. *num.* 2. *lib.* 7. Si autem intelligeretur diſpoſitio fundatoris ſolum de beneficio incompatibili, non ſolum aliquod verbum, ſed tota diſpoſitio eſſet ſine effectu, quia de iure communi non poſſet capellania conferri habenti beneficium incompatibile.

2 Accedit etiam, quod ſi in dicta fundatione non præſcribitur, quod Capellanus debeat celebrare per ſe ipſum, per alium ſupplere poteſt, ita vt nec ab Epiſcopo cogi poſſit, vt per ſe ipſum celebret iuxta ea, quę tradunt Gonzalez *ad reg.* 8. *Cancel. gloſ.* 5. *num.* 84. Galet. *in Margar.* verbo *Capellania* 2. Garzias *de Benefic. part.* 7. *cap.* 1. *num.* 87. Vgolin. *De poteſt. Epiſcopi. cap.* 50. §. 8. *num.* 5. Campanil. *in Diuerſorio iuris can. rubr.* 7. *cap.* 6. *num.* 13. Azeuedo *Conſil.* 20. *num.* 4. Franciſ. Marc. *Deciſ.* 799. *par.* 2. Anna *Conſil.* 22. *num.* 10. Monal. *Conſil.* 129. *vol.* 2. Gratian. *Diſcept. forenſ. cap.* 63. *nu.* 10. Bonac. *Diſp.* 4. *de ſacram. quæſit. vlt. punc.* 7. §. 1. *num* 1. Barboſa *de poteſt. Epiſ. allegat.* 24. *num.* 29. & conſtat ex praxi. Vnde ſequeretur, quod talis capellania non eſset incompatibilis cum quocunque alio beneficio. & conſequenter diſpoſitio fundatoris fruſtratoria eſset, & ſine effectu, ſi quidem poſset conferri capellania habenti quodcunque aliud beneficium.

3 Itaque reſoluendum eſt, *Quod intelligatur de quocunque beneficio eccleſiaſtico, & canonicè inſtituto, quod confertur in titulum, ſiue ſit curatum, ſiue ſimplex, ſiue quocunque alio modo ſe habeat*; nam nomine beneficij comprehenduntur tàm maiora, quàm minora: tàm regularia, quàm ſæcularia, & dignitates, dummodo non ſint manualia, & ad nutum amouibilia per ea, quæ tradunt Doctores in Cap *Beneficium*. verbo, *Beneficium*. De *reg. iur. in* 6. & *in Cap. Si Gratiosè*. verbo *Beneficia*. De *reſcript.* Silua De *benefic. par.* 1. *quaſt.* 3. Rebuf. *in Praxi* Tit. *Quid ſit beneficium. num.* 10. Paris. *de confident. quaſt.* 28. *num.* 38. *& ſequen.* Garzias *par.* 1. *de beneſ. cap.* 6. *num.* 37. Et proinde in omni beneficio diſpoſitio habet locum, cum locum habeant verba in ſua propria ſignificatione. Hæc autem, quę tàm in hac, quàm in pręcedenti Centuria tertia dicta ſunt, S. R. Eccleſiæ cenſurę ſubiecta eſse volo, paratus, quicquid minus rectè dictum ſit, emendare.

F I N I S.

INDEX

INDEX
RERVM NOTABILIVM

Primus numerus Quæſtionis, ſecundus Marginalis eſt.

A

Abbatiſſa.

ABBATISSA non habet ſpiritualem iuriſdictionem q 324. n 1.
Quomodo Abbatiſſa non poſſit præcipere in virtute ſanctæ obedientiæ ſecundam aliquos n 2.
An ad præcipiendum in virtute S. obedientiæ ſit neceſſaria iuriſdictio ſpiritualis. n.3.
Abbatiſſæ habent veram ſuperioritatem ſupra Moniales. num.4.
Abbatiſſa habens ſpeciale ius ad exigendam obedientiam à Monialibus. n.7.
Poteſt vti vinculo voti obedientiæ ad exigendam obedientiam à Monialibus. ibid.
Abbatiſſa poteſt præcipere Monialibus in virtute S.obedientiæ. n.8.
Poteſt conſtringere Moniales in virtute illius vinculi, quo tenentur obedire. ibid.
Abbatiſſa poteſt imponere Monialibus præcepta ſpiritualia in ordine ad finem ſpirituale.n.10.

Abſolutio.

Probibitio abſoluendi complicem an afficiat Regulares. q.223.n.1.& ſeq.

Acceſsorium.

De acceſſorio, & principali eſt idem iudicium q.503.n.8.

Acquirere.

Ad acquirendum non requiritur expreſſus conſenſus.q.392.n 3.

Actio.

Actio quomodo conſideretur.q.218.n.1.

Actio Forenſis.

Actiones ſemel in iudicio inductæ nec morte, nec tempore pereunt.q 323.n.14.
Actio à retentione quando ſeparetur.quaſt.390. n.14.

Actus.

Vide Factum Facere.Fieri.Operatio.
Omnis actus conſiſtit in voluntate, & poteſtate agentis. q.218.n.1.
Omnis actus fundatur in potentia, & voluntate q.246.n 4.
Deficiente potentia, aut voluntate deficit actus. num.4.
Omnis actus dependet à poteſtate.q.390 n.13.
Actus fundatur in voluntate agentis. q. 336. num.2.
Quando actus eſt in noſtra poteſtate, paratus ad actum ſimilis eſt habenti. q 383. n.6.
Actus externus determinatur ab interno. q.381. num.3.
Actus ſubſequens declarat animum præcedentem. q.365. n.2.

De actibus internis non poteſt reddi ratio. q.307. num.4.

Vnus actus exprimitur, & alter tacetur ad vitandum circuitum. q.312.n.5.

Actus, qui non durat, non habetur in conſideratione. q.251. num.3.

Actus aliàs prohibitus, vt ſubſtineatur, quid requiratur. q.295 n.4.

Actus quò ad validitatem.

Stante facultate ad actum, actus tenet, niſi irritetur. q.347.n.3.

Actus præſumitur factus eo modo, quo valere poteſt. q.205.n 2

Actus cenſetur factus eo modo, quo valet. q.206. num 5

Ille titulus tribuendus actui, per quem poteſt ſubſiſtere. nu.6.

Actus præſumitur geſtus per eam facultatem, per quam valere poteſt. q.257.n.6.

Actus præſumitur factus, vt valeat ex quocunque titulo valere poteſt. q.201.n.1.

Actus præſumitur factus ex eo capite, ex quo ſubſiſtit. q.309.n.1.

Actus, qui non valet de iure communi, præſumitur factus de ſpeciali ſtante priuilegio. q.257. num.5.

Faciens actum intendit virtualiter omnem modum, quo poteſt ſubſiſtere. q.206 n.2.

Actus non ſubſiſtit eo nolente, in cuius fauorem irritatur. q.295 n 6.

Actus carens forma non poteſt ſubſiſtere. q.295. num 4.

Actus corruit omiſſa forma à lege præſcripta. q.308.n 7.

Actus cenſetur factus ſub forma conditionis appoſita. q.303.n.7.

Actus debet accipi vt factus eo modo, quo licet. q.376.n.5.

Actus quò ad efficaciam.

Actus voluntarij non extenduntur, vltraquam geruntur. q. 336.n.4.

Actus nõ operatur vltra intentionem agentium. q.336.n.2. & q.379.n.5.

Actus cenſetur factus, prout facienti eſt magis vtilis. q.231.n.5.

Actus cenſetur factus ex titulo vtiliori. q. 350. num.11.

Actus cenſetur factus ex vtiliori capite. q. 392. num. 2.

Actus merè liberi arbitrij non pariunt ius in fauorem alterius. q.326.n. 2.

Actus irritus, & nullus.

Actus quotupliciter nullus. q.216.n.3.

Actus nullus ex ſui natura non poteſt conualidari. n 4.

Actus nullus habetur pro non actu. ibid.

Actus nullus legaliter quando non inducat conſuetudinem n.5.

Actus nullus habetur pro non facto. ibid.

Non poteſt inducere aliquem effectum. ibid.

Actus nullus legaliter quando inducat conſuetudinem. n.6.

Actus habens, quæ de iure naturæ ſunt ſubſtantialia, tenet de iure naturæ, & quid, ſi lex irritet. q 253.n.7.

Actus irritatus à iure non parit obligationem in conſcientia. q 353. n 7.

Actus licet nullus declarat voluntatem. q. 260. num. 9.

Adminiſtratio. Adminiſtrator.

Vide Officium.

Adminiſtratio quid ſit. q.319.n 1.

Adminiſtratio non variat primæuam obligationem, cui res ſubeſt. q.319.n.1.

Adminiſtrator non poteſt conuertere, quæ adminiſtrat, in alium vſum, quàm in deſtinatum. n.3.

Largiens pro obtinenda adminiſtratione, intendit ex ipſa percipere compenſationem. q. 316. num. 6.

Qui per largitionem obtinet adminiſtrationem, procurat propriam vtilitatem, & publicam negligit. n.7.

Largitio pro obtinenda adminiſtratione eſt occaſio vendendi iuſtitiam, &c. n 8.

Quomodo obtinens adminiſtrationem per largitionem, peccet peccato ſcandali. n.9.

Largitio pro obtinenda adminiſtratione eſt radix plurium malorum. n. 10.

Largitio pro obtinenda adminiſtratione aliqua an ſecundum ſe licita. n.5.

Aduena.

Aduenæ non ſunt de ſpeciali iuriſdictione loci. q.321.n.1.

Ædes.

Antiquæ Ædes nouæ iudicantur ex mutatione facta. q.320. n.3.

Æſtimare.

Æſtimatio de ſui natura inducit venditionem. q.289.n.1.

Aeſtimatio quando non inducat venditionem. n 2.

Quando contractus ex ſui natura non transfert dominiũ, æſtimatio nõ inducit venditionẽ. n.3.

Aeſti-

Aeſtimatio non inducit venditionem, quando agitur de communi vtilitate dantis, & accipientis. n.4.
Aeſtimatio vaccarum, quæ traduntur in ſocietatem non inducit venditionem. q.289. n. 2.

Aggreſsor.

Quis veniat nomine aggreſſoris q. 327. n.10.
Minæ, & terror armorum faciunt aggreſſorem. q.327. n.10.

Alienatio. Alienans.

Res quocunque modo ſubiecto reſtitutioni, non poteſt alienari. q.310. n.5.
Alienatio, quæ non lædit perſonam, ad cuius fauorem prohibetur, eſt licita. q.252. n.7.
Alienans abſque debita ſolemnitate res Eccleſiæ, etiam in euidentem vtilitatem, peccat q.295. num.1.
An ſit tutus in conſcientia, & ſubſtineatur alienatio. n.2. & ſeq.
Alienatio in potentiorem rei, in qua tertius habet intereſſe, eſt prohibita. q.294. n.4.
Alienatio, quæ fit in Eccleſiam, dicitur fieri in potentiorem. q.310. n.5.
Alienatio debitoris non facit creditorem deterioris conditionis. q.310. n.1.

Alienationis prohibitio.

Prohibitio alienationis rei hypothecatæ reſeruat ſpeciale ius. q.310. n.6.
Prohibitio alienationis rei ſpecialis ipſi hypothecatæ tenet etiam in ordine ad Eccleſiam. n.7.
Expreſſa prohibitio alienationis facit, vt neque ad vitam fideicommiſſum alienari poſſit. q. 252. n.8.
Quid, ſi hæreditas perueniat ad monaſterium incapax poſſidendi. ibid.
Euidens vtilitas Eccleſiæ non facit ceſſare prohibitionem alienandi. q.295. n.7.
Statutum prohibens alienationem in non ſubditos, non comprehendit Eccleſiaſticos. q. 310. num.2.
Retinens ius in re cum prohibitione alienationis facit, ne traſferatur dominium, ſi alienetur. num.3.
Prohibita alienari extra familiam, poſſunt alienari in quemcumque de familia, quæſt.252. num.2.
Prohibitio alienandi ceſſat, ſi fiat de iure impoſſibilis. n.4.
Conſentiens rei venditioni tacitè reuocat prohibitionem alienationis. q.362. n.7.

Alimenta.

Alimenta debita ex legato non ceſſant, ſi aliunde habeantur. q. 245. n.1.
Alimenta debita legatario, etiam ſi deportetur. num.3.
Subminiſtrans alimenta ex cauſa pietatis, non repetit. q.392. n.3.

Altare priuilegiatum.

Conceſſio altaris priuilegiati derogat prohibitioni non celebrandi miſſas de requiem q. 340. num.5.
In altari priuilegiato pro ſingulis diebus, ſemper dici poſſunt miſſæ de requiem exceptis feſtis de præcepto. n.9.

Amor.

Vide. Charitas.
Amor primum donum. q.381. n.3.
Ratio gratuitæ donationis eſt amor. q.381. n. 3.

Anima.

Anima rebus omnibus anteponenda. q.235. nu.2. & q.244. n.1. & 392. n. 3.

Animal.

Animalia, quæ paſcuntur, reputantur inter fructus. q.213. n.3.

Animus.

Vide. Mens. Voluntas.
Applicare animum ad aliquid cōferendum, quid ſit. q.381. n 2.
Non minus facta, quàm verba animum declarant. q.256. n.7.
Animus magis facto, quàm verbis declaratur q. 362. n.4. & ſeq.

Annona

Intereſt reipub. quod comeſtibilia abundent. q.313. n.2.
Præfectus annonæ poteſt cogere ad emendum frumentum publicum, licet deprauatum. q. 314 num.1.
Præfectus annonæ non poteſt cogere ad emendum frumentum vitiatum, quod non eſt de publico. n.3.
Præfectus annonæ cogens ad emendum frumentum vitiatum &c. tenetur ad reſarciendum damnum. n.4.
Quibus debeat reſarcire. ibid.

In quo Præfectus annonæ poſſit gratificari amico habenti frumentum vendibile.n.5.

Antecedens.

Corruente antecedenti corruunt, quæ ad ipſum conſequuntur.q.258.n.4.

Appellatio.

In omni caſu eſt licita appellatio. q.307.n.1.
Appellatio non habet locum in ijs, quæ per ſecreta vota iuxta conſcientiam decernuntur. n.2.
Quæ ſecundum conſcientiam iudicantur, non admittunt appellationem, ibid.
Appellatio non habet locum, quando iudex ſecundum ſuum arbitrium iudicat.n.3.

Approbatio.

Approbatio uniuerſalis, & approbatio in ordine ad aliquem effectum in quo differant. q.372. num.5.
Approbatio dat ius approbato quò ad idoneitatem.q.374.n.4.
Approbatio habet vim ſententiæ.q.374.n.5.

Arbitrium.

Quando adeſt plenum arbitrium, non habet locum appellatio. q.307.n.6.
Relictum iudicio alicuius, intelligitur de arbitrio boni viri.q.357.n.3.

Argumentum.

Argumentum à minori ad maius.q.329.n.3.
Valet argumentum à minori ad maius. q 321. num.5.
Argumentum à maiori conceſſo cum minori ſolemnitate non valet ad minus. q 172. n.6.
Argumentum à ſimili ad ſimile valet.. q. 321. num.4.
Valet argumentum à contrario ſenſu.q.342.n 6.
Argumentum ab æquiparatis non valet, quando eſt diſpar ratio.q.352.n.10.
Argumentum à toto ad partem.q.362.n.3.
Argumentum à mandato ad beneplacitum non valet.q.359.n.10.
Argumentum à lege ad voluntatem teſtatoris. q.240.n.4.

Auctoritas.

Quænam ſiant publica auctoritate, & quænam à priuata auctoritate proueniant q. 359.n.6.
Conceſſa auctoritate conceditur vis coercitiua, ſine qua exerceri non poteſt.q.293.n.1.

B

Bannitus.

Bannitus habetur pro mortuo, & hoſte ciuitatis.q.305.n.6.
Banniti hoſtes patriæ.q.322.n.1.
Occidere bannitum nõ continet delictum.q.327. num.1.
Occidens bannitum ignorans, eſſe talem, non excuſatur à culpa. n.2.
Occidẽti bãnitum præmium ſolet proponi.q.322. num.1.
Occidens bannitum auctoritate iudicis, occidit vt publicus miniſter, & ſit irregularis.q.327. num.2.
Si ſit clericus, contrahit irregularitatem ex delicto.n.5.
Iudex laicus mandans occidi bannitum, non diſpenſat eum clericis, vt poſſint occidere. n.6.
Augens præmium occidenti bannitum, eſt exequutor mandati iudicis.q.327.n.4.
Occidens bannitum ex cauſa priuata, non occidit vt miniſter iuſtitiæ, nec gaudet beneficio ſtatuti, &c.n. 9.
Etiam ſi occidat ad propriam defenſionem. ibid.
An bannitus òccidi poſſit in alieno territorio, & an ratione defenſionis.q 327 n.3.
Venia promiſſa occidenti bannitum reſpicit delicta commiſſa ante occiſionem. q.332. n.2.
Occidens bannitum, & poſtea delinquens, non obtinet veniam delicti, etiam ſi producat occiſionem. ibid.
Bannitus, & relegatus admiſſus ad clericatum præſumitur diſpenſatus ſuper inhabilitate. q.305.n.3.

Baptiſmus. Baptizatus.

Dubius de baptiſmo non eſt capax ſacramentorum, quæ iterari non poſſunt.q.288. n.1.
Non tenetur ad ſuſcipiendum ſacramentum pœnitentiæ.n.2.
Dubio de baptiſmo an miniſtrari poſſit ſacramentum pœnitentiæ.n.4.
Dubius de baptiſmo debet prius rebaptizari ſub conditione, quàm ei miniſtretur extrema vnctio, aut contrahat matrimonium n.6.
Pœna delicti non tollitur per ſacramentum bàptiſmi q.305.n.2.

Bellum.

Vt bellum ſit vtrinque iuſtum, quid requiratur. q.297.n.9.

Beneficium Eccleſiaſticum.

Nomine beneficij veniunt omnia, quæcunque ea ſint, dummodo non ſint manualia, & ad nutum amouibilia.q.400.n.3.
Beneficium cur ſit quid ſpirituale.q.385.n.6.
Quæ de iure requirantur, vt quis promoueri poſſit.q.383.n.6.
Beneficium non vacat adepto ſecundo incompatibili, niſi apprehenſa poſſeſſione. quæſt. 311. num.6.
Exponens merita non eſt. cauſa collationis beneficij.q.380.n.6.
Exponens merita in ordine ad obtinendum beneficium, cur non ſit cauſa collationis. n.8.
Eò ipſo, quod quis obtinet parochiale beneficium, cenſetur idoneus de iure. q.373.n.1.
Beneficium ſacerdotale poteſt impetrari à non ſacerdote. q.383.n.2.
Qui breui ordinari poteſt, promoueri poteſt ad beneficium. n.8.
Beneficium ſacerdotale conferri poteſt non ſacerdoti.&c. quia ſacerdotium nõ requiritur qualificatiuè.n.10.
Reſignatio beneficiorum debet eſſe libera. q.303 num.1.
Non poteſt detrahi qualitatibus appoſitis in erectione beneficiorum. q.399 n.1.
An pro vna vice poſſit Epiſcopus detrahere.n. 2. & ſeq.
Diſpoſitio circa hoc iuris veteris, & iuris noui. num.4.
Quid, ſi derogatio ſit iuxta mentem fundatoris. num.5.
Fructus omnes beneficiorum per æquas portiones correſpondent ſingulis diebus in ordine ad officium.q.389.n.3.
Fructus omnes beneficiorum acquiruntur cum modo. n.4.

Beneficium Eccleſiaſticum quò ad reſeruationem.

Diuiſio menſium Apoſtolicorum, & Ordinarij, quomodo attendatur. q.393.n.19.
Dies vltimus pulſata media nocte per aliqua horologia non eſt probabiliter in poſſeſſione reſeruationis.q.393.n.6.
Reſeruatio non excluditur, niſi ſuperueniente certo tempore, pro quo non ſit facta reſeruatio. q.393.n.1.
Beneficium vacatum in vltima nocte menſis reſeruati, poſtquam aliqua horologia pulſauerunt mediam noctem, & alia non, an poſſit conferri ab Ordinario.n.2.
Beneficium vacatum in vltima nocte menſis reſeruati pulſata media nocte per aliqua horologia, & non per alia, poteſt conferri tum ab Ordinario, tum à Papa.n.4.
Si ab vtroque conferatur, quæ prouiſio ſubſtinenda.n.5.
Reſeruatio beneficij non poteſt opponi, niſi concludenter probetur. ibid.
Ceſſat exequutio litterarum Apoſtolicarum collationis beneficij non iuſtificata reſeruatione. q.393.n.10.
Reſeruatio debet eſſe clara, vt annullet collationem Ordinarij n.14.
Concludenter probandus obitus intra menſem reſeruatum, vt ſubſtineatur prouiſio Apoſtolica.n.15.
Reſeruatio debet clarè conſtare præſertim contra prouiſum ab Ordinario. n.32.

Beneplacitum.

Beneplacitum expirat morte concedentis. q.359. num.1.
Sed non quò ad ea, quæ non dependent in conſeruari à voluntate concedentis. n.2.
Beneplacitum in ijs, quæ non dependent in conſeruari, cui æquiualeat.q.359.n.4.
Beneplacitum circa ea, quæ ſunt iuriſdictionis, non extinguitur morte concedentis, &c. n.5.
Quale ſit beneplacitum, quando pœna eſt ad beneplacitum.q.360.n.2.

Bonus. Bonum.

Vide vtilitas.

Quod dirigitur in bonum commune, nulli cenſetur præiudicare; quia communis vtilitas priuatæ præfertur. q.339. n.14.
Bonum priuatum debet poſtponi publico. q. 352. num. 4.
Maius bonum debet præferri minori. n.5.
Quid requiratur, vt homo ſit bonus. q.341.n.4.

Bona.

Bona priuatorum quomodo ſub diſpoſitione Principis.q 206.n.2.
Bona ſunt acceſſoria perſonæ.q.323.n.11.

Breuiarium.

Breuiarum Romanum quibus permittatur. q. 225.n.3.

C

Calix.

Calix &c. legatus Eccleſiæ de qua materia debeat eſſe.q.234.n.1.
Reſpiciendum ad qualitatem ſimilium rerum,

quæ

quæ adhibentur ab Eccleſia legataria. n 2.

Canonici.

Canonici comprehenduntur ſub diſpoſitionibus Epiſcopi odioſis, etiam ſi non exprimantur. q. 217. n. 2.
Canonici an comparandi Cardinalibus n. 5.

Capella.

Capella fabricanda ex voluntate teſtatoris qualis debeat eſſe. q. 234. n. 5.

Capellania, Capellanus.

Cappellani quomodo coerceri poſſint à Regularibus exemptis. q. 293. n. 3.
Fiunt ipſis ſubditi, & quomodo. ibid.
Capellanus non poteſt cogi, vt per ſe ipſum celebret, quando ex fundatione non debet per ſe ipſum celebrare. q. 400. n. 2.
Capellania conferenda non habenti aliud beneficium, eſt incompatibilis cum quocunque beneficio canonicè inſtituto. n. 3.

Capitulum.

Facultas Capituli ſtatuendi ad quæ ſe extendat. q. 366. n. 1.
Capitulum an ſtatuere poſſit, ne capitulares conueniant ad aliquas functiones, niſi certo ſtipendio. ibid.
Capitulum ſede vacante in quæ ſuccedat. q. 211. num. 1.
Capitulum ſede vacante debet creare Vicarium pro iuriſdictione exercenda. q. 211. n. 2.

Capitulum Generale.

Habere vocem in Capitulo generali eſt quid iuriſdictionis. q. 211. n. 7.
Cur apud aliquas religiones Superiores habeant vocem in Capitulo Generali non adepta poſſeſſione. n. 9.

Capitulares.

Capitulares in quibus à capitulo obligari poſſint. q. 366 n. 2.
Capitulares quomodo poſſunt facere ordinationes per modum pacti. n. 3.
Pacta inita inter capitulares quos obligent. ibid.

Carcer.

Carcer ad beneplacitum eſt perpetuus. q. 360. num. 1.
Carcer perpetuus de iure canonico quando imponendus. n. 3.
Damnati perpetuo carceri æquiparantur damnatis ad metalla. ibid
Carcer eſt maior pœna, quæ de iure canonico poſſit infligi. ibid.
Dicitur pœna capitalis. ibid.
Melius mori, quàm perpetuo carceri damnari. ibid.

Cardinales.

Cardinales fratres Principum. q. 217. n. 5.
Pars corporis Papæ. q. 217. n. 5.
Cardinales cur non comprehendantur ſub diſpoſitionibus, &c. niſi ſpecialiter exprimantur. q. 217. n. 1.
Sub diſpoſitione odioſa Summi Pontificis non comprehenduntur Cardinales, niſi exprimantur. q. 321. n. 3.
Cardinales ſubiacent legibus odioſis Pontificijs, in ijs, in quibus non ſunt priuilegiati. q 212. num. 2.

Caſus

Vide. Reſeruatio.

Cauſa.

Cauſa limitata parit limitatam facultatem. q. 314. n. 3.
Cauſa ſpecialis eſt potentior generali. q. 332. n. 7.
Cauſa impedita impeditur effectus. q. 306. n. 4.
Cauſa finalis, & impulſiua vnde dignoſcantur. q. 392. n. 5.
Ceſſante cauſa impulſiua non ceſſat effectus. q. 244. n. 2.

Cenſura.

Pro incurrenda cenſura an requiratur ſcientia illius. q. 358. n. 3.
Cenſuræ vt pœnæ medicinales nõ ſortiuntur effectum, quandiu ignorantur. n. 4.
In ferendis cenſuris Pontifices cur aliquãdo expreſſè non requirant præſumptionem. n. 5.

Cenſus.

Bona determinata an neceſſaria pro cenſu. q. 206. n. 8.
Cenſus perſonalis ex natura ſua iuſtus, & licitus. q. 205. n. 3.
Cenſus perſonalis non prohibetur à Martino V. nec à Calliſto III. n. 4.
Prohibetur à Pio V. n. 5.
Cenſus perit pereunte fundo. q. 342. n. 2.
Valet tàm de iure veteri, quàm de iure nouo. num. 3.

Charitas.

Vide. Amor.
Quid charitas. Quid cupiditas. q. 341. n. 3.
Charitas facit interpretari diſpoſitionem etiam

vltra

vltra conſuetum modum.q.283.n.5.
Magis coniuncti magis ex charitate diligendi. q.283.n.4.
Contra charitatem quotupliciter contingat peccari.q.398. num.5.

Clauſula.

Vide.Dictio.
Clauſulæ regulantur ſecundum naturam actus cui adijciuntur.q.359.n.4.
Clauſula, Ex certa ſcientia, *dum poteſt referri ad valida, & inualida, refertur ſolum ad valida.q. 222.n.5.*
Vis clauſulæ, In omnibus, & per omnia, *& quid operetur.q.356.n.15.*

Clericatus.

Clericatus eſt dignitas.q.305.n.5.
Promotio ad clericatum an auferat pœnam impoſitam à iudice laico.q.305.n.1. & 3.
Per admiſſionem ad clericatum tollitur infamia num.5.
Clericatus ſeparat à laicis.q.385.n.5.
Clericatus conſecrat Deo, & eſt quadam participatio ſacerdotij.q.305.n.5.

Clericus.

Clericus non eſt perſona priuata q.305. n.6.
In quorum ordine ſit. ibid.
Subſtentatio clerici præferenda cuicunque creditori q.350. n.13.
Percutiens Clericum mortuum an incidat in excommunicationem. q.267.n.1.
Percutiens figuram, aut ſtatuam clerici non incidit in canonem. q.267.n.2.
Percutiens cadauer Clerici cur non percutiat clericum q.267.n.3.
Clericus non poteſt cogi ad ſoluenda debita, quando non poteſt q.350. n.13.
Clericus habens iuriſdictionem poteſt in ſpecie delegare cauſam ſanguinis.q.327. n.11.
Poteſt hortari, vt reus occidatur ob ſui defenſionem. ibid.
Clericus violans relegationem ſibi impoſitam, dum erat laicus, non ſubeſt pœna ordinaria. q.104.n.3.
Clericus delinquens, ſi poſtea fiat laicus; poteſt puniri à iudice eccleſiaſtico.n.6.
Clericus frangens exilium punitur à iudice eccleſiaſtico, etiam ſi poſtea fiat laicus.q.304. num.5.

Clericus quò ad prohibita.

Clericis interdicitur fideiubere, & quomodo. q.345.num.4.
An in ipſis valeat iuramentum de non fideiubendo. ibid.
Clericus non poteſt eſſe miniſter laicorum.q.394. num.1.
Clericus aſſumens munus, in quo ſit miniſter laicorum, peccat mortaliter.q.394.n.3.
Eccleſia non ſubuenit clerico miniſtro laicorum, ſi reperiatur in fraude.n.4.
Clericus non poteſt cuſtodire arces Principis. *q.394.n.1.*
Clericus quando poſſit ſuſcipere in cuſtodiam arcem Principis. *n.6.*
Clericus non poteſt aſſumere munus habens annexam poteſtatem ſanguinis.q.394.n.2.
Clericis interdicitur ſe immiſcere in cauſa ſanguinis. q.327.n.6.
Pœna Clerici *aſſumentis munus iudicandi in cauſa ſanguinis. q.394.n.5.*

Collecta.

Princeps ob remunerationem poteſt aliquem eximere à collectis, licet alij inde plus grauentur.q.204.n.3.

Communitas.

Iuuare communitatem eſt acquirere merita apud rempublicam. q 204.n.4.

Compenſatio.

Quid requiratur, vt occulta compenſatio ſit licita.q.391.n.2.
Quando ſufficiat probabile debitum.n.3.

Compromiſſum.

Compromiſſum quãdo cenſeatur nouum. q.220. num.3.

Conceſsio.

Conceſſio omnis cenſetur facta ſecundum æquitatem.q.307.n.8.
Suppreſſio qualitatis, ratione cuius prohibetur aliquid concedi, coarctat conceſſionem ad non prohibita.q.347.n.13.
In generali conceſſione non veniunt, quæ quis in ſpecie non eſſet veriſimiliter conceſſurus. q.356.n 6.
Solum taciturnitas eorum, quæ de iure, vel de ſtylo ſunt exprimenda, vitiat conceſſionem. q.346.n.6.
Quando ex natura rei taciturnitas vitiet conceſſionem.n.7.
Quando vitietur, conceſſio ex taciturnitate eorum, quæ eſſent impedimento.q.346.n.6.
Conceſſo vno conceduntur, quæ requiruntur, vt perueniatur ad ipſum. q.210.n.5.

Con-

Conceſſo vno cenſentur conceſſa omnia, ſine quibus non peruenitur ad ipſum. q 340. n. 5.
Conceſſo vno conceduntur omnia, ſine quibus non poteſt perueniri ad ipſum. q. 398. n. 8.
In conceſſione actus conceduntur omnia, quæ conducunt ad faciliorem exequutionem. q. 305. n 5.
Conceſſo maiori cenſetur conceſſum minus. q. 362. n. 6.

Concluſio.

Non quod tractatur, ſed ſola concluſio attenditur. q. 286. num. 5.

Concubina.

Concubina non poteſt vti compenſatione, ſi concubinarius eam non inſtituit hæredem, vt promiſit. q. 391. num. 2.

Conditio.

Quid ſit conditio. q. 301. n. 5.
Conditio ſuſpendit actum. q. 344. n. 4.
Conditio ſuſpendit actum, & ea pendente actus non eſt perfectus. q. 303. n. 4.
Conditio, quandiu pendet, facit, quod res non habeat propriam ſubſtantiam. q. 336. n. 3.
Actus pendente conditione non eſt actus. q. 303. num 4.
Conditio caſualis impedit ortum obligationis. q. 303. n 3 & 344. n. 2.
Conditio appoſita retrotrahitur. q. 303. n. 7.
Conditionis euentus retrahit actum ad tempus celebrationis. q. 276. n 3.
Conditio retrotrahitur à die euentus ad diem conceſſionis, & operatur, vt actus cenſeatur factus initio. q. 344. n 9.
Conditio voluntaria in ſpecie neceſſariò implenda: neceſſaria poteſt per æquipollens impleri. q. 348. n. 4.
Conditio de iure impoſſibilis reijcitur etiam de mente teſtatoris. q. 252. n. 4.
Conditio impedit acquiſitionem. q. 389 n 5.

Conductor.

Conductor non ſibi, ſed domino poſſidet. q. 296. num. 6.

Confeſſarius.

Sacerdos audiens confeſſionē repræſentat Chriſtum, nec poteſt in illo tribunali exercere iuriſdictionem fori externi. q. 224. n. 2.
Confeſſarius electus à moniali virtute litterarū pœnitentiariæ, ſi poteſt eligere virtute iubilei, poteſt vti facultate conceſſa in iubileo. q. 370. num. 2.
Confeſſarius electus vigore litterarum Pœnitentiaria, poteſt vti facultate conceſſa in iubileo tempore iubilei n. 3.
Facultas audiendi confeſſiones cur non expiret morte concedentis. q. 359. n. 7.

Confeſſarius quò ad approbationem.

Non approbare, & denegare licentiam audiendi confeſſiones ſunt diuerſa q. 369. n. 9.
Approbatio confeſſarij eſt iudicium de habilitate, & facultas approbandi eſt facultas de tali iudicio. q. 223. n. 4.
Specialis approbatio pro confeſſarijs monialium. q. 369 n. 1.
Confeſſarius eligendus virtute litterarum Pœnitentiariæ, an toties, quoties approbandus. num. 2.
Confeſſarius eligendus ex vi litterarum pœnitentiariæ, à quo ordinario debeat eſſe approbatus n. 5.
